This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Digitized by Google

Digitized by Google

GIFT OF
J. C. Cebrian

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LE PÈRE FAGES, O. P.

OEUVRES

DE

Saint Vincent Ferrier

TOME SECOND

COMPRENANT

Les Sermons Panégyriques

DE SAINT THOMAS, APÔTRE (21 DÉCEMBRE) JUSQU'AU JOUR DES MORTS

PARIS

LIBRAIRIE A. PICARD et FILS
82, Rue Bonaparte

LIBRAIRIE A. SAVAÈTE
15, Rue Malebranche (Panthéon)

1909

Digitized by Google

Digitized by Google

Œuvres de Saint Vincent Ferrier

I I

Digitized by Google

LIBRAIRIE ALPHONSE PICARD ET FILS

82, Rue Bonaparte, Paris

FÉRET (Abbé P.). **La Faculté de théologie de Paris et ses docteurs les plus célèbres.** *Epoque moderne.* Tome VI, XVIIIe siècle, phases historiques. In-8°, br.. ..... 7 fr. 50

DELEHAYE (Le R. P.). **Les légendes hagiographiques.** 1905. In-12, br. 3 fr.

Les légendes grecques des saints militaires, publ. avec le concours de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres. In-8°, br..... 5 fr.

PISANI (P.), *chanoine titulaire de N.-D. de Paris, professeur à l'Institut catholique de Paris.* **L'Eglise de Paris et la Révolution.** T. I, 1789-1792. 1 vol. In-12, br..... 3 fr. 50

VALOIS (Noël), de l'Institut. **La France et le grand schisme d'Occident,** 1896-1902. 4 vol. br.... ..... 40 fr.

Histoire de la pragmatique Sanction de Bourges, sous Charles VII. In-8°, br..... .... 10 fr.

Sous presse: LE PAPE ET LE CONCILE.

TEXTES ET DOCUMENTS pour l'Etude historique du Christianisme

Publiés sous la direction

DE HIPPOLYTE HEMMER ET PAUL LEJAY

T. I. **Justin.** *Apologies,* texte grec, traduction française, introduction et index par Louis Pautigny, agrégé de l'Université. P., 1904. In-12..... 2 fr. 50

T. II. **Eusèbe,** *Histoire ecclésiastique,* livres I-IV, texte grec et traduction française par Emile Grapin, curé-doyen de Nuits (Côte-d'Or). P., 1905. 1 vol. in-12 ..... 4 fr.

En préparation tomes II et III.

T. III. **Tertullien.** *De pœnitentiâ, de pudicitiâ,* par de Labriole, professeur à l'Université de Fribourg (Suisse). P., 1906. 1 vol. in-12..... 3 fr.

T. IV. *De præscriptione hæreticorum,* publ. par le même. P., 1907. In-12.... 2 fr.

T. V. **Les Pères apostoliques.** I. *La Didaché et l'épître de Barnabé,* publ. avec introduction par H. Hemmer, Oger et Laurent, 1907. In-12..... 2 fr. 50

T. VI. **Grégoire de Nazianze.** *Discours funèbres en l'honneur de son frère Césaire et de Basile de Césarée,* texte grec, traduction française, introduction et index par Fernand Boulenger, maître de conférences à la Faculté libre des lettres de Lille..... ..... 3 fr.

T. VII. **Grégoire de Nysse.** *Discours catéchétique,* texte grec, traduction française, introduction, notes et index par Louis Méridier, docteur ès-lettres. 1 vol. in-12, br. ..... 3 fr.

T. VIII. **Justin.** *Dialogue avec Tryphon,* t. I, texte grec, traduction française, introduction, notes et index par Georges Archambault, directeur à l'Ecole Fénelon. 1 vol. in-12 ..... 3 fr. 50

LIBRAIRIE A. SAVAÈTE

15, Rue Malebranche, Paris

M. SAVAÈTE publie tous les mois un **MONITEUR DE LA LIBRAIRIE**. Cette publication justifie son titre par le nombre, le choix et l'importance des ouvrages qui y sont catalogués. La demander à la librairie.

Digitized by Google

LE PÈRE FAGES, O. P.

OEUVRES

DE

Saint Vincent Ferrier

TOME SECOND

COMPRENANT

Les Sermons Panégyriques

DE SAINT THOMAS, APÔTRE (21 DÉCEMBRE) JUSQU'AU JOUR DES MORTS

PARIS

LIBRAIRIE A. PICARD et FILS | LIBRAIRIE A. SAVAÈTE
82, Rue Bonaparte | 15, Rue Malebranche (Panthéon)

1909

Digitized by Google

N 5
v. 2

Je soussigné déclare avoir lu l'ouvrage du R. P. Fages intitulé : « Sermons de Saint Vincent Ferrier. Sermons *De Sanctis*. » Rien ne s'oppose à sa publication.

Fr. Mannes JACQUIN O. P.
S. Th. lect.

—

Imprimatur,
Parisiis, die 16 martii 1908
Fr. Raym. BOULANGER,
Ord. Præd. Pr. Prov.

—

Superiorum consensu.

Imprimatur,
Molinis, die 1 julii 1909
CRISON, *vic. gen.*

Digitized by Google

PANÉGYRIQUES

— SUITE ET FIN —

286138

Digitized by Google

Digitized by Google

De beato Thoma, apostolo

(Canevas autographe)

Thomas unus ex duodecim qui dicitur Dydimus.
(Joan. 20, et in evangelio.)

Sex magne virtutes reperiuntur de hoc apostolo, que subtiliter possunt nominari in themate per singula verba :

Magna caritas, quia *Thomas ;*
Magna humilitas, quia *unus ;*
Magna fidelitas, quia *ex duodecim ;*
Gratiosa castimonia, quia *qui ;*
Copiosa misericordia, quia *dicitur ;*
Virtuosa patientia, quia *Dydimus.*

Prima probatur per potissimum ejus effectum, juxta istud Joan. 15 : « Majorem caritatem », etc. Nota hic quomodo, discipulis trepidantibus, Thomas dixit : « Eamus et nos, et moriamur cum eo. » (Joan. 11.) Ideo dicitur *Thomas,* id est *Abyssus.* Ps. 44 : « Abyssus abyssum », etc. — Moraliter juxta illud : « Si mortui sumus cum Christo », etc. (Hebr. 6.)

Secunda probatur per ejus propriam causam, juxta illud Bernardi : « Humilitas est verissima proprii defectus cognitio. » Nota quomodo ceteris apostolis non cognoscentibus aut abscondentibus propriam ignorantiam, dicit Thomas : « Domine, nescimus quo vadis », etc. (Joan. 14.) Et ideo dicitur *unus*, id est singularis. Eccle. 4 : « Unus est et secundum non habet », etc. — Moraliter juxta illud : « Ve qui sapientes estis in oculis vestris. » (Isa. 5.)

Tertia probatur per manifestum ejus actum, juxta illud II Cor. 4 : « Habentes fidei spiritum credimus, propter quod et loquimur. » — Nota quando dicit : « Dominus meus et Deus meus. » (Joan. 20.) — Ideo dicitur « *ex duodecim* ». Joan. 11 : « Nonne duodecim hore », etc. — Moraliter juxta illud : « Corde creditur ad justitiam. » (Rom. 10.)

Quarta patet in ejus legenda, quando in nuptiis regalibus injunxit castimoniam sponso et sponse, quasi diceret : « Sint lumbi vestri precincti », etc. (Luc. 12.) Ideo dicitur *qui.* Prov. 12 : « Qui diligit cordis munditiam », etc.

Quinta patet in legenda, quando per eleemosynas edificavit palatium

Digitized by Google

regi in celo, juxta illud : « Scimus quoniam si terrestris domus », etc. (II Cor. 5.) Et ideo *dicitur,* id est famose nominatur. Math. 26 : « In toto mundo dicetur quod hec fecit in memoriam ejus. »

Sexta patet in legenda, quando fortissime sustinuit martyrium pro Christo, memor ejus verbi : « In patientia vestra possidebitis animas vestras. » (Luc. 21.) Ideo dicitur *Dydimus,* id est geminus seu dubius, propter carnis trepidationem. Math. 26 : « Spiritus quidem promptus est. »

De sancto Thoma, apostolo

(Recueil imprimé)

Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Dydimus.
(Joan. 20, et recitatum est in evangelio hodierno.)

Sicut tota solennitas hodierna est beati Thome apostoli, ita etiam et sermo. Sed salutetur prius virgo Maria.

Verbum thematis est responsio questionis quam possent facere ignorantes dicendo : « Quod festum est hodie, et iste sanctus quomodo vocabatur ? et qualis dignitatis fuit ? » — Respondet thema : « Unus ex duodecim », etc. Et est quasi descriptio, continens nomen et conditiones sancti Thome.

Quesivi amore vestri virtutes apostoli hujus tam in historia evangelii quam in legenda. Inveni de eo sex magnas virtutes, tres enim colliguntur ex textu evangelii Joannis, alie tres de ejus legenda, que subtiliter et ingeniose possunt notari in themate juxta singula verba.

Prima est alta charitas, quia Thomas.
Secunda vera humilitas, quia unus.
Tertia clara fidelitas, quia ex duodecim.
Quarta castimonia gratiosa, quia qui.
Quinta misericordia copiosa, quia dicitur.
Sexta patientia virtuosa, quia Dydimus.

Ecce hic tota nostra materia comprehendens totam vitam sancti Thome, etc.

Dico primo, etc.: Alta charitas que est amor et devotio ad Deum super omnia, de qua dicam vobis duodecim gradus. Et videbitis in quo gradu charitatis fuit beatus Thomas.

Primus gradus est quando habet tantam charitatem ad Deum, quod totum intellectum dat Deo ad cogitandum et contemplandum. Jam scitis

Digitized by Google

quomodo res valde dilecta sepe cogitatur, et non facile obliviscitur, ut patet de filio, etc. — Secundus gradus altior, quando non solum intellectus, sed etiam voluntas desiderat honorem Dei et esse cum eo, quia res amata est multum desiderata. — Tertius quando homo recordatur de beneficiis creationis, redemptionis, justificationis, etc. Voluit enim suspendi ne aliquis sibi obediens, etc. — Quartus in ore loquendo, non vanitates, nec mendacia, sed loqui de Deo orando, non jurando, legendo, vel predicando, quia libenter homo de re valde dilecta loquitur. — Quintus in oculis ad plorandum ex Christi passione, et Christi compassione, et ex peccatorum remissione. — Sextus in auribus, audiendo missas cum devotione, quia libenter audit homo nova de re dilecta. — Septimus in manibus, ex eleemosynarum largitione amore sui. — Octavus in tibiis et pedibus, peregrinando amore sui. — Nonus in toto corpore, in jejuniis, cilicio, disciplinis, cavendo a deliciis luxurie. — Decimus, dare divitias et bona temporalia amore sui, et vivere in paupertate apostolica. — Undecimus, renunciare honoribus et dignitatibus hujus mundi. — Duodecimus et super omnes, quando amore sui homo dat vitam corporalem, quando homo est ita philocaptus de Deo, quod amore sui homo sustineret mortem antequam aliquid faceret contra eum. Si enim homines mundani pro una muliere vana sustinent, etc., quanto magis pro Deo, etc. Et iste est major et altior gradus charitatis. « Majorem charitatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » (Joan. 15.) Nullus est tam bonus amicus sicut Christus. Ista dicitur alta charitas.

Item, charitas est amare proximum amore Dei; et habet sex gradus.— Primus, ascendendo, est habere de corde placitum de honore et commodo proximi. — Secundus est in ore, quando dilectio que stat in corde explicatur in ore, salutando et dicendo bonum de ipso. — Tertius est in corpore: sc. serviendo, laborando, sociando, etc. — Quartus est sucurrendo proximo de bonis temporalibus et septem operibus misericordie ; sc. alendo pauperem et dando potum sitienti. Et ideo multi qui facerent superiores gradus, sc. amarent proximum de corde, ore et corpore ; de bonis suis non darent eis cibum, etc. Et ideo est melior gradus iste superioribus, ita ascendendo. — Quintus est dare de bonis spiritualibus, sc. de scientia, consulendo ; et devotione, instruendo, et oratione, et operibus spiritualibus. — Sextus est dare vitam suam pro defensione proximi sui, nam ponit se ad mortem pro defensione proximi contra injurias et persecutiones, et vexationes. In isto gradu fuit beatus Thomas.

Diceret aliquis : Etiam et alii apostoli. — Dico quod non ita excellenter in casu quem dicam vobis. Legitur Joan. 8 : Quod cum Christus predicasset Judeis de sua eternitate et divinitate, Judei voluerunt lapi-

Digitized by Google

dare Christum tanquam blasphemum, sed quia nondum venerat hora sue passionis, nec tali morte erat moriturus, dicit Joannes quod abscondit se, id est fecit se invisibilem, et ivit ad aliam provinciam, sc. Galilee. Sed cum tempus passionis appropinquaret, dicit apostolis : « Eamus iterum in Judeam. » (Joan 11.) Cogitate quando apostoli qui erant adhuc timidi audiverunt, etc., et dixerunt Christo : « Rabbi, nunc querebant te Judei lapidare, et iterum vadis illuc ? Thomas autem super alios dixit : Eamus et nos, et moriamur cum eo ». Quasi dicat : Nunquid gloriosius nos possumus mori ? — In isto casu omnes apostoli timuerunt preter beatum Thomam. Ecce quomodo erat in altiori charitate.

Iste gradus charitatis ostenditur in hoc quod dicitur Thomas, quod hebraice interpretatur abyssus, que est profunditas obscura et immensurabilis ; et fuit in eo completa prophetia David dicentis : « Abyssus abyssum invocat », dicens : Eamus et nos, etc. Mors enim abyssus erat ante Christi passionem, quia per eam omnes descendebant in abyssum inferni : « In voce catharactarum. » — Nota : catharacte secundum primam significationem sunt ostia sive aperture acute fluviorum, unde aqua fluit, ut patet de Nilo, fluvio Aegypti ; et quando aqua exibat, faciebat sonum. Transumptive autem nubes dicuntur catharacte. « Catharacte celi aperte sunt, et facta est pluvia super terram. » (Gen. 7.) Figurative autem apostoli dicuntur catharacte, secundum beatum Augustinum, ex abundantia aquarum, sc. doctrinarum evangelicarum cum magnis vocibus predicando, quas doctrinas Deus misit in hunc mundum sterilem, per apostolos ad fructificandum. Vox autem catharactarum, id est apostolorum, fuit tremulosa, quando dixerunt Christo : « Rabbi, nunc Judei », etc. Sed abyssus, id est Thomas, abyssum, id est mortem, invocat, sc. super vocem catharactarum, sc. apostolorum dicens : Eamus et nos, et moriamur cum illo.

Moraliter hic multi sunt similes apostolis, et non beato Thome, quia multi sunt qui non audent ire cum Christo per bonam vitam, qui timent lapidari cum apostolis. Lapides duri sunt verba derisoria, et *truffe*, que fiunt a malis ad infernum euntibus cum Judeis. Multi religiosi sunt et clerici, qui non audent sequi Christum, ne dicatur eis : « Hipocrita », etc., sed sicut Thomas non timeamus, dicendo : Eamus et nos, sc. per bonam vitam et per penitentiam, moriamur cum ipso. Vultis cognoscere debilitatem illorum, qui isto timore non sequuntur Christum ? Dicatur similitudo de puero parvulo, qui mittitur a patre, qui videns catellum in via latrantem, non audet transire cum tamen non posset sibi nocere. Multi sunt hodie in ista stultitia, quia pater noster Jesus Christus, et mater nostra Ecclesia sancta mittit nos ut portemus jocalia bone vite, usque ad portam paradisi, que est mors, et multi sunt qui non audent transire ex latratu caniculorum, id est malarum persona-

Digitized by Google

rum timore, de quibus dicit David : « Sagitte parvulorum facte sunt plage eorum, et infirmate sunt contra eos lingue eorum. » (Psal. 63.) Nota de sagittis et balistis puerorum. Sagitte sunt quasi palee, que non interficiunt muscam. Tales sunt lingue obloquentium, infirmitate, id est debilitate contra eos, sc. bonos. Ideo requiritur solum quod intentio sit bona, et dicere cum apostolo : « Magnificabitur Christus in corpore meo sive per vitam sive per mortem, mihi autem vivere Christus est, et mori lucrum. » (Ad Phil. 1.)

Dico secundo de ejus vera humilitate. Videamus vera humilitas unde procedit. — Sciendum quod sicut superbia venit in cor cogitando proprias excellentias, ita humilitas venit in cor cogitando proprios defectus. V.gr.: quando homo cogitat suum genus magnum, et nobile, etc., cor ejus movetur ad superbiam, etc. Sed si cogitet defectus dicens : O miser ego sum generosus secundum corpus, sed secundum animam ex peccatis meis sum turpis et deformis. Idem de pulchritudine et dispositione corporis, de qua multi habent superbiam, et vanam gloriam. Sed cogita quomodo anima est turpis et maculata. Idem cogitando, quod habes magnas divitias, redditus, possessiones, etc., sed cogita quomodo in anima es pauper, sine meritis, quomodo nudus apparebis coram Deo in morte; et sic humiliatur homo. Idem qui superbit de scientia dicens : O miser, Deus dedit mihi magnam scientiam, et ego habeo malam conscientiam, et humiliaberis cogitando defectus, sicut pavo quando respicit caudam pulchram et plumas pulchras, superbit, sed quando respicit pedes turpes et deformes, humiliatur et deponit caudam. Ita de illis qui habent superbiam, respiciendo plumas vanitatis, etc. Sed quando respiciunt pedes, sc. peccata, et vilitates, et defectus, humiliantur. Ideo beatus Bernardus definiens humilitatem per causam dicit : Humilitas est verissima proprii defectus cognitio. Qui ergo vult humiliari, sepe cogitet proprios defectus.

Istam virtutem humilitatis habuit beatus Thomas super omnes alios apostolos in casu quem vobis dicam. Dominus Jesus Christus in nocte passionis facta cena recipiens congerium ab apostolis, consolabatur eos, inter alia dicens eis : « Quo ego vado scitis, et viam scitis.» Dixit ei Thomas : « Domine, nescimus quo vadis, et quomodo viam scire possumus? » (Joan. 13.) Apostoli autem tacebant, ut quasi gauderent, quia Christus commendabat eos de scientia, et tamen nesciebant quo Christus ibat, vel quia verecundabantur petere quo ibat, ne viderentur ignari. Sed beatus Thomas cognoscens et confitens defectum suum pro se et pro aliis dixit : « Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire ? » — Est hic questio : Christus dicebat : Quo ego vado scitis, etc. Thomas dixit : Domine, nescimus quo vadis.— Videtur quod alter ipso-

Digitized by Google

rum dicat falsum. — Responsio : Terminus ad quem Christus ibat erat dolorosa passio. « Nonne hec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? » (Luc 24.) Christus vero multoties predicaverat de sua passione et resurrectione, ideo apostoli sciebant viam et terminum. Et hoc dicebat Christus : « Quo ego vado scitis, et viam scitis », sed apostoli nesciebant quod Christus iret ad illum terminum, nec per illam viam, sicut v. gr.: si dicerem vobis, habeo ire ad talem locum, et dicerem vobis : Quo ego vado scitis, etc. Sic de apostolis, nesciebant viam, etc., quia nesciebant quod per viam passionis Christus iret ad gloriam resurrectionis. Ideo dixit : Quomodo possumus viam scire ?

Ecce magna humilitas beate Thome. Ideo dicitur « unus », id est singularis inter alios ad cognoscendum proprium defectum. Et videtur in eo completa fuisse prophetia illa : Unus est, sc. Thomas, apostolus singularis, sc. in collegio apostolorum, et secundum non habet, qui sc. cognosceret defectum ; non filium, non fratrem. Filius est Joannes evangelista, de quo Christus dixit virgini : Ecce filius tuus. — Frater Petrus, quia sicut frater fratri committit domum, ita Christus Petro commisit Ecclesiam. Nec alii apostoli cognoverunt defectum suum. nisi beatus Thomas, et ideo dicit : « Et tamen laborare non cessat. » (Eccl. 4.) Supple scire veritatem dicens : Domine, nescimus quo, etc.

Moraliter instruimur hic exemplo beati Thome ne verecundemur confiteri nostram ignorantiam, et petere dubia ab illis qui sciunt. Quia ista superbia que est in mundo, sc. verecundia, de dubiis certificari, ne homo reputetur ignarus, multa mala facit. V. gr.: Multi nesciunt se signare, et verecundantur petere. Idem de *Pater noster, Ave Maria, Credo in Deum,* etc.— Item quot clerici qui errant in formis sacramentorum, et que damnatio ? Et ex verecundia nolunt petere, etc.— Item quot notarii ignorantes, qui recipiunt contractus, et nesciunt clausulas, etc. Nihil valebit instrumentum vel testamentum. Et ideo sequuntur questiones et divisiones.— Item quot male sententie, quot false advocationes ex ignorantia ! Et nolunt petere ab antiquis juristis.— Item quot mortes sequuntur ex ignorantia medicorum ! Et nolunt petere, sed, etc. — Item quot errores predicantur a religiosis vel clericis ex ignorantia ! Et nolunt petere, imo verecundantur sermones predicare alterius, sed vadunt ad concordantias. — Item quot jejunia franguntur et festa ex ignorantia, quia non fuerunt in missa in dominica, etc. Ideo dicit scriptura talibus. « Ve qui sapientes estis in oculis vestris, sed non Dei nec gentium, et coram vobismetipsis prudentes. » (Esa. 5.) Ideo deponatur talis verecundia damnata, tenendo consilium Moysi dicentis : « Interroga patrem tuum, et annunciabit tibi ; majores tuos, et dicent tibi. » (Deut. 32.)

Dico tertio clara fidelitas. — Fidelitas enim non est obscura quando

Digitized by Google

in corde credit quod dicit ore, sicut David dicit Psal. 115, et Paulus 2 ad Corinth. 4 : « Scriptum est : Credidi, sc. in corde, propter quod locutus sum. » Et nos credimus, propter quod et loquimur.

Istam habuit beatus Thomas super omnes alios Apostolos in isto casu. Postquam enim Christus surrexit a mortuis, apparuit apostolis, sed non erat ibi beatus Thomas. Apostoli autem gavisi sunt viso Domino, habuerunt enim fidem resurrectionis in corde, sed non legitur aliquid eos dixisse ore. Apostoli autem dixerunt Thome quomodo viderunt Dominum. Qui dixit eis : « Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, non credam. » (Joan. 20.) Deinde post dies octo iterum apparuit eis Jesus, et Thomas erat cum eis, quibus salutatis dixit Thome : « Infer digitum tuum », etc. — Qui credidit in corde, et locutus est ore clamando dicens : « Dominus meus et Deus meus. » Dicunt Augustinus et Gregorius quod Christus voluit ut palpando probaret, ut sequentes confirmaret. Non legitur quod aliquis apostolorum post Christi resurrectionem ita confiteretur fidem divinitatis Christi, « Deus meus », et humanitatis, « et Dominus meus ». Ideo dicitur « ex duodecim ». Ratio est : Christus enim volens ostendere claritatem fidei apostolorum dixit : « Nonne XII hore sunt diei ? » (Joan. 11.) Dies clara est Christus. Duodecim hore clare hujusmodi diei sunt XII apostoli. Inter quos beatus Thomas in hoc quia ore confessus est fidem, fuit clarior. Hoc patet autoritate Ecclesie, que apostolos nominando in sacro canone ponit Thomam sexto loco dicens : « Petri, Pauli, Andree, Jacobi, Joannis, Thome » ; ubi sexto loco ponitur Thomas. Jacobus vero 7, et Matth. decimo loco ponitur. Modo clarum est quod quando dies habet XII horas, hora sexta diei clarior est, et fuit hora quando Christus dixit : « Si quis ambulat in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt. » (Joan. 10.) Sic Thomas ambulavit in luce clare fidelitatis.

Moraliter in hoc mundo oportet habere claram fidelitatem in corde credendo, et in ore loquendo, et fidem confitendo, dicendo : *Credo in Deum,* mane et sero, cum protestatione, sicut miles faciens regi homagium, talis virtute fidei ad bonum finem venit. Autoritas : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » (Ad Ro. 10.)

Tres virtutes alie sunt de legenda sive de historia.

Dico quarto, etc., castimonia gratiosa : fuit enim castissimus intantum, quod loquendo verbis impressit voluntatem castitatis in cordibus audientium, quia verba recipiunt saporem a proferente. Si proferens superbus fuerit, verba recipiunt saporem superbie. Si humilis, humilitatis, et sic de aliis. — Dicatur quomodo post pentecostes apostoli diviserunt sibi mundum ad predicandum. Dicatur historia quomodo beatus

Digitized by Google

Thomas ivit ad Indiam, et dum iret fuit in quadam civitate, et audivit preconem dicentem : quod omnes qui essent in civitate essent in convivio de nuptiis filie regis sub pena indignationis : « O ! dixit beatus Thomas : Nos possumus etiam esse ibi ? » — Et fuit in nuptiis ; et sicut erat male indutus, cogitate quod fuit de ultimis. Jam scitis in nuptiis quot dissolutiones et excessus fiunt. Quod videns beatus Thomas, per quamdam fenestram respiciens celum contemplabatur, sive contemplando flebat. Quod videns unus qui serviebat de aqua, percussit eum alapa dicens : Iste proditor confundit regem, omnes letantur et gaudent, et ipse plorat.— Subito beatus Thomas, ut tangit Augustinus, habuit revelationem de punitione percutientis. Ad quem dixit beatus Thomas non ad vindictam, sed ut divina virtus manifestaretur coram omnibus : « Antequam surgemus, manus tua per os canis portabitur huc. » Quod ita factum est. — Ex isto miraculo rex voluit ut benediceret sponsum et sponsam, qui adhuc erant virgines ; et benedixit eis dicens : Domine Jesu Christe, amator castitatis et puritatis, da benedictionem tuam super istos, etc. — Subito enim corda eorum fuerunt ita alterata, intantum quod fecerunt votum virginitatis. — Ecce virtus sue castimonie quid fecit. Et baptizavit eos, et fuerunt sancti et multi fuerunt ibi conversi.

Ecce castimonia gratiosa de ipso transiens ad alios. Ideo dicitur *qui*.

Qui enim scribitur tribus literis, ita castitas conservatur cum tribus, sc. in corde non desiderando illud, etc., nec ore loquendo, nec corpore faciendo. De isto *qui*, autoritas : « Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum habebit amicum regem. » (Prover. 22.)

Dictio *qui* significat etiam castitatem propter quinque gradus castitatis, qui significantur per quinque determinationes quas relativum *qui* habet. Et ideo modo habebit servire modicum ancilla, sc. grammatica quod dicat de relativo *quis*. Et dicit quod habet quinque determinationes, sc. *quis* vel *qui, que, quod* vel *quid*. Et de singulis dabo autoritatem in domina theologia. — Et primus gradus castitatis est in corde, sc. quando persona non curat aliquo modo de luxuria, neque cogitando, neque desiderat habere placitum de illo actu ; sed statim cum venit tempestas, dicit : Jesus ! Et hunc gradum significat dictio *quis*, ut habetur Prover. 20 : *Quis* potest dicere, etc., a peccato ? » Et in hoc gradu non fuerunt sponsi : nam jam desideraverant corde, licet corporaliter essent casti. — Secundus gradus est in corpore, quando non sit corruptio corporaliter, licet desideraverit in corde. Et in hoc gradu fuerunt sponsi quia corporaliter non fecerunt luxuriam. Et hunc gradum significat dictio *Qui*, ut habetur Proverb. 22 : « *Qui* diligit cordis munditiam, etc., amicum regem. » — Tertius gradus est in conjugio : nam

Digitized by Google

servant ad invicem castitatem et fidem matrimonii, licet corde desiderent illud placitum, et corpore adimpleant inter se ; quia castitas matrimonialis est. Et hunc gradum significat dictio *que*, ut habetur 1 ad Cor. 7 : « *Que* nupta est, etc., placeat viro. » — Quartus gradus est viduarum : nam licet fuissent aliquo tempore in matrimonio, tamen servant castitatem, et non curant amplius nubere ; et faciunt penitentiam et orationem, et surgunt de nocte ad matutinas postquam libere sunt a marito : nam que habent maritum non possunt ita libere facere ista si marito displicet : imo peccant faciendo illa contra voluntatem mariti. Et hunc gradum significat dictio *quod*. Et ideo dicebat Christus suis apostolis, qui dimiserant uxores, ipsis volentibus, ut habetur Mar. 13 : « Quod vobis, etc., dico : Vigilate. » — Quintus gradus est personarum solutarum, sc. clericorum, religiosorum et juvenum, qui numquam nupserunt, nec desiderant nubere, licet jam aliquando corde desiderando et corpore adimplendo fecerint luxuriam. Et hunc significat *quid* ut habetur Deut. 10 : « *Quid* Dominus Deus, etc., in viis ejus. » Et ideo dicit thema, *qui ;* significando secundum gradum castitatis, quem procuravit beatus Thomas in sponsis regis : nam licet vellent consummare matrimonium, et ita amiserunt primum gradum castitatis que est in corde : tamen remanserunt in hoc gradu castitatis corporis.

Et ideo ex hoc habemus doctrinam moralem, ut retineatis castitatem contra luxuriam, que multum regnat in mundo. Nam jam non invenitur salva caro, sed totum est corruptum : nam neque primus gradus castitatis, neque ceteri servantur : nam neque maritus, neque uxor servant fidelitatem ; imo alique veniunt pregnate ad missam ; imo si aliquis juvenis vult esse castus, et non ire ad lupanaria, non inveniet uxorem. Ad hoc habetur autoritas Tobie 4 : « Fili, mihi, etc., crimen scire. »

Moraliter : Audivistis quod illi sponsi virgines venerunt ad matrimonium. — Videatis modo quomodo veniunt, quia nisi perquisierint omnia lupanaria. David ps. 13 : « Corrupti sunt, et abominales facti sunt, non est qui faciat bonum », sc. castitatis, non est usque ad unum, sc. de adultis. Domicelle credo quod veniunt virgines, utinam non mentiar ! Ideo perdunt gratiam Dei in matrimoniis. Ideo Christus : « Sint lumbi vestri precincti, et lucerne ardentes, id est bona opera in manibus vestris. » (Luc. 12.)

Dico quinto, etc., sc. misericordia copiosa, opere et verbo predicando ut facerent eleemosynas, quia tales nunquam sunt egentes. — Dicatur quomodo quando fuit in India, rex volebat fabricare palatium, tunc Thomas habuit occasionem, et dixit regi quod ipse erat magister, etc., dicens quod faceret fundamenta que non possent dirui, nec parietes, et quod palatium esset inexpugnabile ; et non mentiebatur, quia

Digitized by Google

loquebatur spiritualiter. Fundamenta sunt articuli fidei. « Fundamentum aliud nemo potest ponere preter id quod positum est, quod est Christus Jesus », id est fides Jesu. (I ad Cor. 3.) — Parietes sunt virtutes. Fenestre sunt contemplationes. Tectum est charitas. — Rex autem erat totus carnalis, et non intelligebat. Et quia erat recessurus a regno, tradidit magnas pecunias beato Thome, et dedit sibi unum scutiferum ut custodiret pecunias, etc. Thomas autem intra se dixit : Oportet primo me convertere istum, etc. Et ita fecit. — Deinde obtenta litera a rege, quod in toto regno et civitate fieret illud quod Thomas preciperet, tunc beatus Thomas incepit predicare Christum, et edificare ecclesias de illis pecuniis, in tantum quod acquisivit Christo magnam multitudinem gentium. Cum autem rex rediret, obviantibus sibi suis de regno, quesivit de palatio, etc. — Responderunt, de quo palatio? nihil est. — Rex vero reputavit se deceptum. Ideo cepit et incarceravit beatum Thomam.

Dicatur de resurrectione fratris regis, etc. Ecce de sua misericordia copiosa. Ideo dicitur : « Qui dicitur », id est famose nominatur, quia persone misericordes famose nominantur. Autoritas : Dicit Christus de Magdalena que fuit misericors : « In toto mundo dicetur, id est, nominabitur quod hec fecit in memoriam ejus. » — Moraliter credo quod nullus vestrum est quin in celo vellet habere palatium, et non curatis edificare, sed edificatis hic palatia, domos, cameras, que destruentur in brevi. Edificate ergo in celo unam cellam, fundatur enim eleemosynis. Si magnas eleemosynas facitis, magnam domum habebitis, sin autem remittet vos ad hospitale miserorum, sc. ad infernum. Ideo avisetis vos ut habeatis domum ubi semper habetis stare. Et hic habemus doctrinam, ut cum duobus florenis emamus palatium celi, sc. cum vera credentia et firma obedientia per bona opera : maxime per opus misericordie que multum prodest ad mercandum palatium celi. Et non oportebit tantum thesaurum expendere sicut fecit beatus Thomas. Sed multi sunt qui volunt mercare pro uno floreno, sc. vera credentia : ut mali Christiani, qui licet credant, tamen non habent obedientiam ; et ita non habebunt palatium celi. Alii sunt ut Judei et Mauri, qui alio floreno volunt emere, sc. firma obedientia, et similiter non habebunt. Et ideo emamus eum istis duobus florenis et sic habebimus palatium celi.

Dicunt viatores quod una mala nox leviter transit, sed semper stare, etc. Avisa. — Ideo Apostolus 2 Corinth. 5 : « Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod edificationem a Deo habemus domum non manufactam, sed eternam in celis. »

Dico sexto, etc. Patientia virtuosa est quando pro Christo homo est paratus sustinere patienter injurias verbosas, vel etiam in operibus, sc. mori pro Christo. Ideo Christus : « Trademini a parentibus... In patien-

Digitized by Google

tia vestra possidebitis animas vestras. » (Luc. 21.) — Dicatur ejus martyrium, quod fuit in ultimo Indiarum, ubi adorabant solem tanquam Deum, quia non videbant pulchriorem creaturam. Beatus autem Thomas incepit predicare contra istum errorem.

Dicatur quomodo volebant quod discalciatus iret super laminas ferreas ignitas. Et signans se signo crucis, fons erupit, et eas extinxit. Secundo fuit positus in furno ferreo ignito, in quo stetit per diem orando ac si esset in prato. Tunc dixit quidam incantator : Deus suus conservat eum, sed faciamus quod faciat aliquid contra Dominum seu Deum suum, et dimittet eum. Tunc duxerunt eum ad templum solis ut adoraret per vim ; tunc non fuisset peccatum si vi adorasset, quia peccatum, ideo peccatum, quia voluntarium. — Et dixit : ego adoro non solem, sed Deum, non creaturam, sed creatorem. — Et precepit demoni ut egrederetur de idolo, et comminueret, et ita factum est. Quod videntes pontifices templi, et sacerdotes, lanceis interfecerunt eum, etc.— Ideo dicitur « Dydimus », id est Deo dubius, vel geminus, id est duplicatus. Angeli enim sunt simplices, nos autem sumus gemini, quia habemus spiritum ut angeli, et carnem sicut animalia. « Spiritus quidem promptus est, sc. ad patiendum, caro autem infirma. » (Mat. 26.) Vel dubius, quia caro dubitat mori.

Moraliter : si tantum Deo constitit paradisus, et Apostolis amicis Dei, quid faciemus nos, quo precio ememus ? Et hic habemus aliam doctrinam, ut pro Christo velimus sustinere aliquam afflictionem in carne : faciendo penitentiam, portando cilicium, vel disciplinare se, vel jejunare, vel vigilare, nam omnes sumus peccatores et debitores Christi, et nullus potest excusari. Et ideo solvamus sibi debitum, dum habemus spacium in hac vita, ut habetur Ad Roman. 8 : « Debitores sumus non carni, etc., mortificaveritis, vivetis. » Simus penitentes, ut ad suam perveniamus societatem. Amen.

Comme toujours, le ms de Valence se distingue par l'originalité des expressions et la familiarité du ton, mais le fond est le même.

Multe persone rudes et simplices que non sciunt in quo die comedunt panem, possunt facere questionem : Hoc festum quomodo apellatur ?

Il s'excuse de sa division, étrange en effet, en disant qu'il l'a trouvée dans l'Ecriture, — *subtiliter vero.*

Sed modo venit una questio a me quesita : An ille qui tempore Antichristi renegavit ore non corde Christum, et postea [habuerit] ma-

Digitized by Google

gnum displicitum quare renegavit, sed fecit timore Antichristi ne eum occideret, renegavit? — Et dico quod non debebat facere, nam furatur, renegando Christum, honorem et famam ab ipso, quia diffamasti eum dicendo quod non erat Deus et homo filius Dei... Si tu furasti raupam vel famam alicui, per multam contritionem quam habeas, non dimittitur peccatum nisi restituas totum, et revocando famam si habes opportunitatem ; ita in questione secundum quam tu furatus fuisti honorem Christo renegando eum, non poteris salvari donec sibi restituas revocando totum, si habes opportunitatem, alias excusaris per contritionem. Nam mori debet quis pro Christo, ut habetur (1. Tim. 2): « Fidelis sermo... si mortui sumus pro Christo. »

Ad secundam virtutem de *verdadera humildat...* Item, Judei et Moros, si aliquid vos retinet in infidelitate, mittatis mihi, quod ego declarabo vobis hoc coram omnibus, et ita non habeatis ferrum in cor, sc. dubia. Et de hoc habetur Deut. XXXII : « Dierum antiquorum cogita ...et dicent tibi. »

Ad tertiam virtutem de clara *fieldat...* quotidie hic videtis per gratiam Dei quod ego pro ipsis coram omnibus confiteor quod sunt christiani facti ; et ita confitentur fidem suam, nam ipsi, interrogati per me si sunt facti christiani, respondent quod sic. Nam antiquitus antequam aliquis baptizaretur prius erat necessarium quod instrueretur in fide... licet modo non fiat, sed solum queritur an velint fieri Christiani per bonam intentionem ; et est ratio quia si modo spectaremus quod prius addiscerent *Credo in Deum*, interdum posset intervenire aliqua turbacio et non convertentur. Et sic confiteamini fidem.

« In voce cataractarum tuarum. » Et cataracte sunt rumor, quem faciunt aperture aque multum represse : nam facit *tara, tara ;* vel quando aliqua canalis projicit aquam, que erat congregata in ipsa et repressa. Et propter hunc rumorem, quem faciunt nubes invertendo aquam dicuntur *cataracte*. Et ideo cataracte sunt Apostoli, qui stabant in suo studio quieti sicut aqua cum stat repressa ; sed postea in predicatione faciunt rumorem sicut cataracte, clamando et dicendo Gentibus ut convertantur. Et nunc ego sum cataracta, clamando et predicando vobis *despachando* [*emittendo*] *la repressa,* quam tenebam de materia quam studui in hac nocte.

...(Rex) interrogavit eum quis erat ipse : et dixit quod erat edificator domorum et palaciorum et camerarum multum preciosarum, nam ipse sciebat facere palacium quod non posset aliquo modo pugnari. Item fenestras quod de nocte resplendescerent sicut de die. Item cameras in quibus nunquam faceret frigus, neque intrare aër (*sic*). Et rex dixit sibi ut inciperet edificare, et quod ipse staret per duos annos absens, et ita quod inter illud spacium habuisset expletum. Et dedit sibi unum homi-

Digitized by Google

nem qui tenebat infinitum thesaurum ; et dedit in mandatis dicto homini ut omnia que peteret ab eo beatus Thomas sibi daret. Et ita beatus Thomas cepit convertere dictum hominem et socium sibi datum, et cepit predicare aliis de civitate et convertebat multos ad fidem ; et faciebat construere ecclesias et hospitalia et alia pia, intantum quod totum thesaurum expendit... Et transactis duobus annis rex venit et fecit venire ad se beatum Thomam dicens ubi erat palacium ?... Et respondit quod in celo, et jam erat edificatum a principio mundi, sed ipsum emerat dando thesaurum. Et tunc iratus fecit eum mitti in carcerem.

... Et fecit eum ponere in *landis* [*planches*] ferreis igneis ; et in nomine Patris se projecit in ipsis, et statim emanavit quidam fons quod nullum malum habuit.

Et tunc iterum fecit eum projici in furno ferventi per diem ; et exiit quod ne quidem sudavit. Et tunc hoc rex videns de malicia putabat mori. Et ideo dixit quidam : Domine, si non facitis quod veniat in iram Christi quem invocat, semper sibi adjuvabit. Et ideo tunc portaverunt eum ad ydolum ut adoraret. Et tunc apparuit angelus dicendo quod elegisset an vellet mori pro Christo, vel quod veniret ignis qui occideret eos. Et elegit magis mori. Et precepit ut caderet ydolum. Et ita factum est. Et tunc *alanzados* [*coups de lance*] occiderunt eum.

Le ms de Toulouse offre quelques détails complémentaires, non sans intérêt.

Modo moraliter : si non possumus habere tantam gratiam ut moriamur pro Christo, saltem habeamus ad mortificandum carnem nostram cum jejuniis, vigiliis, laboribus, quia omnis labor quem sustinet homo patienter est penitentia carnis. Et quis dicet penitentiam non esse acceptabilem Deo, sicut penitentia Bernardi, Benedicti, Dominici et aliorum sanctorum ?... Ideo beatus Paulus Col. 3 : « Mortificate membra vestra... » — Sed dicet quis : Numquid [non] est peccatum abreviare vitam et destruere seipsum ? — Ego dico quod licet vita abrevietur, tamen homo non facit illa intentione, sicut ille qui sepe comedit porcum quem scit sibi esse contrarium : ex quo venit febris et moritur. Ergo propter hoc erit in periculo dampnationis ? — Non. — Quanto minus si ob reverentiam Dei, et discrete secundum suam complexionem... Sicut fratres sancti Francisci qui nudis pedibus incedunt, non intentione moriendi, sed complendi regulam. Ideo Paulus : Nichil dampnationis est iis qui secundum carnem non ambulant (Rom. 8).

(Ad humilitatem). Item de sacerdotibus nescientibus modum consecrationis... Et timeo quod non dicant omnia verba sacramentalia. *O malvat !* — Item quot jejunia franguntur quia nolunt petere utrum sit

Digitized by Google

jejunium ecclesie! — Sed dicetis quod non fregistis sed *doblegastis*. — Scitis quid vult dicere *doblegare?* — Quidam solemnis doctor, magister in jure canonico, declarat quod nichil quod in prandio solet apponi est sumendum pro collatione : nec olive, nec *dactili* aut avellane *toste*, nec *mata falva* non confecta... [nam] nisi mutet per confectionem speciem suam non debet sumi. Ideo multi errant. — Sed dices : Ego vidi papam et cardinalem, et talem qui ista credebant. — Oy ! et credis non intrant infernum !

Au sujet de *clara fidelitas :*

Fides est lucerna ardens in laterna cordis « Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine » (Ps. 17) : Nota « Tu Domine », quia fidem habemus a Deo, non a philosophis et poetis. — Candela in loco clauso abscondita extinguitur nisi respiret. Vel alias moraliter super illud : « Si quis ambulaverit in die ». Dies est fides nostra contenta in *Credo*. Duodecim hore hujus diei sunt duodecim articuli ; ideo qui ambulat in istis non offendit. Vult dicere *supelar*. Et scitis quomodo *supelares?* — Quando veniet antichristus et dicet tibi : tu quis es? Dices : Christianus. Dices immediate *Credo in Deum* totum. Et sic ambulabis videndo lucem, quia fides est quoddam *intorticium* [*torche*] hujus mundi, quia in alio evacuabitur. Fides debet esse clara ut doceamus filios, qui sunt patrini : « Custodi virum istum qui, si lapsus fuerit, anima tua pro anima ejus. » (II. Reg. 20.) Ideo *avisate* vos qui estis patrini, quia si pater vel mater non docet, vos tenemini.

De castimonia gratiosa : Christus dixit beato Thome : Tu ibis ad Indos. — Cui Thomas : Domine, mitte me quo vis preterquam ad Indos. Quasi diceret : Domine, mala gens est ibi. — Et Christus : Volo quod tu vadas. — Et ille : Placet...

Nupcie. — Et sanctus Thomas : Oh ! de nupciis erimus cras ! — Ita quod in crastinum ivit ad nupcias. Et credatis quod sedit in inferiori loco mensarum. — Et tunc venit qui serviebat de aqua, qui videns Thomam flentem dixit : Oy ! omnes rident, iste vituperat nupcias plorando. — *Tac!* dedit ei alapam. — Cui sanctus : Manum canis huc portabit et leones te comedent. — Tandem ille servitor veniens ad fontem quesitum aquam, leo eum interfecit, et bibit ejus sanguinem ; et unus canis arripuit manum et venit cum ea ad nuptias. — Quod videntes convive dicebant : Ecce ! videte ! videte ! — Et rex : Quid est hoc? Certe manus talis servitoris dantis aquam. — Et dixerunt : Quomodo? etc. — Tunc rex posuit se ad pedes apostoli, dicens : O sancte Dei ! velis benedicere filiam meam et GENDRE *(sic)*. Et sanctus Thomas statim benedixit. — O juvenes ! sint lumbi vestri precincti ! Et vos, mulieres, erga filias vestras lucerne vestre ardentes ut eas custodiatis bene.

Digitized by Google

Misericordia copiosa.— Et rex : O proditor ! ita trupharis de me !... Ponatur in carcere, et cogitabo qua morte morietur. — Et hoc ipso cogitante, venerunt nova quod frater ejus erat mortuus. Et dum volebant facere exsequias, mortuus resurrexit. Quo viso omnes fugerunt. Et qui fuerat mortuus clamabat : Veni, frater, veni, germane ! Dico tibi quod ad hoc ego sum resuscitatus ut denuntiem tibi quod vidi, nam vidi unum pulcherrimum palacium tam altum et mire fabricatum. O quis esset portarius ibi ! Ideo respice omnes meas civitates, et vendantur ut fiat aliud pro me. — Et rex, videns ista venit ad sanctum Thomam petens veniam, et rogans ut aliud palacium faceret pro fratre suo. — Cui sanctus : Non oportet facere sed emere. — Et ita rex et omnes fuerunt conversi ad Deum.

De même la dernière clause : *virtuosa patientia,* est racontée avec beaucoup de *brio ;* elle vit, elle parle, elle agit.

Digitized by Google

Vigilia Nativitatis Domini

(Canevas autographe)

Inventa est in utero habens.
(Math. 1.)

Beata Virgo Maria, cum secretissime concepisset Filium Dei, Gabriele et ipsa solummodo consciis. Is. 24 : « A finibus terre, etc. » ; tandem inventa fuit gravida per sponsum, et hoc tripliciter :

Experientia sensuali ;

Sapientia divinali ;

Excellentia singulari.

De primo : juxta regulam physicam sensus non decipitur circa proprium objectum, et maxime visus. Joan. 3 : « Quod vidimus testamur. » Isto modo, Joseph invenit sponsam suam gravidam, videndo sc. ejus uterum intumescere. Et de hoc est principium evangelii : « Cum esset desponsata ...dimittere eam. » (Math. 1.) — Nota hic secundum Bernardum perplexitatem Joseph consideranti, ex una parte, sanctitatem Marie, discurrendo curiose per omnia signa inhoneste mulieris que sunt induratio cordis, garrulatio oris, incompositio corporis, ingurgitatio cibi et potus, otiositas operis, vanitas ornatus, despectio viri. Et nullum horum in ipsa videbat, sed perfectiones oppositas. Ex alia parte considerabat impossibilitatem nature. Ideo cor ejus quasi inter duas molas conterebatur. Unde tremens ne innocentem infamaret, si eam publicaret, et iterum timens ne peccato faveret, si eam secum retineret, « voluit occulte dimittere eam. » Ps. 54 : « Timor et tremor... et dixi quis dabit », etc.

De secundo : mysteria Dei ex ejus mira voluntate dependentia nisi per revelationem divine sapientie sciri non possunt, sicut nec secretum humani cordis, nisi per ipsius hominis revelationem. Sap. 9 : « Quis hominum potest scire », etc. Subditur : « Sensum tuum quis sciat ? » etc.— Joseph justus et sanctus orabat super hoc sibi Dei beneplacitum revelari. Jac. 1 : « Si quis vestrum indiget sapientia », etc. Nec dubium quin Beata Virgo compatiens ei ; etiam affectius exoraret. Et hoc modo per divinam sapientiam revelatum est ei, ut dicitur in Evangelio : « Hec autem eo cogitante, ... nobiscum Deus. » — Sed quare beata Virgo sibi non revelavit ? — Responsio : secretum commissum non est revelandum, nisi de voluntate committentis. Tob. 17 : « Sacramentum

Digitized by Google

regis abscondere », etc. — Non sic persone infideles et vane. Eccl. 27 : « Qui denudat archana », etc.

De tertio, ratio est formanda juxta illud, II Cor. 3 : « Si ministratio mortis... spiritus erit in gloria ? » Ideo dicitur quod propter magnum splendorem egredientem de facie Virginis, quasi de vase cristallino in quo lux eterna erat, non cognoscebat eam Joseph donec peperit, ut habetur in Evangelio. — Nota hic quam suppliciter veniam petebat a Virgine de suspicione habita de ea. Item quam dulciter virgo eum consolabatur congratulando. Item quam reverenter uterque adorabat Deum in utero incarnatum. O quam beata societas ! — Exemplum hic de mercatore invitante annuatim die crastina aliquem pauperem antiquum, et aliquam juvenculam habentem parvulum. Math. 25 : « Amen dico vobis, quandiu fecistis, » etc.

Ce sujet se trouve traité dans les quatre sources avec quelques différences que nous signalerons, ou incorporerons dans le texte.

Le ms de Valence est assez complet pour être suivi tout d'abord.

In Vigilia Nativitatis Domini

(Manuscrit de Valence.)

Inventa est in utero habens.

Hoc verbum scribitur originaliter Matth. 1 ; et recitatum in evangelio presentis vigilie.

Nostra presens predicatio erit de sancto evangelio presentis vigilie Nativitatis, et habebimus materiam speculativam pro Judeis, et aliquas moralitates et contemplaciones pro omnibus ; et respondebo aliquibus questionibus mihi datis. — Sed ante omnia recurramus ad Virginem Mariam presentando, etc.

Pro declaratione de isto verbo proposito et introductione materie quam teneor predicare, sciatis quod invenimus in sancta Scriptura quod Filius Dei quando venit et descendit de celo in hoc mundo ut daret novam legem, recepit formam hominis, sed dando legem Moysi in monte Sinaï recepit formam ignis ; et recepit hanc formam hominis recipiendo carnem in ventre Virginis, que est ita alta montanea magis quam celum per dignitatem, quia magis sancta et pura quam celum. — Et quomodo illo puncto quo salutavit eam Gabriel archangelus et con-

Digitized by Google

cepit, ita erat secretum quod non sciebant nisi duo, sc. Virgo Maria et Archangelus. — Et de hoc sunt duo prophetie : et prima ut habetur ps. XXIV : « A finibus terre laudes audivimus... mihi. » Et dicit bis secretum mihi, quia duo tantum sciebant secretum. Et alia habetur in ps. 71 : « Descendet sicut pluvia in vellus... terra. » Et vocat Virginem Mariam vellus, etc.

Reprenons ce début d'après le recueil imprimé.

Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.
(Matth. 1.)

Totus sermo noster est de impregnatione Virginis Marie. Sed ut istam materiam sentiatis in animabus vestris per dulcedinem devotionis, primo salutabimus Virginem gravidam. — Ave Maria.

Inter Christi conceptionem et ejus nativitatem, invenio magnam differentiam in sancta Scriptura, singulariter in hoc quia Christi nativitas non fuit omnino occulta et secreta, imo voluit quod esset mundo nuntiata et publicata, tam per angelos, quam per celos, per stellam Orientis, per animalia, per reges Orientis, secundum quod jam fuit prophetatum : « Ego commovebo celum... cunctis gentibus. » (Aggei. 2.) Nota « celum », id est angelos. Sed circa ejus conceptionem, voluit quod esset occulta, quia nulli persone hujus mundi fuit revelata ; non Patriarchis, non Prophetis, nec sanctis personis, nisi solum Archangelo Gabrieli et Virgini Marie, secundum quod fuit prophetatum per Isaiam : « A finibus terre... secretum meum mihi. » (Isai. 24.) Et loquebatur propheta in persona Gabrielis et Virginis Marie. — Nota « a finibus terre ». Fines terre capiuntur dupliciter : vel localiter, vel temporaliter.

Quantum ad primum, computando a centro terre, illud quod magis distat ad centro est circumferentia. Terra est centrum, circumferentia est celum empyreum. Ecce fines localiter a quibus Gabriel et Virgo Maria audiverunt laudes justi, id est Salvatoris. Quia regula est in Theologia quod cum dicitur justus absolute, intelligitur semper de Salvatore.

Quantum ad secundum, fines possunt capi temporaliter. Et septem sunt etates mundi temporales. Prima fuit ad Adam, usque ad Noe, etc. ... usque ad finem mundi, de qua dicit Apostolus : « Nos sumus in quos fines seculorum devenerunt. » (1 ad Corint. 10.) Ecce fines temporaliter de quibus dicunt Gabriel et Virgo Maria : « A finibus terre », id est in ultima etate mundi : « laudes audivimus, gloriam justi », id est Salvatoris. — Dicatis, Angele Gabriel, de his laudibus, et gloria Salvatoris, dicatis nobis aliquid ? — Respondet : « secretum meum mihi, » supple : tenebo. — Ecce quomodo Christi conceptio fuit occulta et

Digitized by Google

secreta, de qua David : « Descendet sicut pluvia in vellus... » (Psalm. 71.) — Et vocat Virginem Mariam, « vellus... » : nam sicut de lana alba, fit vestimentum pro induendo, ita Christus recepit carnem vestimentum de lana in carne pura et munda Virginis. — Et dicit « terram » : nam sicut terra fructificat, ita virginalis terra, Virgo Maria, fructificavit Filium Dei Christum hominem : — Et dicit : « sicut pluvia descendet in vellus » ; nam sicut secrete pluvia descendit in vellus lane, quod non sentietis, ita Filius Dei secrete descendit in illo puncto denuntiationis angeli, quod nullus scivit illud secretum, nisi Virgo et Archangelus. Patet ergo differentia inter nativitatem Christi et ejus conceptionem. Tamen, licet ejus conceptio a principio fuit ita secreta, tamen paulatim fuit manifestata ; quia mulier gravida, ad minus in partu, manifestat suum partum, sic fuit de Virgine, cujus venter et uterus intumuit, et non potuit suam impregnationem occultare. Propter hoc dicit thema propositum. « Inventa est in utero habens.» Patet thema.

Le ms de Valence reprend :

Et invenio quod Virgo Maria fuit inventa gravida a sponso suo Joseph, triplici ratione.

Ad primam *maneriam* per experienciam sensualem, sc. videndo, quod est sensus corporalis. Et declarat hoc Philosophia : Sensus non decipitur circa perceptum objectum, maxime visus nisi sit defectus ; nam audire non decipitur audiendo verba, neque odoratus in odorando *olores,* neque tactus de qualitatibus, sc. durum, vel blandum, vel asperum, vel *lixum,* neque gustus in saporibus, vel dulce vel amarum. De hoc dicit Theologia : Joan. IV : « Quod scimus loquimur... et non accipitis. » Propter hoc domini judices faciunt magnam differentiam inter testes de visu et de auditu, et de credentia, quia testis de visu est major. Ideo Christus condemnans illos qui nolebant credere testibus de visu, dicit Joan. 3 : « Quod vidimus », sc. tres divinas personas, loquimur ; quia « tres sunt qui testimonium dant in celo », sc. de Christo. (1 Joan. 5.) Vos, Judei, noluistis credere prophetis de hiis que audiebant, nec modo hiis que vidimus.

Et cum « Virgo Maria esset desponsata Joseph » qui erat virgo : et ideo voluit Deus ut haberet virgo virginem sponsum et senem ut eam custodiret, et non esset suspicio de ea ; et Virgo Maria dixisset Joseph ut facerent votum castitatis et virginitatis ; et ita fecerunt ut dicit beatus Thomas ; et Virgo Maria stasset cum sua matre Anna in Nazareth, et Joseph post desponsationem accesisset ad domum suam in Bethleem ut pararet domum suam sue sponse ; et cum parasset, post aliquod tempus reversus fuit in Nazareth ad domum Anne ubi erat sua sponsa ut eam portaret in Bethleem in domum suam.

Digitized by Google

Et cum vidisset eam pregnatam, sciens quod nunquam eam tetigerat, cogitate quid cogitavit. Et potestis cogitare quod dixit sancte Anne, matri sue, quod esset hoc? An esset hydropica, vel aliqua infirmitate detenta? Et quod malam custodiam sibi fecerat de sua sponsa. — Et beata Anna respondebat quod tam modicum sciebat sicut ipse, nisi quod quesiverat a sua filia quid erat. Et respondebat Virgo Maria: Hoc est illud quod placet Deo qui potest facere de suis creaturis illud quod sibi placet: numquid suspicamini malum de me? — Non. — Et Joseph pre verecundia non audebat dicere ad virginem. — Diceret aliquis: quando Joseph ipsam desponsavit, numquid Spiritus Sanctus descendit et virga floruit? Numquid recordabatur! — Respondeo quod ymo; sed quia sapiens, cogitabat quod Deus antiquitus fecerat magnas gracias aliquibus qui postea occiderant turpiter in peccatum, ut Adam et Eva, David, Salomon, de quo II, Reg. 7: « Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. » Et tamen cum mulieribus idolatravit. — Ideo dubitabat.

Cogitate dolorem Virginis que non audebat revelare quia « secretum meum mihi ». — Et ita Joseph stabat *ymaginosus* quid faceret. Ideo ad instar olive cor suum erat intra duas molas. Nam primo considerabat ex una parte conditiones male mulieris que sunt octo. At ideo attendatis pulchre.

Et prima conditio male mulieris est indevocio mentis, sc. non facere orationem spiritualem, timorem Dei non habere. (Et hoc quod dico de mulieribus intelligant de se homines.) Nam, Deus custodiat ipsam ab oportunitate! quia nisi mulier retineatur timore Dei, nullo alio timore retrahitur a malo. Timor Dei et devocio retinuit Susannam ne peccaret, quando dixit: « Angustie sunt mihi undique; ..... peccare in conspectu Domini. » (Dan. 13.) — Joseph autem cogitabat de Sponsa sua, si erat devota vel indevota; et videbat quod numquam viderat tam sanctam et devotam mulierem; quia semper volebat orare, vel legere, vel contemplari. Et in isto fundamento devotionis, mulier se debet fundare, alias cadet. « Fundamentum aliud nemo potest ponere, preter id, quod positum est. » (I Ad Corinth. 3.) Unde Scriptura de ea dicit Proverb. ult.: « Mulier timens Deum ipsa laudabitur. » Qui non habet timorem Dei per devotionem statim sua domus, id est caro, cadet in peccatum, sicut domus que inclinat se, et removetur ab ea *lescabo*. Et de hac condicione ecce authoritas Eccles. XXVII: « Si non in timore Domini... tua! »

Item secunda condicio garrulitas oris, quia sunt loquaces sicut *la cadernera* [*canari*]; et hoc est malum signum, quia ex verbis nulla devotio remanet in anima, sicut nec odor in capsa cum *muscalo*, que est aperta continue, quia per loquacitatem omnes virtutes queque sint

Digitized by Google

slabrantur [*sont ébranlées*], et de modico in modicum perdentur. Et ideo claudere et non aperire adventum. Et ideo dicitur: Virtus enim munita fortior est seipsa dispersa. Et ideo sunt multe mulieres quod si vultis auscultare, non oportet nisi parare aures, et ipse dicent de suo et de alieno. Et de hac condicione habetur, Prov. XIII : « Ubi verba sunt plurima... egestas. » Et ideo Joseph considerabat hanc conditionem in Virgine, et non inveniebat, nam raro loquebatur, et ter vel quater habebat eam interrogare ut loqueretur. Et ideo habebat orem [*os*] parvum et oculum magnum, nam si vidistis numquam Veronicam beati Luce ubi est imago faciei Virginis, invenietis quod ita habet parvum os quod major est oculus de multo ; et ita non erat loquax.

Item tertia condicio incomposicio corporis, nam malum signum est, sc. cum incedit tota lasciva, vel dissoluta, ribalda, videtur quod habeat formicas in pedibus accedendo velociter et in *colejando*... et volvendo se et respiciendo indirecte et non facere nisi *pectenyare* oculos. Et ita cito cadet talis mulier, ut habetur Eccles. XXVI : « Fornicacio mulieris... cognoscitur. » Sed hanc condicionem non habebat Virgo, nam cum ibat cum matre sua ad templum ibat tota composita, suaviter et humiliter, sicut faciunt *novie* [*fiancées*] que vadunt ad missam de thalamo, ut habetur Cant. IV : « Quam pulchra es amica... » Et dicit : « Oculi columbarum », nam differentia est inter oculos columbe et *gavilanis* [*vautour*], nam *gavilan* habet oculum rapine, respiciendo versus celum indirecte sive ex transverso, sc. avem volantem ut eam recipiat ; sic est in mala muliere vel homine qui volunt rapere, etc. Sed columba respicit versus terram, ita Virgo Maria.

Item quarta condicio ingurgitacio cibi et potus ; et hoc est bene malum signum sive in muliere sive in homine, nam cito cadent in luxuriam, nam de comestione fiunt due partes, ut hoc dicit beatus Thomas : sc. una est liquida, alia solida. Sed de liquida fiunt due partes : una pura et alia impura ; impura vadit per orinacionem ; sed de pura adhuc fiunt due partes, unam quam recepit natura, aliam quam remittit ad membrum generacionis. Et ideo habetur Osee IV : « Comedent et non saturabuntur... et non cessabunt. » Et ideo Joseph non inveniebat hanc in Virgine, nam vix comedebat, et jejunabat multum, quod quia raro cenabat. — Et ideo : vadamus ad aliam condicionem, dicebat in seipso.

Item quinta condicio otiositas corporis ; et hoc est malum signum, nam persona otiosa est viciosa. Bernardus : « Otiositas mater viciorum et noverca virtutum. » Sicut terra, nam de terra est creatum meum corpus, facit spinas, et ponent se in ea serpentes si non aratur, ita corpus et caro nostra si non exercitatur in operibus bonis faciet spinas, malos cogitatus ; et ponet se in ea serpens demon faciendo peccare, ad hoc ut habetur Eccles. XXXIII : « Inter servum maliciosum... otiositas. » Et

Digitized by Google

dicit : « servum maliciosum, » sc. corpus. Et hanc non reperiebat in Virgine, nam primo dicebat suum officium perfectius quam aliquis presbyter; item *filabat* et suebat, et ita per hec tria officia, sc. orare et filare et suere, semper erat occupata, ita non otiosa.

Item sexta conditio superfluitas ornatus, sc. *pintare* cellas et faciem dealbando, et vestem pulchram et ornatam induendo ; et est malum signum, nam pulchritudo corporis tollit pulchritudinem anime, et mulier ornata jam posuit ramum sicut *a la taverna* ut vendatur vinum, nam venalem se exhibet : *mirad me.* Et ita malum committet, ut habetur Prov. ult. « Fallax gratia... vana. » Nota regulam apostoli : « Mulieres in habitu ornato... per opera bona. » (1 Tim. 2.) Nota sobrietatem in mensura, sc. juxta condicionem sui status et facultatem sui viri. — Et hanc non invenit, nam Virgo Maria solum erat contenta de veste simplici. Ymo quando sua mater faciebat sibi aliquam tunicam novam ornatam, nolebat eam portare extra sed intra domum amore matris. Item non habebat speculum magnum, sed pro speculo habebat Sanctam Scripturam ubi se *mirabat* legendo et contemplando.

Item septima condicio, despectio mariti, ut quia vult mandare in domo supra maritum, et quod *la gallina* cantet et non *lo gallo* in domo, quia si ipse dicit *bif,* et ipsa *baf,* et *rum rum,* etc. — Et non eratis vos dignus quod ego essem vestra mulier ; et jam *los huessos de mi padre sendere giran in fossa quia yo fue vestra mulier* (1). Et quid estis vos ? etc. Adeo ut habetur Ad Eph. VIII : « Mulieres viris suis... Domino. » Et iterum : « Mulier in silentio... neque dominari in virum. » (1 Tim. 2.) Et hanc non reperiebat in Virgine, nam majorem honorem portabat suo sponso Joseph quam aliqua mulier fecisset in hoc mundo, nam ipsa vocabat dominum, sicut Sara vocabat maritum suum Abraham dominum ; et quando respondebat Joseph dicebat : Pater, sic ! — Et ideo Joseph propter istas condiciones male mulieris quas non inveniebat in ea, erat in magna tribulatione.

Item ex alia parte et mola considerabat naturam dicendo : modo videamus an per aliquas constellaciones et planetas potuisset impregnari ? — Certe non, quia ex conjuncione hominis cum femina habet fieri, et in hoc non habent posse planete, etc. Et ita Joseph cum esset justus imaginatus fuit quod non acceptaret tam sanctam creaturam ; nec divulgaret, quod statim lapidata fuisset secundum legem ; nec similiter eam volebat in domo sua ut enutriret filium alterius, sed quod dimitteret eam et iret ad hermitam ; nam dicitur in Evangelio hodierno : « Joseph vir ejus cum esset, etc. » Et tunc fuit adimpleta prophetia : « Timor et

(1) Les os de mon père s'agitent de chagrin dans sa tombe parce que je suis votre femme.

Digitized by Google

tremor invenerunt me... in solitudine. » Et timor, sc. accusando tam sanctam Virginem; et ideo timebat Deum. Et tremor, sc. de tenendo eam in domo sua et nutriet filium alterius, etc.

Et ita habetis quomodo fuit inventa in utero habens, sc. per hanc memoriam de experiencia *sensual* quia vidit.— Moraliter *avisetis* vos, ut Joseph, ne sint impedimenta, quando volueritis facere matrimonium, sc. parentele, vel affinitatis, vel alia. Ideo est ordinatio Ecclesie ut denuncietur. Ideo dicit Scriptura: « Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus » (Ad Hebr. 13.) « Honorabile est », quando non est impedimentum.

Dico secundo quod Virgo Maria fuit inventa in utero habens per sapientiam divinalem. Hoc fundatur per regulam theologie quod Mysteria Dei, id est secreta, ex mera ejus voluntate dependentia, non possunt sciri nisi per ipsius revelationem, quia nullus vestrum potest scire cor meum, nisi ego revelem et manifestem: quanto magis de Deo! Sed illa que contingunt naturaliter, possunt sciri. Isto modo medici sciunt horam mortis infirmi, quia licet effectus sit futurus, tamen causa est jam presens. Non est sic de voluntate Dei; ideo dicit Scriptura: « Quis hominum poterit scire consilium Dei... » Subditur: « Sensum tuum quis sciet... de altissimis. » (Sapien. 9.) — Joseph autem cum videret Sponsam suam gravidam, nec naturaliter poterat scire veritatem, quia conceptio Christi nullam habebat causam naturalem, quia non venit per constellationes celestes, nec per operaciones angelicales, nec elementares, nec humanales; ergo non poterat sciri nisi per divinam revelationem.

Cogitate ergo quomodo Joseph qui erat homo justus et bonus, orando reccurrit ad Deum, super hoc, sibi Dei beneplacitum revelari supplicando, juxta illud Jacob: « Si quis vestrum indiget sapientia... dabitur ei. » — Ita fecit Joseph, quando voluit de nocte recedere, posuit se primo in oratione dicendo: Domine, vos fecistis mihi magnam gratiam dando mihi in sponsam istam domicellam; sed, Domine, vide quod est gravida. Quid est hoc quod tam sancta mulier sit gravida? »— Et similia verba, et flebat multum.

Credo ego etiam quod Beata Virgo Maria videns quod Joseph stabat tristis et imaginosus de suo partu, rogabat Deum ut vellet providere, quia si ipsam dimittebat diffamaret eam; et cum jam videbat quod jam parabat raupas pro recedendo, dicebat: Domine Deus, qui tantam graciam voluisti ut conciperem Dominum meum, placeat confortare sponsum meum, nam jam vult recedere.— Et tunc Deus exaudivit orationem eorum. Credo quod etiam mater sua, sc. Virginis, orabat ne venirent ad diffamationem, etc. Cogitate quod illas devotas oraciones

Digitized by Google

Deus exaudiebat. Dicit Evangelium : « Hec autem eo cogitante... nobiscum Deus. »

Et tunc Joseph habuit magnum gaudium, quod ipse esset sponsus Matris Dei. Et ita faciebat gratias Deo, etc. Et tunc Angelus declaravit ei tres prophetias. Et primam Isaie 7 : « Ecce Virgo concipiet... eligere bonum. » Et dicit « ut » pro quamvis ; quamvis sciat, etc. — Et dicunt Judei quod in tribus causis non intelligimus hanc prophetiam. Et primo, cum dicit : « Virgo », nam dicunt quod non erat Virgo. — Et dico quod sic, nam talis littera ponitur hic, sicut in Genesi 24, cum dicit : « Puella decora nimis, virgoque pulcherrima et incognita viro. » Nam ita punctuatur littera hic, sicut ibi de Virgine.— Item dicunt quod signum quod dedit Deus, est de quo Isaïas 7, dicit : « Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. » Et tunc Isaias postquam oravit, noluit petere signum salvationis, sed voluit dicendo : « Audite, domus David. » — Et ista domus David, tempore quo natus fuit, stabat, licet Achaz fuisset mortuus, qui erat infidelis, et nolebat salvationis signum. Et ideo dedit signum Isaïas domui David, cum dicit : « Ecce Virgo concipiet et pariet filium, etc. » Et tunc fuit adimpleta, cum Virgo Maria concepit et peperit.

Item declaravit tunc Angelus Joseph aliam prophetiam Jeremie 31. « Revertere, Virgo Israel... femina circumdabit virum. » Et numquam fuit repertum noviter quod mulier vestisset hominem sive virum, nisi Virgo Maria que vestivit Filium Dei de sua carne, et humanitate, nam alie mulieres naturaliter concipiendo, non vestiunt puerum, sed maritus vestit magis, quia de suo semine induitur, quod non fuit in conceptione Virginis. — Item dicit : « Virum. » Nam nulla mulier fuit que conciperet virum, sed puerum ignorantem, sed Virgo Maria induit et concepit virum, sc. filium. Nam sicut vir habet totam suam scientiam, ita Christus cum fuisset formatus cum anima in utero, habuit tantam scientiam sicut modo in celo. Et ita « vir » a virtute. Et sicut in arca Moysis continebantur tria, sc. Virga regalis, et Tabule Moysis et Manna, ita in utero Virginis continebantur tria, sc. humanitas Christi de genere regali David sumpta, et anima continens omnem sapientiam per suas potentias, sicut tabule continebant legem ; item divinitas que dabat saporem de gloria, et odorem consolationis sicut Manna.

Et hic modo questio est : quare Virgo non revelavit sibi, quando videbat suam tristitiam et perplexitatem ? Quia ipse credidisset sibi, licet modo sponsus non crederet sponse sue. — Respondeo quod secretum commissum non est revelandum, ubi devote committitur, ex quo secretum est bonum, justum et sanctum, quia alias revelandum est. « Sacramentum regis abscondere bonum est. » (Tob. 2.) Ideo Virgo Maria, que habebat conscientiam delicatissimam, noluit revelare, timens

Digitized by Google

ne Regem ostenderet, vel Deum precipue. — Nota contra multas personas vanas que non possunt tacere, si Deus dat eis aliquam gratiam vel revelationem, statim revelant, et male, nisi super hoc sciant expresse voluntatem Dei ; maxime quia quandoque credunt, quod diaboli illusiones sint divine revelationes. Tales sunt similes galline, que non potest tacere quousque prodit ovum quod posuit. De talibus dicit Scriptura : « Qui denudat arcana amici, fidem perdit... » (Eccles. 27.) Ecce ratio quare Virgo Maria non revelavit Joseph, nec matri sue secretum sibi commissum, sed Spiritus Sanctus revelaverat Elisabeth.

Dico tertio quod Virgo Maria fuit inventa in utero habens per excellentiam specialem. — Mulieres communiter, quando sunt gravide, fiunt macre, discolorate, tediose, appetunt varia ; sed non fuit sic de Beata Virgine : imo dicunt aliqui sancti Doctores quod ex quo Virgo fuit gravida, radii splendoris procedebant de facie sua, et maxime quando fuit juxta partum. — Hoc potest probari tripliciter, per philosophiam, per theologiam et per experientiam.

Quantum ad primum, dicunt philosophi quod omne agens naturale quantum dat de forma substantiali, tantum dat etiam de accidentibus consequentibus formam, ut qui dat ignem, dat etiam calorem et splendorem. Ita Deus Pater, de sua forma substantiali dedit Filium suum Virgini Marie. Quod autem Filius Dei dicatur forma, authoritas ad Philippens. 2 : « Qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam servi accipiens. » Neque mirum ergo si dedit splendorem sibi in facie, etc. Ideo gravida existens Virgo erat pulchior et clarior.

Secundo probatur theologice. Et hoc probetur amore Judeorum a fortiori, nam legitur Exod. 34. quod quia Moyses locutus fuerat cum Deo in monte, propter hoc radii splendoris procedebant de facie ejus, in tantum quod populus non poterat eum respicere. Fiat ergo ratio : Si facies erat ita splendens ex sola Dei locutione, quanto ergo magis facies Virginis Marie ex Filii Dei conceptione ! Hanc rationem facit Apostolus dicens : « Si ministratio mortis ... erit in gloria ? » (II ad Corinth. 3.) « Ministratio mortis » fuit lex Moysi, que non dabat vitam glorie.

Tertio probatur per experientiam de laterna chrystalli, que de se est pulchra et clara ; sed si intus mittatur lucerna accensa, pulchrior erit et clarior. Idem de Virgine Maria.

Cogitate ejus corpus pulchrum et mundum ad instar lucerne, et lucerna intus illuminans totum mundum, est Filius Dei : nil mirum ergo si Virgo erat tunc clarior et pulchrior, in tantum quod dicit textus, quod Joseph non cognoscebat eam (Matth. 1.), ex illis radiis splendoris quia lux eterna erat in ea. Authoritas II Reg. 22 : « Quia tu lucerna mea,

Digitized by Google

Domine... » Quia sicut in candela sunt tria, sc. cera, que *regalatur* (liquescit), et contortum gossypium et *la mege alba de cotono*, et lumen, quod illuminat alios : ita Christus erat candela in hiis tribus nam erat cera, que *regalabatur* in carne sua per Passionem et Mortem et Crucem. Item erat contortum gossypium, in sua anima pura et sine macula peccati alicujus. Item erat lumen in sua deitate, quod illuminat totum mundum. Et ideo ne mirum si de facie Virginis exibat magnum lumen et splendor. Et sic in Virgine tanta erat claritas que exibat de facie ejus, sc. per radios, quod non agnoscebat eam Joseph nisi per locutionem. Ex quo percepit quod Virgo erat pregnata per opus Dei, et propter hoc dicitur, ut habetur in Evangelio hodierno : « Joseph autem vir ejus, etc. »

Nota hic quomodo Joseph, habita divina revelatione, suppliciter petebat veniam a Virgine de suspicione, quam de ipsa habuerat dicendo : O benedicta ! quare non dixistis mihi quia ego credidissem vobis ? — Et quam dulciter ipsa ipsum consolabatur congratulando, quod esset sponsus et socius matris Filii Dei, et ejus nutritius. — O benedicta societas ! O Virgo benedicta ! et parcatis mihi quia habui suspicionem contra vos que estis pura et casta et sine macula. — Et tunc Virgo Maria cum magna reverentia dicebat : O pater mi, et Deus parcat vobis, nam bene scio quod habebatis dolorem, et natura vos decipiebat. — Item quam reverenter uterque Deum adorabant in utero Virginis incarnatum.

Et ideo exinde Joseph cum fuisset *fusterus* (faber lignarius), quando Virgo transibat circa eum, dimittebat *aiscam* (dolabram), et flectebat genua in terra adorando Christum Deum intra uterum Virginis existentem.

Et ideo exinde Virgo Maria sicut antea cum conciperet, faciebat orationem elevando oculos ad celum, dicendo Psalm. 122 : « Ad Dominum levavi oculos meos, qui habitas in celis ; » sed post faciebat orationem dimittendo oculos usque ad ventrem. Et tunc fuit adimpleta prophetia Psalm. 28 : « Offerte Domino gloriam et honorem... »

Et ideo juxta hoc do vobis unum consilium quod observabat quidam mercator Valencie, et credo quod sit salvus, nam talia opera faciebat ut tali die sicut cras qui est nativitas Dei Christi, quod invitatis duos pauperes, sc. quemdam hominem senem et quamdam juvenem que habeat filium parvulum, ut etiam portetis in brachiis et detis eis ad comedendum, nam Virgo Maria significabitur per mulierem et Joseph per senem, et Christum per filium parvulum. — Et dabat eis comedere gallinas antequam ipsi comederent, nam licet cras sit dies Veneris, tamen bene possunt comedi carnes propter reverentiam tanti festi, nisi due condiciones personarum, sc. religiosi qui per regulam non

Digitized by Google

possunt comedere carnes ; item votantes non comedere carnem, nam fortis ratio est votum, et in hoc non dispensat decretalis ; item penitentes non possunt nisi confessor dispensat quod possint. — Et ideo cras recipiatis Joseph in vestra domo, sc. unum senem pauperem, et Virginem Mariam, sc. unam juvenculam cum filio suo parvulo, nam dixit Christus ut Matth. 25 : « Amen dico vobis... fecistis. » — Et hoc consilium dico quod servent illi qui possunt facere et habent facultatem ; si autem non possint quia pauperes sunt multi, aut minus recipiant puerum in domo suo, sc. Christo communicando cras bene parati et confessi, alias in peccato non recipiatis.

Et ideo dico determinando quandam questionem mihi datam quod religiosus non debet celebrare in peccato mortali, licet per obedientiam sibi injunctam ; sed debet dicere Priori : Audiatis me de confessione et vos scietis peccatum meum quod non possum celebrare. Et si nolit et precipit ut celebret, non debet facere sed imo pati incarcerationem potius, vel dimittere et exire, alias non celebrare in peccato mortali. Imo potius mori ante.

Imo illud quod expenderitis in ludo detis pauperibus amore Christi ; pauperes autem qui non habent, nec possunt sibi presentare pecunias, possunt ad minus presentare cras tot Ave Maria, quot diebus ipsum portavit in utero, vel tot quot hebdomadis, vel mensibus. Hebdomade sunt quadraginta ; menses vero novem ; dies vero ducenti septuaginta septem.

Dans le ms de Toulouse les différences sont peu sensibles. On peut y prendre cette explication :

Incarnatio Christi fuit ita secreta quod nemo scivit nisi due persone, sc. angelus nuncians et Virgo concipiens. Ratio est quod filius Dei veniebat ad reformandum mundum in humilitate. Ideo venit secrete, humiliter et sine tumultu, de hoc prophetia Is. 24 : « A finibus terre laudes... meum mihi. » — Notandum « a finibus terre » quia a Christo usque ad finem mundi dicitur finis terre et finis mundi, quia est ultima etas. Unde sicut vita hominis dividitur per septem etates, sc. infantia, pueritia, adolescentia, etc., sic etiam duratio mundi. Unde infantia mundi fuit ab Adam usque ad Noë, pueritia usque ad Abram, adolescentia usque ad Moysen, juventus usque ad David, virilitas usque ad transmigrationem Babilonis, senectus usque ad Christum, decrepitas usque ad finem mundi.

Quelques nuances d'idiomes :

Lo prenhat (impregnatio). — *Garrula als gargantera.* — Mulieres que sunt gravide *tornan magras, descoloradas, e demaziadas graves,* etc.

Digitized by Google

De beato Stephano

(Canevas autographe)

Disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientie, et spiritui qui loquebatur. (Act. 6.)

Batalla rigorosa ibi : « Disputantes cum Stephano. »

Victoria gloriosa ibi : « Non poterant. »

Inter ceteras promissiones Christi singularis fuit ista : « Ego dabo vobis os et sapientiam », etc. (Luc 21.)

Hec autem primo completa ostenditur in beato Stephano, cum dicitur : « Disputantes cum Stephano », etc.

Nota quinque graves disputationes judeorum contra eum. Act. 6 : « Surrexerunt quidam de synagoga », etc. Nec dubium, quia propter excellentiam ejus. Act. 6 : « Stephanus autem plenus », etc. Hec possunt recitari per argumenta que judei faciebant et adhuc faciunt contra nos.

Primo : Synagoga libertinorum contra Stephanum predicantem adventum Messie jam completum, argumentat per illud Ps. 11 : « Egredietur virga », etc. Et subditur signum de mansuetatione bestiarum. « Habitabit lupus cum agno », etc. Sed beato Stephano declarante et probante verum intellectum prophetie, singulariter per rationem que ibidem ponitur quia « repleta est terra scientia Domini », etc. « Disputantes cum eo non poterant. ».

Secundo : Synagoga Cyrenensium contra eum predicantem Christum Deum et hominem, argumentat per illud Ps. 80 : « Audi, populus meus, et contestabor te », etc. Sed beatus Stephanus declaravit et probavit verum intellectum, singulariter per versum sequentem ubi dicitur : « Dilata os tuum », etc. Hebrei stricto ore pronuntiant Deum *Hel,* sed ore dilatato pronunciant hominem *Adam.*

Tertio : Synagoga Alexandrinorum contra predicantem virginitatem matris Christi ; argumentat per illud Is. 45 : « Rorate, celi, desuper ; aperiatur terra », etc. Verus intellectus patet quia subditur : « Ego Dominus creavi eum. »

Quarto : Synagoga Ciliciorum contra fidem Trinitatis, argumentat per illud Deuter. 6 : « Audi, Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus », etc. — Nota : ante unitatem invenit trinitatem in verbis.

Digitized by Google

Quinto : Synagoga Asyanorum contra cessationem legis Mosaice. Argumentat per illud Ps. 110 : « Fidelia omnia mandata ejus », etc. — Sed beatus Stephanus declaravit et probavit veritatem, etiam per auctoritatem inductam, quia dicitur : « Confirmata in seculum seculi. » De lege autem nova subditur : « Redemptionem misit. »

Tandem quia disputatione eum superare non poterant, ad ejus occisionem se convertunt.

Narra breviter ejus mortem.

In Festo sancti Stephani, protomartyris

(Recueil imprimé)

Disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientie, et spiritui qui loquebatur. (Act. 6.)

Inter omnes predicationes quas ego feci in hac villa pro Judeis, est magis propria quam alia hec predicatio hodierna, nam est quedam disputatio magna, quam habuit beatus Stephanus cum judeis rabbinis errantibus. Et si placet Deo, credo quod erit bona materia pro omnibus ; et Judeis et etiam Sarracenis illuminandis ; et pro Christianis informandis in sancta fide christiana. Sed ante omnia recurremus ad Virginem Mariam. Ave Maria.

Inter omnes alias promissiones magnas et mirabiles quas Christus fecit apostolis et discipulis, singularis fuit illa : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. » (Luc. 21.) Nota : Ego dabo vobis eloquentiam ad loquendum, predicandum et disputandum, et dabo vobis sapientiam, sc. per infusionem. Ratio hujus promissionis fuit, quia volebat eos mittere per mundum ad predicandum, ideo fuit necessaria ista promissio, maxime si vultis cogitare defectus apostolorum Christi et discipulorum, quia erant rudes piscatores, et sine eloquentia. Jam scitis quod per malam locutionem homo perdit jus suum. Deficiebant autem in scientia intellectuali, quia nunquam studuerant logicam, philosophiam, theologiam, etc., et habebant disputare etiam contra principia philosophie cum magnis philosophis. Dabo vobis os, id est eloquentiam in ore coram regibus, principibus et philosophis, ne rationibus vestris et argumentis possint resistere, et possitis argumenta sophistica philosophorum intelli-

Digitized by Google

De beato Stephano

(Canevas autographe)

Disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientie, et spiritui qui loquebatur. (Act. 6.)

Batalla rigorosa ibi : « Disputantes cum Stephano. »

Victoria gloriosa ibi : « Non poterant. »

Inter ceteras promissiones Christi singularis fuit ista : « Ego dabo vobis os et sapientiam », etc. (Luc 21.)

Hec autem primo completa ostenditur in beato Stephano, cum dicitur : « Disputantes cum Stephano », etc.

Nota quinque graves disputationes judeorum contra eum. Act. 6 : « Surrexerunt quidam de synagoga », etc. Nec dubium, quia propter excellentiam ejus. Act. 6 : « Stephanus autem plenus », etc. Hec possunt recitari per argumenta que judei faciebant et adhuc faciunt contra nos.

Primo : Synagoga libertinorum contra Stephanum predicantem adventum Messie jam completum, argumentat per illud Ps. 11 : « Egredietur virga », etc. Et subditur signum de mansuetatione bestiarum. « Habitabit lupus cum agno », etc. Sed beato Stephano declarante et probante verum intellectum prophetie, singulariter per rationem que ibidem ponitur quia « repleta est terra scientia Domini », etc. « Disputantes cum eo non poterant. ».

Secundo : Synagoga Cyrenensium contra eum predicantem Christum Deum et hominem, argumentat per illud Ps. 80 : « Audi, populus meus, et contestabor te », etc. Sed beatus Stephanus declaravit et probavit verum intellectum, singulariter per versum sequentem ubi dicitur : « Dilata os tuum », etc. Hebrei stricto ore pronuntiant Deum *Hel,* sed ore dilatato pronunciant hominem *Adam.*

Tertio : Synagoga Alexandrinorum contra predicantem virginitatem matris Christi ; argumentat per illud Is. 45 : « Rorate, celi, desuper ; aperiatur terra », etc. Verus intellectus patet quia subditur : « Ego Dominus creavi eum. »

Quarto : Synagoga Ciliciorum contra fidem Trinitatis, argumentat per illud Deuter. 6 : « Audi, Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus », etc. — Nota : ante unitatem invenit trinitatem in verbis.

Digitized by Google

Quinto : Synagoga Asyanorum contra cessationem legis Mosaice. Argumentat per illud Ps. 110 : « Fidelia omnia mandata ejus », etc. — Sed beatus Stephanus declaravit et probavit veritatem, etiam per auctoritatem inductam, quia dicitur : « Confirmata in seculum seculi. » De lege autem nova subditur : « Redemptionem misit. »

Tandem quia disputatione eum superare non poterant, ad ejus occisionem se convertunt.

Narra breviter ejus mortem.

In Festo sancti Stephani, protomartyris

(Recueil imprimé)

Disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientie, et spiritui qui loquebatur. (Act. 6.)

Inter omnes predicationes quas ego feci in hac villa pro Judeis, est magis propria quam alia hec predicatio hodierna, nam est quedam disputatio magna, quam habuit beatus Stephanus cum judeis rabbinis errantibus. Et si placet Deo, credo quod erit bona materia pro omnibus ; et Judeis et etiam Sarracenis illuminandis ; et pro Christianis informandis in sancta fide christiana. Sed ante omnia recurremus ad Virginem Mariam. Ave Maria.

Inter omnes alias promissiones magnas et mirabiles quas Christus fecit apostolis et discipulis, singularis fuit illa : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. » (Luc. 21.) Nota : Ego dabo vobis eloquentiam ad loquendum, predicandum et disputandum, et dabo vobis sapientiam, sc. per infusionem. Ratio hujus promissionis fuit, quia volebat eos mittere per mundum ad predicandum, ideo fuit necessaria ista promissio, maxime si vultis cogitare defectus apostolorum Christi et discipulorum, quia erant rudes piscatores, et sine eloquentia. Jam scitis quod per malam locutionem homo perdit jus suum. Deficiebant autem in scientia intellectuali, quia nunquam studuerant logicam, philosophiam, theologiam, etc., et habebant disputare etiam contra principia philosophie cum magnis philosophis. Dabo vobis os, id est eloquentiam in ore coram regibus, principibus et philosophis, ne rationibus vestris et argumentis possint resistere, et possitis argumenta sophistica philosophorum intelli-

Digitized by Google

gere. Ista promissio in omnibus apostolis et discipulis fuit completa. Sed singulariter ostendit thema fuisse completum in beato Stephano, cum dicitur: Disputantes cum Stephano, etc. Patet thema.

Secundum verba thematis notavi in beato Stephano duo singularia, sc.: Primo ex parte Judeorum bellum multum rigorosum, ibi : « Disputantes cum Stephano. » — Secundo ex parte Christi victoriam miraculosam ; ibi : « Et non poterant resistere sapientie et spiritui qui loquebatur. »

Dico primo quod secundum verba thematis ostenditur in beato Stephano bellum multum rigorosum, quia de fide catholica, de materia tam alta et subtili ; et tot erant arguentes contra unum respondentem, sicut prelium esset rigorosum et periculosum alicui militi habenti plures contra eum preliantes, diversis generibus armorum loricatis ; rigorosius et periculosius est prelium, ubi de fide catholica cum inimicis fidei disputatur, et unus solus contra multos cum tot argumentis, rationibus, deductionibus et persuasionibus, que sunt lancee, gladii, etc. Et de hoc bello habetur Sap. 10 : « Certamen forte... sapientia. » Ita fuit de bello sancti Stephani, quia ipse solus invenit se in campo, et venerunt ad eum magistri, et Arabes, et rabini de quinque synagogis sive studiis generalibus, disputantes contra eum.

Dicit textus : « Surrexerunt autem quidam de synagoga, que appellabatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia disputantes cum Stephano. » (Act. 6.) — Synagoga autem idem est quod congregatio doctorum, rabinorum, etc. Questio est hic : Certum est tunc temporis, quando iste synagoge insurrexerunt contra beatum Stephanum, quod Apostoli Christi et discipuli erant in Hierusalem, quare ergo surrexerunt contra Stephanum, et non contra Petrum, et Joannem, vel Jacobum ? etc. — Potestis cogitare quod aliquid singularis gratie et virtutis erat in predicatione beati Stephani in convertendo gentes plusquam in aliis. Hoc dicit textus : « Stephanus, plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. » (Act. 6.) — Nota : plenus gratia, sc. illa de qua David : « Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in eternum. » (Psalm. 44.)

Secundo erat plenus fortitudine. Legitur Act. 6 et 7, quod in primitiva Ecclesia multi homines et mulieres convertebantur, et volebant stare in societate apostolorum, intantum quod inter mulieres erat dissensio, propter quod Apostoli preposuerunt eis in rectorem unum hominem sanctum, castum, et fortem : iste fuit beatus Stephanus, ita fuit fortis quod nulla occasione peccavit, et rexit eas laudabiliter. Ecce fortitudo, quia unus homo satis habet facere quod gubernet uxorem et filias, et

Digitized by Google

beatus Stephanus regebat tot ; de quo regimine apostoli excusaverunt se ratione predicationis ; et cum toto hoc beatus Stephanus non dimittebat predicationem. Item faciebat prodigia, id est procul a digito, que nullo posse creature possunt fieri, ut suscitare mortuos, illuminare cecos, et sic de aliis, que per naturam non possunt fieri. Item faciebat signa, sicut sunt illa que possunt fieri per naturam, sed non illo modo. V. gr.: De febre curatur homo naturaliter. Sed non convertebantur. — Propter quod quinque synagoge Judeorum surrexerunt contra beatum Stephanum. Et nota quod non dicit quinque rabbini, sed quinque synagoge, quia in qualibet erant triginta vel quadraginta rabbini. Et ita bene erat istud bellum forte. Ecce bellum rigorosum, quia disputantes cum Stephano. etc.

Dico secundo quod in verbis thematis notatur in beato Stephano ex parte Jesu Christi victoria miraculosa, cum dicitur : « Non poterant resistere sapientie et spiritui qui loquebatur.» Ita erat armatus beatus Stephanus, quod nec sagitte argumentorum, nec gladii rationum, nec baliste persuasionum, nec lancee deductionum, ipsum potuerunt vulnerare. V. gr.: Surrexit contra eum synagoga Libertinorum. Primo cum predicaret de materia adventus Christi, dicens quod jam Messias in lege promissus venerat, dicens quod erat cecus qui non videbat clare, maxime cum patriarcha Jacob de hoc dedisset signum dicens : « Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus. donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. » (Gen. 49.) Modo, dicebat ipse, jam videtis quod sceptrum perditum est, quia Herodes alienigena regnat, ideo non oportet Messiam expectare, licet multi deceptores venient post eum dicendo se Messiam esse. Item de LXX hebdomadibus annorum (Dan. 9), que sunt CCCCIX anni, et jam sunt completi. — Contra hoc synagoga Libertinorum, volens confundere beatum Stephanum,coram tota multitudine surrexit dicens : Et nunquid dicit Esaias : « Egredietur virga de radice Jesse » ? Nonne istam debet esse mater Messie ?— Respondit beatus Stephanus : Imo. « Et flos de radice ejus ascendet », sc. Messias filius Dei ? — Immo. — Et nunquid ibi ponit signa de Messie adventu ? dicens : « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hedo accubabit. Vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. » (Esai. 11.) — Cum ergo ista signa non sint completa, quia lupus non habitat cum agno, imo devorat, nec pardus cum hedo ; ergo, Stephane, revoca quod dixisti. — Ecce victoriam : Respondit beatus Stephanus dulciter : Signum prophetie verum est, et jam completum est, nec intelligendum est quod loquatur de illis bestiis, quia ille naturaliter possent domari, sed prophetia loquitur singulariter de hominibus per bestias figuratis. Sicut locutus fuit Jacob dicens : « Catulus leonis Juda. Isachar asinus fortis. Nephtalim cervus

Digitized by Google

emissus. Benjamin lupus rapax. » (Genes. 49.) Lex ergo nostra Mosaica vocat bestias secundum proprietates et conditiones quas habituri erant bestiales. Non enim intelligebat Jacob quod Juda esset leo, nisi secundum proprietates, quia sicut leo dominatur bestiis, ita Juda, et David ex illa tribu, debebat dominari. Ideo Esaias dans illa signa, de hominibus loquebatur. Lupus enim rapax fuit Mattheus, ut dicit Beda, propter usuras, etc. Agnus purus et simplex fuit Joannes evangelista, qui simul habitavit. Pardus diversorum colorum fuit Nicodemus phariseus. Hedus Petrus apostolus, qui simul habitabant. Vitulus enim de quo fiebat principale sacrificium signat corpus Christi. Ovis simplex animam Christi. Leo potentissimus significat divinitatem. Et puer parvulus, sc. Christus noviter natus, minabit eos. Et caro, et anima, et divinitas tria hec simul erant in Christo. – Et quod Esaias loqueretur de hominibus patet ibidem, quia sequitur in textu : « Non nocebunt, et non occident in universo monte meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aque maris operientis. » (Esa. 11.) Clarum est quod loquitur de bestiis, que significant exemplum de hominibus bestiales conditiones habentibus. — Et non poterant resistere, etc. Ecce victoria rigorosa de tam rigoroso bello.

Secundo surrexit contra eum synagoga Cyrenensium, predicantem de materia divinitatis Christi, et humanitatis, quia sicut Deus quando voluit dare legem Judeis, assumpsit formam ignis, ut patet Exod. 19 et 20. Et vocabatur ignis : « Dominus Deus tuus ignis consumens est », dixit Moyses populo. (Deuter. 4.) Sic quando voluit dare legem novam evangelicam et gratie, assumpsit formam humanam. Utra est nobilior et melior forma, ignis an humanitatis? — Clarum est quod humanitatis, ideo nunquam dimittet istam formam. Et jam dimissit formam ignis, quia est irrationabilis. Item nisi esset Deus, non posset salvare aliquem, nec etiam seipsum, quia sicut lucerna sine lumine non potest illuminare, nec etiam humanitas sine divinitate. — Tunc illi contra : Vos predicatis errores. Et nunquid legistis psalterium? et in Psal. 80, dicitur : « Audi, populus meus, et contestabor, id est, protestabor te, Israël, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. » Cum ergo ille vester Jesus sit Deus recens, quia de matre, ubi habuit initium, natus, igitur, etc. — Respondit Stephanus : Christus Jesus non est recens, sed eternus, sed est homo recens. Sicut de filio regis xxx annorum, quando fit noviter miles, est novus miles, sed non est novus filius regis. Ita Dominus noster Jesus Christus est eternus filius Dei secundum divinitatem. Sed in aula uteri virginalis factus est novus miles, recipiens habitum humanitatis, ut posset bellare. Et sic licet fuerit homo recens, non tamen fuit Deus recens, nec alienus. Hoc patet cum in eodem principio sequitur : « Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te

Digitized by Google

de terra Aegypti ; dilata os tuum, et implebo illud. » Deus enim in hebraico ore stricte nominatur, sc. *El*, et etiam in latino *Deus*. Sed dilata os tuum et implebo illud. In hebraico dicendo *Adam*, id est homo, in latino dicendo *homo*, vult dicere quod ero Deus et homo.

Et victi recesserunt. Populus autem gaudebat, quia non poterant resistere sapientie et spiritui, etc.— Et cum predicabat Christum deberi credi crucifixum, non propter se, quia non indigebat ; sed propter nos redimendos, sibi essendos credentes et obedientes ; et declarabat sic : quod quidam Rex condemnabat quandam civitatem ; et omnes, majores et minores, erant in condemnatione ad furcam, nisi sibi solverent quod debebant ; et tunc venit quidam homo dives valde, dicendo Regi, quod ipse solveret totum debitum ; et sic liberati sunt.

Et tunc surrexerunt de synagoga dicendo contra beatum Stephanum : Vos dicitis quod vester Christus est homo et Deus eternaliter, et dicitis modo quod est mortuus ? Contra : quia non poterat mori Deus, ut habetur Isaie 9 : « Parvulus natus est nobis, etc... sedebit in eternum. » — Et respondit beatus Stephanus dicendo : Ego non dico quod Christus fuisset mortuus secundum Deitatem, sed secundum Humanitatem. Et ideo quando fit mentio in sancta Scriptura de eternitate, debemus intelligere de Divinitate : quia eternaliter est et erit : sed quando fit mentio de mortalitate, habemus intelligere secundum Humanitatem, secundum quam mortuus fuit in cruce ; et ita intelligitur Prophetia Isaïe. Et quod deberet mori, pro salvatione Humani generis, probatur, ut habetur Numer. 20, ubi dicitur quod « supremus sacerdos habebat mori antequam », etc. Et ideo dico quod hoc est significativum de morte sacerdotis summi Christi ut habetur in Psalm. 109 : « Tu es sacerdos, etc... Melchisedech. »

Tertio cum semel predicaret de Trinitate, dicens quod licet sit unus Deus solus, tamen ille est tres persone, pater generans, filius genitus, et Spiritus Sanctus spiratus. Exemplificatio in sole uno, in quo est pater generans, sc. subtantia, et que generat pater potest dici, et filius genitus, sc. radius, et Spiritus Sanctus spiratus, sc. calor. Ita Deus de sua substancia generat radium, quem filium dicimus, quem misit in hunc mundum, et non recedit ab eo, sicut nec radius a sole ; et charitas spirita a patre et filio spiritus dicitur. Dicebat beatus Stephanus : Non intelligatis quod tres persone sint ut tres reges vel gigantes, quia non sic sumuntur persone, sed sicut dixi. Ideo David Psal. 18 : « In sole posuit tabernaculum suum », id est similitudinem suam. Item dico quod sicut una anima habet tres potentias, ita unus Deus habet tres personas in se.

Et hoc volo probare per autoritates. Et primo ut habetur Genesis 1 : « Faciamus hominem, etc... nostram. » Et hic loquebatur Deus ;

Digitized by Google

emissus. Benjamin lupus rapax. » (Genes. 49.) Lex ergo nostra Mosaica vocat bestias secundum proprietates et conditiones quas habituri erant bestiales. Non enim intelligebat Jacob quod Juda esset leo, nisi secundum proprietates, quia sicut leo dominatur bestiis, ita Juda, et David ex illa tribu, debebat dominari. Ideo Esaias dans illa signa, de hominibus loquebatur. Lupus enim rapax fuit Mattheus, ut dicit Beda, propter usuras, etc. Agnus purus et simplex fuit Joannes evangelista, qui simul habitavit. Pardus diversorum colorum fuit Nicodemus phariseus. Hedus Petrus apostolus, qui simul habitabant. Vitulus enim de quo fiebat principale sacrificium signat corpus Christi. Ovis simplex animam Christi. Leo potentissimus significat divinitatem. Et puer parvulus, sc. Christus noviter natus, minabit eos. Et caro, et anima, et divinitas tria hec simul erant in Christo. – Et quod Esaias loqueretur de hominibus patet ibidem, quia sequitur in textu : « Non nocebunt, et non occident in universo monte meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aque maris operientis. » (Esa. 11.) Clarum est quod loquitur de bestiis, que significant exemplum de hominibus bestiales conditiones habentibus. — Et non poterant resistere, etc. Ecce victoria rigorosa de tam rigoroso bello.

Secundo surrexit contra eum synagoga Cyrenensium, predicantem de materia divinitatis Christi, et humanitatis, quia sicut Deus quando voluit dare legem Judeis, assumpsit formam ignis, ut patet Exod. 19 et 20. Et vocabatur ignis : « Dominus Deus tuus ignis consumens est », dixit Moyses populo. (Deuter. 4.) Sic quando voluit dare legem novam evangelicam et gratie, assumpsit formam humanam. Utra est nobilior et melior forma, ignis an humanitatis ? — Clarum est quod humanitatis, ideo nunquam dimittet istam formam. Et jam dimissit formam ignis, quia est irrationabilis. Item nisi esset Deus, non posset salvare aliquem, nec etiam seipsum, quia sicut lucerna sine lumine non potest illuminare, nec etiam humanitas sine divinitate. — Tunc illi contra : Vos predicatis errores. Et nunquid legistis psalterium ? et in Psal. 80, dicitur : « Audi, populus meus, et contestabor, id est, protestabor te, Israël, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. » Cum ergo ille vester Jesus sit Deus recens, quia de matre, ubi habuit initium, natus, igitur, etc. — Respondit Stephanus : Christus Jesus non est recens, sed eternus, sed est homo recens. Sicut de filio regis xxx annorum, quando fit noviter miles, est novus miles, sed non est novus filius regis. Ita Dominus noster Jesus Christus est eternus filius Dei secundum divinitatem. Sed in aula uteri virginalis factus est novus miles, recipiens habitum humanitatis, ut posset bellare. Et sic licet fuerit homo recens, non tamen fuit Deus recens, nec alienus. Hoc patet cum in eodem principio sequitur : « Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te

Digitized by Google

de terra Aegypti ; dilata os tuum, et implebo illud. » Deus enim in hebraico ore stricte nominatur, sc. *El*, et etiam in latino *Deus*. Sed dilata os tuum et implebo illud. In hebraico dicendo *Adam*, id est homo, in latino dicendo *homo*, vult dicere quod ero Deus et homo.

Et victi recesserunt. Populus autem gaudebat, quia non poterant resistere sapientie et spiritui, etc.— Et cum predicabat Christum deberi credi crucifixum, non propter se, quia non indigebat ; sed propter nos redimendos, sibi essendos credentes et obedientes ; et declarabat sic : quod quidam Rex condemnabat quandam civitatem ; et omnes, majores et minores, erant in condemnatione ad furcam, nisi sibi solverent quod debebant ; et tunc venit quidam homo dives valde, dicendo Regi, quod ipse solveret totum debitum ; et sic liberati sunt.

Et tunc surrexerunt de synagoga dicendo contra beatum Stephanum : Vos dicitis quod vester Christus est homo et Deus eternaliter, et dicitis modo quod est mortuus ? Contra : quia non poterat mori Deus, ut habetur Isaie 9 : « Parvulus natus est nobis, etc... sedebit in eternum. » — Et respondit beatus Stephanus dicendo : Ego non dico quod Christus fuisset mortuus secundum Deitatem, sed secundum Humanitatem. Et ideo quando fit mentio in sancta Scriptura de eternitate, debemus intelligere de Divinitate : quia eternaliter est et erit : sed quando fit mentio de mortalitate, habemus intelligere secundum Humanitatem, secundum quam mortuus fuit in cruce ; et ita intelligitur Prophetia Isaïe. Et quod deberet mori, pro salvatione Humani generis, probatur, ut habetur Numer. 20, ubi dicitur quod « supremus sacerdos habebat mori antequam », etc. Et ideo dico quod hoc est significativum de morte sacerdotis summi Christi ut habetur in Psalm. 109 : « Tu es sacerdos, etc... Melchisedech. »

Tertio cum semel predicaret de Trinitate, dicens quod licet sit unus Deus solus, tamen ille est tres persone, pater generans, filius genitus, et Spiritus Sanctus spiratus. Exemplificatio in sole uno, in quo est pater generans, sc. subtantia, et que generat pater potest dici, et filius genitus, sc. radius, et Spiritus Sanctus spiratus, sc. calor. Ita Deus de sua substancia generat radium, quem filium dicimus, quem misit in hunc mundum, et non recedit ab eo, sicut nec radius a sole ; et charitas spirita a patre et filio spiritus dicitur. Dicebat beatus Stephanus : Non intelligatis quod tres persone sint ut tres reges vel gigantes, quia non sic sumuntur persone, sed sicut dixi. Ideo David Psal. 18 : « In sole posuit tabernaculum suum », id est similitudinem suam. Item dico quod sicut una anima habet tres potentias, ita unus Deus habet tres personas in se.

Et hoc volo probare per autoritates. Et primo ut habetur Genesis 1 : « Faciamus hominem, etc... nostram. » Et hic loquebatur Deus ;

Digitized by Google

sed cui loquebatur? Dicebant Judei quod Angelis. Sed dicebat beatus Stephanus, quod non : quia Angeli non possunt creare ut Deus : et ideo intelligitur de Deo, qui loquebatur Filio et Spiritui Sancto, qui poterant creare, dicendo : « *Faciamus,* etc... nostram. » Et non dixit *Faciam.* — Tunc surrexit contra eum synagoga Alexandrinorum dicens : Et nunquid dicitur : « Audi, Israël : Dominus Deus tuus Deus unus est. » (Deut. 4.) Et vos ponitis tres Deos, revocate, etc. — Respondit beatus Stephanus : Verum est quod Deus non est nisi unus in sua essentia, sed ille Deus unus est tres persone ; et hoc non est contra Moysen in autoritate allegata per vos, imo Moyses in dicta autoritate ponit tres personas secrete, quia ponit ibi tria vocabula ; volens nominare Deum dicit : « Audi, Israël, Dominus. » Dominus enim est nomen potentie, ecce persona patris, cui attribuitur potentia. Secundo dicit : « Deus », quod est nomen sapientie, ecce persona filii, cui appropriatur sapientia. Tertio dicit : « tuus », quod est nomen clementie et bonitatis, quod Spiritui Sancto attribuitur. Et nunquid in principio biblie habetis : « In principio creavit *Elohim* », in plurali, ubi accipitur pluralitas personarum ? — Et non poterant resistere sapientie et spiritui qui loquebatur.

Quarto cum semel predicaret de sacramento altaris, dicens quod ante verba illa est panis, sed dictis verbis a Christo ordinatis a sacerdote, statim substantia panis convertitur in corpus Christi, et continetur intra illam cortinam albam, et adoratur. Quemadmodum rex, quando audit missam, est inter cortinas ; et milites, licet non videant regem, inclinant contra cortinas. Ratio quare Deus instituit istud sacramentum fuit, quia sicut diabolus per fructum introduxit totum malum in mundo, et damnationem, ita Deus sapientior diabolo voluit per fructum afferre omne bonum mundo et salvationem, de quo dicitur virgini Marie : « Benedictus fructus ventris tui. » Ideo dixit Christus : « Hic est panis qui de celo descendit ; qui manducat hunc panem vivet in eternum. » (Joan. 6.) — Populus autem hoc clare videns et intelligens convertebatur.

Tunc surrexit contra eum synagoga Cilicianorum cum furia, dicens : Vos predicatis stultitias, quia panis non est adorandus. Nunquid dixit Deus : « Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies » ? (Deut. 6.) Ideo revocate quod dixistis, quia panis non debet adorari. — Respondit beatus Stephanus dicens : Verum est quod adoratione latrie solus Deus adorandus est, ideo Deus adoratur in hostia consecrata, quemadmodum adorabatur a Moyse, et Aaron, et aliis in arca. Non enim adorabant lignum, nec aurum, vel figuram, quia fuisset idolatrare ; sed adorabant Deum, quia tunc in figura arce voluit adorari. Ratio, quia sicut dat Deus vitam gratie hic, et glorie in futuro. Ideo sicut tunc non reputabatur inconveniens adorare Deum, nec modo debet reputari inconveniens adorando Deum in hostia. — Illi autem confusi recedebant quia non poterant resistere sapientie.

Digitized by Google

Quinto cum semel predicabat quod lex Moysi cessabat, et erat dimittenda quantum ad judicialia et ceremonialia, non autem quantum ad moralia, sc. precepta, quia licet esset bona pro illo tempore, non tamen pro isto, quia est bonum et melius, quemadmodum in formatione hominis, Genes. 2 : « Formavit Deus hominem de limo terre, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vite », etc. Bonum fuit corpus formatum, sed melius fuit anima inspirata, optimum autem fuit quando homo fuit perfectus in corpore, anima, et vita. Ita lex Moysi de limo terre, quia tota est terrena in promissionibus, nihil celeste promittit. Bona erat ut corpus, sed melior est anima, quia est spiritualis, ita melior est lex evangelica, tota spiritualis et perfecta, que non promittit temporalia imo dicit quod despiciantur, et promittit celestia, gloriam et beatitudinem. Bonus est puer ; sed melior est vir magnus, fortis, et discretus. Sed Deus qui fecit puerum, fecit ipsum magnum etiam, etc. Ita de lege veteri puerorum, et nova virorum, etc. — Surrexerunt de synagoga Asianorum dicentes contra : Et nunquid dicit David : « Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in seculum seculi, facta in veritate et equitate. » (Psalm. 110.) — Respondit beatus Stephanus : Imo ista autoritas declarat quod lex Moysi debeat durare in seculum seculi. Primum seculum fuit ex quo fuerunt in terra promissionis post exitum de Aegypto, et duravit usque ad transmigrationem. Secundum seculum fuit a transmigratione usque ad Christum Messiam. De hoc David : « Redemptionem misit Dominus populo suo, mandavit in eternum testamentum suum. »

Et non poterant eum superare. — Tunc venerunt ad manus, et accusaverunt eum coram judicibus etiam obstinatis, et habuerunt tres falsos testes, accusantes eum de blasphemia in Deum, in Moysen, et in legem. Beatus Stephanus excusans se, facta est facies ejus ut angeli, et illi stridebant dentibus in eum. Videns beatus Stephanus quod nec ejus excusatio, nec predicatio proficiebat, incepit eos redarguere. « Et lapidaverunt eum invocantem et dicentem : Domine Jesu, suscipe spiritum meum, etc... obdormivit in Domino. » (Act. Apost. cap. 7.) Et tunc lapidatus per malitiam Judeorum, tradidit spiritum Domino. Sed magis rogavit pro salute suorum inimicorum, quam pro sua. Nam pro sua stans, dixit : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum. » Sed pro inimicis, flexis genibus in terra, dicendo : « Domine, ne statuas illis hoc peccatum, » Item. Pro se summissa voce ; sed pro aliis, alta voce : « Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » Et ita cum hoc dixisset, « obdormivit in Domino ». Et sic est nunc gloriosus in gloria cum Deo.

Et sic modo est adimpleta nostra predicatio. — Deo gratias.

Ce qui peut être conservé du manuscrit de Valence est intercalé dans le texte. Le reste ne diffère, comme toujours, que par le ton

Digitized by Google

familier et les mots catalans ou espagnols : *batalla ; raus* et *rabins* (prononcez *raous* et *rabinnss*) ; *leon* et *oveja*.

Dicitur Deut. 26, quod judei receperunt duos *cabrones* [*boucs*], sc. de monte et de sacrificiis, et confitebantur peccata *cabroni* montis, et dicebant quod quando lupus comedebat *cabronem*, comedebat peccata.

Deut. 23 dicitur quod quando habebant *spatiare*, sicut gentes facerent *clotum*, et quod coperirent ne Deus videret *spatiatum*. — Et ideo propter istas *locuras* [*insanités*] quas nos non dicimus nec audemus dicere quod sint *locure*, quia erant figure nove legis ; alias, si non figurarent, possemus dicere quod sunt *locure ;* et ideo neque nos dicamus, neque judei, quia de parte essemus, sicut dicunt philosophi. Etc.

Sermon pour saint Etienne

(Variantes du manuscrit de Toulouse)

Dans les deux leçons la division est la même, la plupart des développements sont semblables ; mais le manuscrit est bien plus vivant. Il semble — ce qui est la note à peu près générale — que ce sermon, prêché avec des variantes, puisqu'il revenait tous les ans, a été pris en deux endroits différents, Toulouse le dernier. Les objections ne sont pas attribuées aux mêmes adversaires.

Le genre varie également :

Quartum bellum fuit alia die dum predicaret de sacrificio altaris, dicens quod non mirarentur, quia Deus voluit quod sicut de cibo venit omne malum, ita de cibo venit omne bonum, quem omnes in illa parva hostia debemus adorare. De hoc Ps. 98 : « Exultate Dominum Deum nostrum », sc. vos, sacerdotes, notate modum tenendi hostiam ante consecrationem et post ; et « adorate scabellum pedum ejus », sc. vos, layci, notate quomodo debet adorari sine conditione per vos qui estis scabellum pedum Dei ; quantum sanctum et dignum est.

Digitized by Google

Autre Sermon pour saint Etienne

(Ne se trouve que dans le manuscrit de Toulouse)

Stephanus erat plenus gratia, etc.
(Act. 6.)

Beatus Thomas in prima secunde, questione 112, articulo 5, movet talem questionem : utrum possit sciri certitudinaliter an aliquis sit in gratia ? Et dicit quod aliquid potest cognosci tripliciter. — Uno modo per revelationem, et isto modo potest sciri cum Deus hoc revelat aliquibus ex speciali privilegio, sicut Paulo dictum fuit : « Sufficit tibi gratia mea. » (II Cor. 12.) — Secundo modo cognoscit homo aliquid per seipsum certitudinaliter, quum principium gratie quod est Deus a nobis ignoratur propter suam excellentiam. — Tertio modo per signa et conjecturas, in quantum homo cognoscit se delectari in divinis, et contemnit mundana. Item in quantum non est sibi conscius alicujus peccati mortalis, ymo odit peccata et libenter audit Verba Dei. Joan. 8 : « Qui ex Deo est », etc. Item quia prompte operatur virtuosa juxta dictum Gregorii : « Amor Dei nescit esse ociosus. » Et sic patet responsio ad questionem ; et quia in beato Stephano fuerunt multi effectus virtutum, possumus dicere thema.

Unde habuit sex excellentias.

Prima quia fuit magne dignitatis et alte vis audire dignitates hujus sancti. Audi *(sic)* : Tu debes scire quia septem sunt ordines sanctorum : Virgines, confessores, etc., et angeli ; beatus Stephanus fuit tante dignitatis quod cum omnibus istis habuit aliquid commune, propter quod possumus dicere quod fuit angelis similis, patriarchis », etc.

Primo fuit Virgo. Aug. : « In eo quod Stephanus prelatus est feminis testimonium habuit integerrime castitatis ; ergo in gloria debet collocari cum virginibus. — Secundo fuit confessor confitendo divinitatem et humanitatem ; humanitatem cum dicit : Ecce video filium hominis ; divinitatem cum sequitur : Stantem a dextris Dei. Ubi ostendit quod Christus habet equalitatem cum Patre. — Tertio fuit martir, et non solum martir, ymo protomartir, portans vexillum. Aug. : « Sicut primus inter apostolos nominatus est Petrus, sic inter martires est Stephanus signifer et primicerius. » — Quarto apostolus tenendo vitam apostolicam. — Quinto propheta mortem suam predicendo. — Sexto patriarcha, eleemosynis et misericordie insistendo. — Septimo angelus, nam facies ejus visa est ut vultus angeli resplendentis ; ergo debet esse cum angelis. — Et sic patet quomodo fuit alte dignitatis ; et ideo possum dicere thema quod erat plenus gratia.

Secunda quia celestia secreta penetravit : unde vidit celum apertum,

Digitized by Google

vidit gloriam Dei et vidit Christum : « Ecce video celos apertos.» — Sic nos debemus levare oculos ad celestia dicendo : « Ad te levavi oculos.»

Tertia quia habuit generalem caritatem. Nota quid est generalis caritas : neminem excipere a dilectione. Unde dicit Christus Math. 5 : « Diligite inimicos vestros », exemplum prebens. Ita habuit beatus Stephanus diligendo Deum super omnia, proximum sicut seipsum, et dilexit inimicos orando pro ipsis. Ideo dicit de eo Ecclesia : « Da nobis quesumus, Domine, imitari quod colimus. » Cave tu qui portas odium ne alicui vetes verbum *(sic)*.

Quarta quia passio sua fuit similis passioni Christi ; et hoc in septem : primo quia sicut Christus *sa mori* prophetizat, sic n. (noster) *la* pronunciet. — Secundo quia sicut Christus invidia fuit morti *liurat,* sic noster invidia fuit *lapidat.* — Tertio quia sicut Christus per falsos testes fuit accusatus. — Quarto quia sicut Christus in capite spinis fuit coronatus, sic noster in capite lapidibus fuit vulneratus. — Quinto quia sicut Christus extra portam passus est, sic noster extra civitatem lapidatus fuit.— Sexto quia sicut Christus suam mortem *perdonet*, dicens : Pater, ignosce illis, etc., sic iste pro lapidantibus oravit dicens : Domine Jesu, accipe spiritum meum.

Quinta quia quatuor coronis fuit coronatus, unde *Stephanus* interpretatur *corona.* — Primo corona rosarum rubrarum, in quantum fuit martyr. Apoc. 2 : « Esto fidelis », etc. — Secundo aurea, in quantum virgo. Sap.: « O quam pulchra est casta generatio ! » — Tertio stellata, in quantum predicator. Dan. 12 : « Qui ad justitiam erudivit multos. » — Quarto gemmata, in quantum fuit vir perfectus. Ps. 20 : « Posuisti, Domine », etc.

Sexta quia in miraculis habuit magnam potestatem, unde in sua inventione terra contremuit, aër pluviam dedit, tempestas maris cessavit, ignem, quem demones excitaverant, in eos detorsit ; plures mortuos suscitavit, infirmos corporaliter curavit, et spiritualiter ut Paulum, de quo Aug.: « Si Stephanus non orasset, hodie Paulum Ecclesia non haberet. » Quosdam corporaliter et spiritualiter, ut Martialem infirmum et infidelem. Ergo possumus dicere thema attentis istis.

Nota quod 4 est plenitudo *(sic)*. — Primum sufficientie, que in mensura continens et contentum equaliter ; et hoc est in quolibet sancto habente caritatem, sufficit enim sibi quod habet ad vitam eternam. — Secundum est copie, quoniam mensura coagitatur ; et hec fuit in Stephano et apostolis. Act. 2 : « Repleti sunt omnes », etc. – Tercium est abundantie, quoniam mensura desuper repletur ; et hec fuit in Virgine Maria. Luc. 2 : « Ave, gratia plena »? — Quartum est quoniam mensura plena spargit undique ; et hec fuit in Christo cui non est datus spiritus ad mensuram. Unde « de plenitudine ejus omnes accepimus ». (Joan. 1.)

Digitized by Google

De beato Joanne, evangelista

(Manuscrit autographe)

Exultavit illum apud proximos suos.
(Eccl. 15.)
Alias : *Erat vir magnus apud Dominum.*
(IV Reg. 5.)

Pro introductione nota hystoriam Esther 6, de quinque fiendis circa hominem quem rex honorare desiderat : Omnia enim hec Christus fecit erga beatum Joannum. Ergo « exaltavit illum ».

Primo fuit indutus vestimentis regiis, de quibus Philip. 2 : « Cum in forma Dei esset », etc. Nam fuit consanguineus germanus Christi, et quasi de eadem pecia panni fuit indutus cum Christo, quando factus est Filius Virginis (Joan 19). Unde sancti angeli non permittebant se adorari a Joanne (Apoc. 19 et 22). Ideo Isa. 61 : « Gaudens gaudebo in Domino », etc.

Secundo fuit impositus super equum de sella regis. Ecce ejus Virginitas ; et non modice considerandus est, quia de nuptiis vocatus est virgo secundum Hieronymum. Apoc. 6 : « Ecce equus albus. »

Tertio accepit regium diadema super caput suum. Ecce ejus sapientia altissima. Hujusmodi corona Christi fuit coronatus in conceptione. Cant. 3 : « Egredimini et videte, filie Sion », etc. Sed Joannes ipsam accepit in cena quando supra pectus Christi quasi coronandus caput inclinavit (Joan. 13). Eccl. 45 : « Corona aurea », etc.

Quarto primus princeps, sc. ipsemet Christus tenuit equum ejus. Ecce innocuitas tormentorum. Nota de legenda ejus. Is. 43 : « Servus meus es tu cum transieris. »

Quinto fuit per plateas civitatis gloriose perductus eques incedendo. Ecce felix ejus transitus. Nota de ejus legenda. Et in equitatione notatur ejus resurrectio cum corpore per transitum in plateis civitatis, ejus elevatio in gloria usque ad suum ordinem angelorum. Job. 29 : « Quando procedebam ad portam », etc.

Digitized by Google

De sancto Joanne, evangelista

(Recueil imprimé)

Erat vir magnus apud Dominum suum, et honoratus. (IV Reg. 5.)

Pro declaratione hujus verbi, et introductione materie predicande, recordor de quadam historia que habetur Hester 6, de qua recipiam fundamentum mei sermonis.

Ille magnus rex et imperator Assuerus fecit semel questionem cuidam subtili consiliario suo, querens ab eo consilium dicens : Quid debet fieri viro quem rex honorare desiderat ? — Cogitans modicum ille, post respondit : « Homo quem rex honorare vult », etc. (Hester. 6.) Omnia ista debent fieri, sc. ista quinque homini quem rex vult honorare. Dominus Jesus rex potentissimus omnia ista quinque magnifice complevit in beato Joanne evangelista, ideo de eo proposui vobis thema dicens : « Erat vir magnus apud Dominum suum, et honoratus. ». Ex his quinque patet thema. — Modo videamus de quolibet unum modicum.

Quantum ad primum dicit : « Homo quem rex vult honorare debet indui vestibus regiis. » Dico quod beatus Joannes fuit indutus vestibus regalibus de eodem panno cum Christo. Ecce quomodo : Humanitas qua Christus indutus est in utero virginis, dicitur vestis. Ratio, quia sicut vestis cooperit corpus ne caro videatur, ita dicit scriptura : « Qui cum in forma Dei esset... habitu inventus ut homo. » (Ad Phil. 2.) Dico quod de eodem panno, sc. de eadem carne indutus fuit beatus Joannes. Unde cogitate, ac si de eadem pecia panni preciosi, sc. scarlata, indueretur rex et miles. Rex de uno capite, et miles de alio. Ita fuit de rege Christo, et milite Joanne. Peciam preciosi panni habuit beata Anna, que ut pecia panni habuit duo capita, id est duas filias. Prima tanquam caput principale fuit virgo Maria, ultima Maria Salome. De primo capite, sc. virgine Maria, fuit indutus Christus. De ultimo capite fuit indutus beatus Joannes evangelista. Ecce quomodo habuit primum honorem, quia fuit frater Jesu Christi per singularem filiationem virginis Marie. Quando enim Christus rex in die veneris sancta fuit in prelio, equitans super equum crucis, dixit virgini matri sue de Joanne : « Mulier, ecce filius tuus », non solum nepos, sed filius spiritualis. Et Joanni dixit : « Ecce mater tua », non solum cognata sive avuncula, « et ex illa hora accepit eam discipulus in suam », sc. matrem. Et ideo beato Joanni dixit angelus, quando voluit ipsum adorare : « Vide, ne feceris... sed Deum adora. » (Apocalyp. 19) Et dixit beatus Joannes : Quare

Digitized by Google

non? — Et respondit angelus: Quia Deus dedit tibi tantam excellentiam, quod non sum dignus ut adores me, sed solum Christum.

Modo ista singularitas de nullo alio legitur. Ideo ac si de eodem capite panni esset indutus, virgo Maria vocabat eum filium. Item Joannes vocabat eam matrem. Et Joannes considerans istum honorem, letus cantabat cantationem, dicens: « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitie circundedit me. » (Esa. 61.) — Nota in autoritate quatuor clausulas, reddendo singula singulis. Prima, gaudens, sc. de sanguinitate Christi, quia de eadem pecia panni indutus. — Secunda, gaudebo etiam, quia filius virginis Marie. — Tertia, et exultabit, id est, extra saltabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, id est Jesu, qui hebraice salus interpretatur, vestimentis, sc. consanguinitatis et germanitatis Jesu fuit indutus. — Quarta, et indumento justitie. — Item dicit: « Exultabit anima mea. » Nam differentia est inter gaudium et exultationem; nam gaudium stat in corde, et exultatio exit extra cor, demonstrando eam, saltando et ridendo. — Item « indumentum justitie », est penitentia, de quo magis exultabat beatus Joannes quam de veste: quia erat primus germanus (consobrinus) Christus. Et penitentia dicitur « Justitia », nam in ea fit justitia: sc. de corde, habendo contritionem de peccatis; et de ore, dando eis cum manu; et de auribus, audiendo Predicatores; et de *gula* abstinendo a cena, et potu et cibo; et de manibus faciendo restitutionem de furtis, et suspendendo eas in oratione; et de oculis, lacrymando et flendo in oratione; et de corpore, faciendo disciplinam et affligendo carnem. Unde dicitur Ps. 118: « Feci judicium et justitiam... calumniantibus me. »

Moraliter: Mantellus est bona vita vel penitentia cooperiens malas vestes inferiores, sc. superbie, avaritie, et luxurie, invidie, gule, ire, acidie. Induite vos mantello penitentie, et nullum peccatum apparebit in confusionem vestri. Ideo David: « Beati quorum remisse sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. » Ecce quare dixit: « Indumento justitie, sc. penitentie circumdedit me. » Vel aliter si vis: Indumento justitie, id est bone vite et justitie circundedit me, sc. ante, versus Deum per obedientiam ad divina precepta, plus facere secundum Dei voluntatem, quam secundum sensualitatem; retro, per benevolentiam ad omnes tam Christianos quam infideles, tam amicos quam inimicos. A dextris, prosperitatis per temperantiam, non superbire, nec excessum facere; a sinistris, sc. adversitatis per patientiam; et licet non portetis vestimenta consanguinitatis ut Joannes, tamen portabitis mantellum bone vite, de quo plus gaudebat Joannes, quia licet esset de Christi parentela, nisi habuisset bonam vitam, non habuisset paradisum. Ideo Apostolus: « Renovamini spiritu mentis vestre, et induite novum

Digitized by Google

hominem, sc. sanctam vitam, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate. » Si aliquis sit discoopertus ante per inobedientiam, retro per inimicitiam, a dextris per intemperantiam, a sinistris per impatientiam, induat se mantello bone vite, etc.

Quantum ad secundum gradum honoris dicit : « Vir quem rex voluerit honorare, debet imponi super equum de sella regis. » Istum honorem fecit Christus Joanni. Equitavit enim equum Christi de sella, freno, et calcaribus ejus. Si dicatur : Christus non equitavit equum, sed asinum pro necessitate. — Pro quo sciendum quod in scriptura sancta corpus nostrum spiritui comparatum dicitur equus. Ratio, quia sicut miles regit equum, ita corpus nostrum regitur a spiritu equitante, eundo ante per bona opera, vel refrenando per temperantiam a dextris vel a sinistris. Nota quod ad gubernandum equum requiruntur duo : primo frenum, secundo calcaria. Freno retinetur si est indomitus, calcaribus percutitur si est piger. Multi enim tam religiosi clerici quam etiam seculares equitant equum sine freno, ideo projiciuntur in lutum luxurie et corruptionis compatrum et commatrum, etc. Et totus mundus est corruptus. Multi dicunt : Ego vellem vivere caste si Deus faceret mihi gratiam, sed non possum, etc. Ratio, quia equitatis sine freno. Ecce stultitia, ac si miles vellet equitare equum indomitum sine freno, si cadit, culpa est sua, ideo quia nullus equus est tam infrenis quam corpus hominis. Ideo dicit Jacobus : « Et equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circunferimus. » (Jaco. 3.) Calcaria autem sunt amor de salvatione de pede dextro, et timor de damnatione de pede sinistro. Si equus tuus sit piger ad jejunandum, vigilandum, orandum, vel veniendum ad ecclesiam, percutiatur calcari de pede dextro dicendo : Corpus, labora modo, quia resurges impassibile, clarum, subtile, leve, etc. Si autem sic non vult se movere, percutiatur cum illo de pede sinistro, sc. timore damnationis, dicendo : si modo non vis jejunare, in inferno nunquam comedes. Idem de vigilia, cilicio, etc. Qui hic non vult facere penitentiam, faciet in inferno, et sine fructu. Ideo dicit scriptura de istis calcaribus : « Qui timetis Deum », ecce unum calcar ; « diligite illum », ecce secundum. (Eccles. 2.)

Et aliqui male equitant, ut luxuriosi, quia spiritus non equitat super carnem regendo ut miles equum, sed econverso, quia caro dominatur. De quibus dicit apostolus : « Qui secundum carnem sunt, que carnis sunt sapiunt. » (Ad Roma. 8.) Aliqui autem equitant ad os sine sella, ut sunt illi de matrimonio, qui tangunt carnem, licet non cadant servando modum citra mutuam fidelitatem. Virgines enim equitant cum sella equum, que nunquam tangunt carnem, nec corde desiderando, nec ore loquendo, nec opere faciendo. De quibus apostolus : « In carne ambulantes non secundum carnem militamus. » (2 Cor. 10.) Christus autem,

Digitized by Google

rex et Dominus noster, equitavit equum carnis sue, sive corporis sui cum sella virginitatis, quia nunquam scivit experimentaliter illam delectationem quam luxuriosus querit. Ideo apostolus : « Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior celis factus. » (Ad Heb. 7.)

Quinque excellentias de Christo dicit contra quinque modos peccandi per luxuriam. Primus modus est cogitando, desiderando, et delectando, sed quia Christus non cogitavit, nec talia unquam desideravit, quia sanctitas principaliter consistit in corde. Secundus modus est loquendo de materia, vel cantando, etc. « Corrunpunt enim bonos mores colloquia prava. » (1 ad Cor. 15.) Tales non sunt innocentes. Hiero.: « Non longe est a facto qui delectatur in verbo. » Et quia Christus nunquam de tali materia loquebatur, nisi reprehendendo, ideo dicitur innocens. Tertius modus est mollicies de illis qui per se polluuntur, timentes confundi si cum aliis, etc. Ideo dicitur impollutus. Quartus qui peccant cum mulieribus faciendo opus, Christus vero nunquam, ideo dicitur segregatus a peccatoribus. Quintus modus est contra naturam, quando non potest sequi generatio, etc. Christus dicitur altior celis factus, sc. in puritate. — In isto equo equitavit beatus Joannes, scivit enim regere corpus suum cum freno abstinentie, et calcaribus, etc., quia nunquam cecidit de sella virginitatis : ecce equus de sella regís ; ideo de ipso potest intelligi quod ipsemet dicit : « Ecce equus albus, sc. corpus beati Joannis, et qui sedebat super eum, vocabitur fidelis et verax.» (Apo. 19.) Fidelitas respicit cor, quia nunquam corde desideravit inhonestatem ; et verax, quia non fecit opere actum carnalem.

Si dicatur: Hoc non fuit singulare in Joanne, quia multi alii fuerunt virgines. — Dico quod multi sunt in paradiso virgines, et in hoc mundo, sed non credo quod tali modo sicut Johannes, quia non credo quod aliquis in tali puncto servasset virginitatem, sicut fecit beatus Joannes. Cum enim fuisset XXVII annorum, desponsavit uxorem, deinde fecit convivium nuptiarum, in quo fuit Christus et mater ejus virgo Maria, ut dicit Hieronimus ; ubi Christus mutavit aquam in vinum. Et factó convivio in sero, forte jam sponsa erat in camera, et forte in lecto. — Et sponsi, quid nunc cogitatis ? vos scitis qui transivistis : a capite usque ad pedes sunt carnales.—Tunc Christus vocavit eum dicens : Veni mecum, volo quod sis religiosus. Quia, ut dicit sanctus Thomas, apostoli faciebant tria vota, castitatis, paupertatis, et obedientie. Et statim Joannes recepto congerio a sponsa, secutus est Christum, ipsa potuit ducere alium virum. — Et ex hoc etiam determinatur, quod desponsati possunt separari per ingressum religionis. Ecce in quali puncto expectavit Dominus eum vocare, non ante desponsationem, nec ante convivium, sed quando jam lupus volebat devorare ovem. Ideo dicit Hieronymus

Digitized by Google

in prologo super evangelium Joan.: « Hic est Joannes evangelista unus, id est, singularis ex discipulis Domini, qui virgo a Deo electus est, quem de nuptiis volentem nubere vocavit Deus. — Moraliter: Joannes piscator XXVII annorum, et virgo venit ad matrimonium, modo si esset unus talis, non inveniret uxorem, statim dicerent: Non dabo illi, etc. Item quia statim obedivit Christo, dimittendo sponsam. Christus non precepit vobis dimittere uxores nec sponsas, sed quod caveatis ab immunditiis, quod sitis contenti de uxore vestra alba vel bruna, juvene vel antiqua, sana vel infirma, quia illud est onus matrimonii. Qui vero non sunt de matrimonio, abstineant, vivant caste, secundum consilium Thobie dicentis: « Attende tibi, fili, ab omni fornicatione, et preter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. » (Thob. 4.)

Quantum ad tertium gradum honoris, dicit: « Vir quem rex honorare vult, debet accipere regis dyadema super caput suum. » Corona qua Christus fuit coronatus in quantum homo in die conceptionis sue, fuit sapientia perfecta omnium rerum. Ratio, quia sicut corona portatur in capite, ita et sapientia. Ideo dicitur vulgariter de sapiente: Bonam testam habet. Corona autem Christi habuit quatuor flores ad similitudinem corone regis circunquaque. Ante per scientiam trinitatis, quam habuit in conceptione; non solum inquantum Deus, sed inquantum homo vidit trinitatem ita clare sicut modo in celo. Vidit enim patrem et filium spirantes Spiritum Sanctum. Retro habuit scientiam et cognitionem omnium creaturarum, et omnium rerum factarum et faciendarum, quot homines fuerunt ante et post erunt, et quot animalia; de die judicii, et de omnibus cordium cogitationibus. A dextris habuit cognitionem de scientia, et gloria paradisi, quia in instanti conceptionis aperuit sibi librum predestinationis, et cognovit quot essent salvandi, et causam salvationis, a sinistris autem habuit scientiam et cognitionem penarum inferni, et omnium damnandorum, in libro prescientie videns clare, et causas damnationis.

De ista enim corona Christus fuit coronatus in puncto sue conceptionis, quando virgo consentiens dixit: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. » In isto ultimo verbo corpus Christi fuit formatum, et anima infusa statim habuit scientiam omnium predictorum. De ista corona autoritas: « Egredimini, filie Syon, et videte regem Salomonem in dyademate quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die letitie cordis ejus. » (Canti. 3.) Nota: filie Sion, id est contemplationis anime, et videte regem Salomonem, id est Christum. Regula est tam Judeorum quam etiam doctorum nostrorum, quod in libro Canticorum ubi dicitur Salomon, vel dilectus, vel sponsus, intelligitur Deus. — In dyademate quo coronavit eum mater sua, quia ex parte matris sibi debebatur de jure regnum David, et non ex parte

Digitized by Google

patris, quia non habuit hominem patrem. In die desponsationis illius, id est, assumptionis humanitatis, et unitatis suppositi, quia sicut vir et uxor non sunt omnino duo, sed una caro. « Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. » (Mat. 19.) Ita humanitas et divinitas in Christo non sunt nisi una persona divina. — Et in die letitie cordis ejus, sc. scientie quam habuit subito.

De ista corona sapientie fuit etiam coronatus beatus Joannes evangelista super omnes alios in nocte passionis Christi. Cum enim beatus Joannes esset fessus, dormitabat cenando in tabula ; et hoc videns Christus dixit : Joannes, dormis ? inclina caput hic. Et tunc super pectus inclinavit caput, quia alias non fecisset, quasi vellet coronari supra pectus Christi in cena. Et tunc accepit hanc coronam sapientie Christi. Et ideo dicit Ecclesia in ejus officio : « Fluenta evangelii de ipso sacro dominici pectoris fonte potavit. » Et tunc fuit sibi imposita corona regis, quatuor habens flores. Ante per cognitionem Dei : ideo beatus Joannes fecit Evangelium. Retro per cognitionem omnium creaturarum, etc. A dextris per cognitionem glorie et salvandorum : ideo fecit primam epistolam canonicam. A sinistris per cognitionem damnatorum : ideo fuit secundam et tertiam epistolas canonicas. Ideo possumus de eo dicere : « Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis. » (Eccles. 45.)

Et dicit : corona aurea, nam ego invenio quatuor coronas : sc. de plumbo, de ferro, de argento et de auro. Corona plumbea est doctrina et scripta Poetarum, nam sunt nigre sicut plumbum ; et ideo dicit Cato *In Moral :* « *Nam miranda canunt, sed non credenda Poete.* » Et sic dimittatis hanc coronam plumbi communiter ; licet raro possitis vos servire de ea, sicut beatus Paulus. — Et corona ferri est scientia philosophicalis : nam sicut ferrum est forte, ita philosophia facit fortes rationes et argumenta. Et ideo licet possimus nos servire ea ut sclava [*ancilla*] theologie in aliquo passu, tamen ad fundandum fidem per eam non ; nam induceret nos in errores fidei et damnaremur. Et ideo habetur Ad Colossenses 2 : « Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam. » — Et corona de argento est rhetorica. Nam sicut argentum facit sonum, ita rhetorica facit sonum ad aures plausibilem : *Tantararan, Tantarantam, Tintirintim.* Et de hac corona habetur 1 Ad Corinth. : « Misit me Christus evangelizare non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. » — Et corona aurea est sancta theologia, sc. Biblia, scriptura doctorum approbatorum per Ecclesiam. Et ideo de hac loquitur cum dicit : « Corona aurea super caput ejus. »

Nota : « Expresso signo sanctitatis », quia corona sapientie sancte

Digitized by Google

theologie in predicatore non habebit vires, nisi sit signata signo sanctitatis, id est bone vite : nam si mittitur ad hanc villam [*Illescas*] littera bene scripta et ordinata et in pulchra forma et non sit ibi sigillum, quid dicetis de tali littera ? Certe bene respicietis et placebit vobis legere propter ordinationem pulchram ; sed tamen non dabitis credentiam, quia in ea deficit sigillum, quod dat fidem. Ita est de predicatione, quia licet sit bene ordinata, et cum multis authoritatibus : tamen si non sit signata sigillo bone vite non dabitis ei fidem ; sed dicitis : *O del bacallar !* [*verboso*] quomodo predicat bene ! — Et ideo quia beatus Joannes habebat bonam vitam dicit : « Expressa signo sanctitatis. » Et meruit hanc coronam sapientie. Et fuit de eo adimpleta prophetia, que habetur Psalm. 8 : « Gloria et honore, etc... tuarum ? » Quia sicut intus in anima habebat coronam sapientie, ita etiam expressebat extra, per signum sanctitatis et bone vite.

Multi enim hodie portant coronam sapientie, sed non expressam signo sanctitatis, sed vanitatis. Habent magnam scientiam, sed habent malam conscientiam. Sunt enim multi habentes coronam sapientie in capite quatuor floribus lilii ornatam in circuitu. Ante, sc. per scientiam quam habent de Deo, legendo, disputando de attributis, relationibus, et nominibus divinis, sed non expressatur signo sanctitatis, quia nullum saporem sentiunt devotionis. Retro per scientiam creaturarum, disputando de impressionibus et constellationibus corporum celestium, de generatione et corruptione, etc., sed non expressatur signo sanctitatis, despiciendo creaturas corruptibiles, imo aliqui maculantur ibi. A dextris per scientiam de gloria celesti, de illis qui salvantur, et per que opera, predicando, disputando, disponendo, de ordinibus angelorum, de gradibus glorie disputando, sed non expressatur signo sanctitatis, quia non paramus nos per bonam vitam ut ad illam perveniamus, nec illam ardenter desideramus. A sinistris per scientiam certam quam habemus de inferno, de penis damnatorum disputando, etc.; sed non expressantur signo sanctitatis, cavendo a peccatis, ne illuc descendamus.

Quantum ad quartum gradum honoris, dicit : « Vir quem rex honorare vult primus de regis principibus teneat equum ejus. » Istum honorem fecit Christus beato Joanni. Major princeps curie Christi inter angelos qui veniunt ad nos est Michael : « Ecce Michael unus, id est singularis, de principibus primis. » (Dan. 10.) Iste princeps ex mandato Christi tenuit equum, id est, corpus beati Joannis, in tantum quod non impegit cadendo per mortem in aliquid tormentorum, cum tamen alii Apostoli mortui sunt in tormentis. Joannes autem nec in tormento olei ferventis, in quod fuit missus a Domiciano imperatore propter Christum, cum tamen esset jam senex. Item nec in suo exilio in deserto captivus fuit mortuus, etc., nec venenum sibi datum ab Aristodemo principe idolorum

Digitized by Google

sibi nocuit. Ratio, quia major princeps curie Christi tenuit et duxit equum suum. Et fuit completa prophetia in eo dicens : « Servus meus es tu, cum transieris per aquas, sc. quando ducebatur in exilium in Pathmon, tecum ero, et flumina non operient te, et cum ambulaveris in igne, sc. in tormento olei, non combureris, et flamma non ardebit in te. » (Esa. 43.)

Quantum ad quintum gradum dicit : « Et per plateas civitatis incedens, sc. equitando cum corona in capite, et principe equum ducente, clamet princeps dicens : « Sic honorabitur quemcumque rex voluerit honorare. » Istum honorem fecit Deus beato Joanni. Civitas est paradisus. De qua David : « Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. » (Psal. 86.) Platee late funt ordines angelorum, « et platee civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. » (Apo. 21.)

Modo videamus quomodo princeps magnus sanctus Michael clamavit per plateas hujus civitatis. Dicatur cum beatus Joannes fuit centum annorum senex, Christus sibi apparuit invitans eum ad gloriam. Dicatur quomodo beatus Joannes ante diem sui obitus fecit fieri foveam quadratam in ecclesia et projecit terram extra ecclesiam, et vocato populo predicavit magnum sermonem de pace, dicens : « Filioli, diligite invicem. » Cumque nihil aliud diceret, cogita quomodo populus debuit dicere : O pater, oblitus estis tam pulchros sermones, etc. — Respondit, quia erat recessurus, ideo dicebat ista ultima verba, ut recordarentur, quia si diligitis vos ad invicem non habebitis inter vos rixas, discordias, nec malas voluntates, nec invidiam de honore, divitiis, officiis, etc. Facto sermone intravit foveam populo respiciente. Cogitate fletus de recessu tanti patris dicentis : Invitatus ad convivium tuum, Domine Jesu Christe, ecce venio. — Et subito Christus cum apostolis et sanctis angelis descendit cum tanta claritate, quod populus non poterat respicere, et beatus Joannes sine dolore tradidit animam in manibus Christi. Ideo dicit Hieronymus : « Tam extraneus fuit a dolore mortis quam a corruptione carnis. »

Post recessum claritatis populus ivit ad foveam, et non invenerunt nisi manna ibi quod scaturiebat. O ! dixerunt aliqui, ipse est Deus, ecce anhelitus ejus quid facit. — Sed falsum est, sed istud bullire de manna significat quod sic sua doctrina evangelica scaturivit per mundum. — Alii dixerunt quod est in paradiso terrestri, ut predicet contra Antichristum, ut sint tres testes contra eum, unus de lege nature, ut Enoch ; alius de lege scripture, ut Helias ; alius de lege gratie ; et erit tertius, ut Joannes. Sed hoc est falsum, quoniam ipsemet dicit, Apocalip. 11 : quod erunt solum duo testes, sc. Helias et Enoch, predicantes contra Antichristum. — Ergo ubi est ? — Tene doctrinam et opinionem sancti Thome, qui in postilla super Joannem dicit, quia postquam fuit mortuus in fovea,

Digitized by Google

ibidem resurrexit, et in corpore et in anima ivit in celum ; et intravit paradisum transiens per plateas, id est ordines angelorum equitans, quia sc., in corpore et anima transibat. Michael princeps clamabat dicens : « Sic honorabitur quem rex voluerit honorare. » — Et sic cum tali honore ascendit usque ad ordinem Seraphim, ad pedes Domini nostri Jesu Christi, et Virginis Marie, ubi habebat cathedram. Ideo potest dicere Joannes : « Quando procedebam ad portam civitatis in platea, sc. superiori, parabant mihi cathedram. » (Job. 29.)

Ecce quare dicit thema : « Erat vir magnus », etc.

A relever dans le ms de Valence :

Exaltavit illum, etc.; Ha exaltado a san Joan delante de sus proximos... sc. apostolos.

Sed dico quod magis excellenter dotavit eum, quia fecit illum filium Matris sue, cum in cruce dixit : Mulier, ecce filius tuus. — *Tabarthium* penitentie.

Et dicet aliquis modo : Oh ! non est singulariter privilegium, nam similiter virgo beatus Jacobus Minor erat, ut dicit quidam doctor antiquus Egyptius. — Et dico quod virginitas beati Joannis fuit magis exaltata, nam cum fuisset Christus invitatus ad nupcias que dicuntur architriclini, et non erat ipse architriclinus *el novio*, sed erat beatus Joannes qui tunc habebat XXVII annos ; et la *novia* nescitur, sed credatis quod erat juvenis *moça*. Et cum in vespere beatus Joannes voluisset jam se claudere cum *novia*, vocavit [eum Christus].

Il paraît qu'on le priait par écrit de faire des commissions :

Male faciunt qui mittunt mihi *albarana*... et quod dicam regine quod non vendatur aqua, etc.

Et apparet hic *locura* multorum qui dicunt quod possunt dimittere uxorem si fetet sibi alendum, vel miat, vel orinat se in cubili ? — Eh ! non bibant tantum.

Christus apparuit [*dicens*] quod tali die esset [beatus Joannes] in gloria. Et tunc dixit beatus Joannes : « Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine. » Et sunt quatuor opiniones de beato Joanne quid fecit quod non apparuit in fossa corpus ejus : et prima quod est vivus in paradiso terrestri, et stat cum Helia et Enoch. Et habet opinio hec fundamentum : ubi Helias (IV Regum 2°) predicavit legem scripture ; sed licet hec opinio habeat colorem, non est verum : Apocal. 2. « Dabo *duobus* testibus et prophetabunt. » — Et secunda opinio est quod adhuc stat in fossa vivus, copertus de manna, et quod ideo manna stat movendo et fervendo se altius ut exiret et non suffocetur ; et opinio fundatur cum dicitur :

Digitized by Google

« Sic ego eum volo manere donec veniam. » Et hec opinio non est vera, nam est contra textum : « *Non* dixit, non moritur, sed, etc. » Tertia opinio est quod mortuus est, et anima ascendit in celum, et corpus remansit in fossa copertum de manna. — Et quarta est quam tenet beatus Thomas, et hanc ego teneo : quod beatus Joannes fuit mortuus corporaliter, et ejus anima accessit in gloriam, sed statim reversa fuit et recuperavit corpus, et est modo in anima et corpore...

Le ms de Toulouse est sensiblement pareil, cependant avec le caractère qui lui est propre, qui peut tenir au sténographe :

Stat sapientia sicut corona in capite, unde dicitur de homine sapienti : « Oh ! talis est homo *bone teste !* »

Imperator dedit sententiam quod non predicaret fidem Christi, aut quod poneretur in *cacabo* olei ferventis. Et Joannes recordans precepti Christi : « Euntes predicate » ; maluit predicare. Et statim fuit parata lebes plena oleo ferventi. Et Joannes expoliavit se, et erat senex, et intravit lebetem signando et dicendo : « Jesus, Marie filius, sit mihi clemens et propitius. » Et ipse lavabat se cum illo oleo sicut si esset in uno balneo ; nam sicut ignis luxurie non calefecit eum, nec oleum fervens potuit eum comburere, quia princeps Michael *destrabat* equum.

Les détails sont partout plus gracieux ; les fiançailles de Jean, par exemple. On sent que la source n'est pas loin ; c'est plus frais.

Digitized by Google

De Innocentibus

(Canevas autographe)

Pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus.
(Job. I)

Valde diversum fuit initium vite Christi a fine. In fine vite mori voluit solus, et nullus sanctus seu innocens secum ; et hoc ut ejus passio ostenderetur sufficiens pro humana redemptione. Ps. 6 : « Torcular calcavi solus », etc. In principio autem vite sue, ne videretur involontarius mori, fuit e contrario. Exod. 23 : « Non coques hedum in lacte matris sue. » Juxta quod dicit thema : « Pueros percusserunt », etc. — Hujus percussionis triplex est causa.

Ex parte Christi obedientia copiosa ;

Ex parte Herodis malitia venenosa ;

Ex parte Judeorum duritia malitiosa.

De primo : Christus voluit servare legis precepta usque ad mortem. Math. 5 : « Nolite putare... omnia fiant. » — Fuit autem preceptum de premitiis offerendis Deo. Deut. 26 : « Cum intraveris terram », etc. Hoc mandatum fuit prophetia ad Christum ; et per cartallum intellige lymbum. Apoc. 14 : « Hi empti sunt, ex hominibus primitie... ante thronum Dei. » — Nota quod anime parvulorum in alia vita non habent maculam culpe, ideo nec ignorantie, contra errorem assumptum per aliquos ex dicto philosophie de tabula rasa.

De secundo : unus et idem effectus habet aliquando causas contrarias, sicut cum juvencule pauperi eleemosyna mittitur a domino pio per lubricum servum ; cum reus punitur a judice per ministrum malivolum. Herodes ergo, tanquam servus lubricus, habere plebem israëliticam desiderans, et tanquam minister malivolus volens infantem Christum interficere, « mittens, occidit omnes pueros », etc. (Math. 2.) Juxta prophetiam Jer. 31 : « In excelso audita est vox », etc. — Nota causam desolationis : « Quia non sunt », sc. in vita eterna, quia per triginta tres annos fuerunt in lymbo. Sed subditur contra mulieres nimis flentes pueros morientes : « Hec dicit Dominus : quiescat », etc.

De tertio : Judei parentes innocentium propter suam duritiam justissime fuerunt puniti in morte filiorum. Ratio : Deus communiter punit peccatorem juxta illud in quo offendit, ut sc. ex ipsa pena culpam adver-

Digitized by Google

tat. Anselmus : « De pena tua peccatum tuum accusa. » Exemplum Jud. 1, de Adonibezech : « Sicut feci ita retribuit mihi Dominus. » Sap. 11 : « Per que peccat », etc. Quia ergo Bethleemite noluerunt filium Dei recipere timore Herodis, ideo, etc. Osee 9 : « Ipsi intraverunt ad Beelfegor », etc. Si arguatur quod « filius non portabit », etc. (Ez. 18.) Responsio : Non est dicenda punitio laceratio paupercule vestis ut accipiatur preciosa, 1 Cor. 15 : « Oportet corruptibile hoc », etc.

In Festo sanctorum Innocentium

(Recueil imprimé)

Pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus.
(Job. 1.)

Hodie est tertium festum junctum Nativitati Domini nostri Jesu Chriti. Ratio hujus societatis est ista : Christus venit in hunc mundum ut aperiret tres portas paradisi. — Prima est de penitentia, per quam possent intrare peccatores. Ideo dicit Christus : « Non veni vocare justos, sed peccatores ad penitentiam. » (Luc. 5.) — Et quia beatus Stephanus fuit magne penitentie, non solum jejuniis, vigiliis, etc., sed etiam voluntarie patienter sustinendo martyrium, et sic intravit per portam penitentie : ideo jungitur Nativitati Christi. — Secunda porta est obedientia : Et quia beatus Joannes fuit obediens, non solum ad precepta, sed ad consilia evangelica ; ideo fuit singulariter dilectus a Domino, ideo jungitur Nativitati Christi in secundo loco. — Tertia porta est innocentie, et istam aperuit pueris innocentibus : ideo in tertio loco junguntur Nativitati Christi.

Festum hodiernum, de quo modo volo predicare, erit de Innocentibus. Sed prius salutetur Virgo Maria.

Pro declaratione hujus verbi, et introductione materie, sciendum quod inter principium sacratissime vite Domini nostri Jesu Christi, quam tenuit in hoc mundo XXXIII annis, et finem, invenio magnam differentiam, et diversitatem, quasi contrarietatem. Nam in fine voluit mori sine societate alicujus sancte persone, licet inter latrones voluerit mori, non tamen cum societate sanctarum personarum, sed solus voluit portare onus. Ratio, quia si aliqua persona sancta et innocens cum eo fuisset mortua, dixissent aliqui infideles, quod sua passio non fuisset sufficiens. Imo fuisset necessarium quod talis sanctus cum eo fuisset mortuus.

Digitized by Google

Ideo ad expellendum istum errorem solus voluit mori cum latronibus, de quibus nulla fuisset ejusmodi suspicio seu error. Ideo in nocte passionis quando debuit capi a Judeis, obtulit se eis dicens : « Quem queritis ? » At illi : « Jesum Nazarenum.» Et ille : « Ego sum.» Et precipiens eis ait : « Si ergo me queritis, sinite hos abire. » (Jo. 19.) Solus voluit pati ostendens quod sua passio fuit precium sufficiens et superabundans, et fuit completa prophetia, Esa. 63 : « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. » Torcular fuit sancta crux, ubi calcatus fuit racemus humanitatis, et vinum sanguinis effusum cum verberibus, corona spinarum, clavis, etc. Et de gentibus non est vir mecum, sc. a virtute, sanctus et justus. Non est vir mecum, sed solus voluit pati. Ecce finem vite Christi.

Sed principium vite sue gloriose fuit diversum, quia ipso nato, omnes innocentes illius patrie de attinentia de Bethleem mortui sunt, et ipse solus evasit. Ratio quia licet fuissemus redempti per mortem illam si voluisset, tamen adhuc indigebamus instructione evangelice doctrine ab ore ejus. Item quia dixissent infideles quod involuntarie fuisset mortuus. Ideo noluit mori puer, sed in meliori etate voluit voluntarie mori. De hoc Moyses prophetans, et est simul figura Christi et preceptum Judeis, dixit : « Non coques hedum in lacte matris sue. » (Exo. 34.) Judei ut rudes exponunt ad literam, ac si Deus fecisset se eorum coquinarium, sed est verbum prophetie, et dirigitur Herodi regi : Non coques, sc. per anticipationem mortis, hedum, id est Christum, in lacte matris sue, sc. puerum parvulum lactantem. Istud verbum ter replicatur a Moyse, sc. Exo. 23 et 34, et Deu. 14. Et ter proposuit Herodes occidere puerum Jesum, sed Deus impedivit. Primo in ejus nativitate, quando auditis miraculis de claritate noctis, de pastoribus, et de animalibus, et de angelis in aere cantantibus, cogitavit ipsum occidere, sed non fuit ausus, timens insultum quia erat novus. Secundo in adventu regum orientis querentium et dicentium : ubi est qui natus est rex Judeorum ? Tunc etiam proposuit ipsum occidere, sed non potuit, quia filii sui insurrexerunt contra eum, et in illis occupatus, etc. Tertio quando fuit quadragesimo die presentatus in templum in Hierusalem, ubi erat Herodes, et sanctus Symeon et Anna prophetissa omnibus prophetabant quod ille erat rex Messias. Cogitate quod ista verba venerunt ad aures Herodis, et tunc Herodes voluit eum occidere. Sed « angelus in somnis apparuit Joseph dicens : Accipe puerum, et matrem ejus et fuge in Egyptum ». Tunc alii pueri fuerunt occisi, et Christus evasit per fugam. Ideo dicit thema : « Pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus. »

Istud thema tangit duas materias. — Primo de morte innocentium preciosa, cum dicit : pueros percusserunt gladio. — Secundo de fuga Christi virtuosa, cum dicit : et evasi ego solus. — Solum predicabo de

Digitized by Google

prima materia, sc. de morte innocentium, de qua inveni tres rationes sive causas.

Prima ex parte Christi.

Secunda ex parte Herodis.

Tertia ex parte Judeorum.

Si enim mortis istorum puerorum causa seu ratio sumitur ex parte Christi, venit per obedientiam copiosam. — Ex parte Herodis, venit per maliciam venenosam. — Ex parte Judeorum, venit per duritiam maliciosam.

Dico primo quod, etc. Fundatur sic. In tota vita sua voluit Deo patri obedire, in quantum homo, servando omnia precepta legis veteris usque ad mortem. Ratio, ad complendum eam, quia sicut fuit initium nove legis, ita fuit complementum veteris. Ideo voluit servare utrumque, quia sicut sol est initium diei, et finis noctis, ita Christus fuit terminus sive finis, ut dicunt omnes doctores. Autoritas : « Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis. » (Apoc. ult.) Nota : sicut enim in nostro alphabeto prima litera est *a*, et ultima est *z*, in alphabeto Judeorum prima litera est *aleph,* ultima *thau.* Ita in Greco alphabeto, prima litera est α, et ultima ω. Ideo dixit : Ego sum α, id est principium nove legis, et ω id est finis veteris legis. Ideo mortuo Christo mortua est lex Mosaica, et resurgendo resurrexit nova lex. Autoritas : « Nolite putare quoniam... donec omnia fiant. » (Mat. 5.) Nota, celum. Celum continens secreta celestia est anima Christi, terra corpus. Celum et terra transierunt in morte Christi, quando anima cum divinitate transivit ad limbum, et corpus ad sepulchrum, tunc lex Moysis transivit, quam Christus servavit, nec aliquod preceptum dimisit. Et *iota* est quedam littera parva, sc. *i.* Et *apex* signat punctum, quod sit supra ipsam litteram *i.* Et littera parva *i* significat mandatum legis parvum ; et *apex* minimum. Ita quod non debet frangi aliquod mandatum legis, neque magnum, neque parvum, neque minimum. Item, Christus voluit servare et obedire legi Moysis : nam sicut lex nature debebat cessare veniente lege scripta Moysis ; et lex Moysis veniente lege gratie ; et etiam lex gratie veniente lege glorie in fine mundi ; ita Salvator Christus verus Messias, videns quod adhuc non dederat legem gratie voluit servare legem Moysis postquam cessaverat jam lex nature ; et lex scripture debebat cessare per legem gratie. Et de hoc habetur prophetia Isaie 62 : « Propter Sion, non tacebo, etc... accendatur. » Et fuit Christus vera claritas in sua predicatione : nam illuminabat gentes, predicando de gloria et de inferno, et quomodo debebant gubernari in hoc mundo. Et ita predicatio Christus erat claritas, quia non predicabat oculta per *rincones (angulos)* sed palam. Et dicit *lampas ;* nam sicut lampas elevatur

Digitized by Google

altius *colgada (suspensa)*, et se comburendo illuminat alios ; ita Christus fuit suspensus altius in cruce, et se comburendo per ignem sue Passionis illuminavit alios, per partem suam. Et ita Christus complevit legem Moysis.

Modo inter alia precepta erat unum de primitiis offerendis. V. gr.: Qui habebant agrum, tempore messis colligebant primas spicas albas, et ponebant in canistro, et offerebant eas Deo in templo. Idem de primis racemis maturis, et de aliis fructibus fuit preceptum : « Cum intraveris terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi posidendam, et obtinueris eam atque habitaveris in illa, tolle de cunctis frugibus tuis primitias, et ponas in cartallo, pergesque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus. » (Deut. 26.) Hoc simul fuit preceptum et figura de Christo. Inquantum est preceptum, est verbum Dei ad populum Israël. Inquantum est figura, est verbum Dei patris ad filium dicentis : Cumque intraveris terram, quam intravit in die incarnationis ; et obtinueris eam, atque habitaveris, sc. nascendo, tolles de cunctis frugibus tuis. — Fructus quos Christus expectabat erant martyres, et doctores, confessores, virgines, penitentes, continentes, et innocentes, qui fuerunt innumerabiles, intantum quod Joannes qui vidit dicit : « Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. » (Apoc. 7.) — Primitie autem istorum fructuum fuerunt sancti innocentes, quos Christus obtulit Deo patri de fructibus sui agri, sc. hujus mundi. Ecce prima ratio sive causa mortis innocentum ex parte Christi, sc. obedientia copiosa, servando preceptum patris, et complendo prophetiam.

Sed nota cum dicit : Et pones in cartallo, id est canistro, et nunquid tantum valeret aliud vas? — Non, propter figuram. Cartallus enim figurabat limbum inferni sanctorum patrum ; ibi innocentes fuerunt positi, XXXIV annis, et post passionem Christi in die ascensionis obtulit in templo paradisi primitias Deo patri. Ideo dicitur : Pergesque ad locum, etc. De hoc autoritas novi testamenti : « Hi empti sunt ex omnibus, sc. sanctis futuris, primitie Deo et agno, et in ore eorum non est inventum mendacium. Sine macula enim sunt ante thronum Dei. » (Apoc. 14.) Nota quando dixit : In ore eorum non est inventum mendacium. Que commendatio est ista cum ipsi nunquam fuerint locuti? Non dicere mendacium in adultis loquentibus est virtus, sed in pueris nondum loquentibus que virtus est? — Respondeo quod in hoc mundo non fuerunt locuti, sed in cartallo, id est in limbo. Cogitate hic quomodo illi sancti patres viderunt simul venire tot pueros, etc. Et interrogabant eos unde veniebant, etc. Pueri inceperunt loqui, etc., dixerunt eis causam mortis eorum, quia propter Christum verum Messiam natum. Cogitate quale gaudium fuit sanctis patribus. Cogitate Moyses qui

Digitized by Google

prophetaverat de istis primitiis ponendis in cartallo, quomodo fuit gavisus quando vidit suam prophetiam completam. Et quia pueri dixerunt puram veritatem, ideo dixit : In ore eorum non est inventum mendacium.

Item dicit : Sine macula enim sunt, sc. modo in paradiso ante thronum Dei. Nota quod pueri quando nascuntur de lege communi, nascuntur cum duabus maculis, sc. cum macula culpe, que a theologis dicitur peccatum originale, et cum macula pene, sc. ignorantia, que est pena peccati originalis. Dicatur quid sit peccatum originale, ac si ista villa fecisset imaginem de auro vel argento, ut ponatur in templo, et dum portatur, cadit in lutum, etc. Anima hominis est propriissima imago Dei pulchra, intantum quod si posset videri, etc. Deus ut bonus argentarius fecit eam, ut ponatur in templo paradisi, sed cadit in lutum generationis humane in utero matris ubi creatur et infunditur, ibi recipit maculam sine culpa sua, et nisi lavetur per baptismum, non intrat templum paradisi, sed quia non est culpa sua, ideo non habebit penam. Ecce quid est peccatum originale. Ideo dicit scriptura : « Quis homo ut immaculatus sit, sc. sine peccato originali, et ut justus appareat natus de muliere ? » (Job. 15.) Et hec macula peccati originalis, tollitur et mundatur in baptismo, virtute Dei : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti » ; ut habetur Ezechiel 36 : « Effundam super vos, etc... vestris. » Et mundatur alio modo, sc. per sanguinem Christi, recipiendo martyrium pro Christo. Et ita fuerunt mundi isti pueri per martyrium quod receperunt amore Christi, ut infra videbitis. — Et ideo dicit : « Sine macula sunt ante thronum Dei. »

Secunda macula est pena, sc. ignorantia, quia pueri quando nascuntur, nullam habent scientiam ; animalia autem et aves quando nascuntur. jam habent scientiam suam et industriam, ut pullus statim natus scit eligere grana milii sive panis inter paleas si apponantur. Item agnus vel capreolus noviter natus statim invenit ubera, et puer nihil. Item in clamore cognoscit matrem, et puer nihil. Item pullus si videt milvum, et agnus lupum, statim cognoscunt quod sunt inimici sui ; puer nihil. Ideo philosophus coactus est dicere, quod anima in principio sue creationis est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum. Ab istis duabus maculis pueri isti innocentes per martyrium fuerunt mundati, licet eis displicuerit, sicut mundantur ab eadem pueri in baptismo, licet displiceat eis, sed in fide parentum purificantur. Plus purificat baptismus sanguinis, quam aqua, quia non solum purificat animam, non tamen ut fiat festum. Purificabantur enim in fide parentum, sc. Christi, in cujus nomine occidebantur, et matris Ecclesie : « Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni. » (Apo. 7.) Quia virtute passionis Christi purificati sunt. — Item mundantur a culpa ignorantie, quia statim animabus separatis

Digitized by Google

per martyrium, infusa et data fuit eis tanta scientia de philosophia et theologia, plus quam habuerit aliquis magister seu doctor unquam in hac vità, licet non statim habuerunt gloriam, habuerunt tamen scientiam. Dicatur similitudo de tacea febrida *(sic)*, que sub cappa abscondita non clarescit. Ita de animabus sub carne absconditis, sed a carne exute seu separate habent tantam scientiam. Greg.: « Quid est quod non videant qui videntem omnia vident ? » Ecce quare dicit : Sine macula enim sunt, sc. culpe et ignorantie.

Secunda ratio seu causa mortis sanctorum innocentium est ex parte Herodis, fuit malitia venenosa. Quando enim audivit Christum natum fuisse, et miracula, et reges orientis, timuit ne populus insultaret contra eum, et cogitavit eum occidere. Et quia ipsum nesciebat determinare, occidit innocentes. Ecce malitia venenosa. Fundatur sic per prophetiam moralem, et theologiam divinalem. Regula est, quod idem actus respectu diversarum causarum est virtuosus et vitiosus, bonus et malus. Sicut cum juvencule pauperi eleemosyna mittitur a Domino pio per malum servum et lubricum, qui occasione illius eleemosyne peccat cum ea, illa eleemosyna habet duas contrarias causas : bona et virtuosa est ex parte Domini, mala et vitiosa ex parte servi. Idem in proposito, juvencula gratiosa erat gens Judaica, et paupercula de bonis et sanctis personis. Et Dominus Jesus de mensa glorie voluit mittere eleemosynam sibi unum manipulum denariorum, sc. multitudinem sanctorum innocentium, quam misit per servum lubricum, sc. Herodem ; intentio Christi fuit bona, ut abundaret in sanctis, etc., intentio autem Herodis ministri mala, quia ut corrumperet eum, tyrannice occideret. Ideo dicit evangelista : « Herodes mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus a bimatu et infra. » (Mat. 2.)

Dicatur practica, secundum quod rationabiliter potest cogitari, quomodo factum fuit. Herodes vocavit gentes armorum quas tenebat, quia nondum reputabat se securum, dicens eis : Jam audivistis de isto puero nato, et murmurant quod est rex Israel, timeo quod una die populus insurgat contra vos, etc. Malus rex et mali ministri dixerunt : Ergo moriatur ille puer. Dixit Herodes : Non possum scire ubi est, bene tamen scio quod est in Bethleem natus. Ideo ibi est, vel in locis vicinis. Ideo cogitavi ut omnes pueri illius patrie interficiantur. Et ministri : Bonum est. Sed quomodo fiet ne populus se aviset, ne abscondant pueros filios ? Dixit Herodes : Modo oportet quod hoc sit secretum. — Et ordinavit taliter quod eodem die et hora interficerent. Cogitate quod sub aliquo colore. Et dixit Herodes : Non invenio alium modum nisi quod sic : Octavianus imperator mandavit describi omnes masculos, ut solverent unum denarium de argento, sic et ego ordinabo, quasi volens scire quot pueri sint in terra,

Digitized by Google

nolens quod aliquid solvant, ne forte abscondantur, imo dicetur quod dabo eis strenas ; et sic fuit ordinatum. Ita fuit preconizatum in terra Bethleem, quod tali die et tali hora omnes pueri fuissent congregati in platea ; et ita fuit, et homines armorum posuerunt se in angulis platearum, ne aliquis pater aut mater cum filiis possent fugere, vel si vellent se defendere, quod interficerent ; et quelibet mater leta portabat vel mittebat per nutricem suum filium, sperans strenas habere, etiam forte clenodia *(sic)*.

Dicatur de crudeli strage et occisione innocentum. Dicebant alique : Non est filius, sed filia, volentes filium salvare a morte. Alie abscondebant, ne etiam perderent ; deinde perquirebant domos si invenirent per thecas, et interficiebant pueros. Tot innocentes occiderunt, quod innumerabiles quasi fuerunt. Parentes vero videntes tot gentes armorum, non poterant resistere. Aliqui volentes defendere filios, mortui fuerunt cum ipsis. Ecce ista effusio sanguinis sanctorum innocentum, qualiter fuit facta ex crudelitate Herodis. De hoc prophetaverat Hiere. dicens : « Vox in Rhama, id est in excelso audita est, ploratus et ululatus multus. Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. » (Hier. 31.) Et allegatur Mat. 2 : Cogitate quot lamentationes et fletus erant in locis illius patrie. — Diceret aliquis : Quare dicit, Rachel plorans, etc., quia non fuerunt filii Rachel, sed Lye, que fuit mater tribus Jude ? — Duas responsiones dabo, unam literalem, aliam allegoricalem. Literalis est, quia Rachel fuit sepulta juxta Bethleem ; et quia erat sancta, reputabatur mater tribus Jude et patrona, ut beata Eulalia Tuchie. Ideo dicitur Rachel plorans, etc. Allegorice, Rachel, id est visum principium, et significat secundam Christi uxorem. Prima fuit synagoga, sed ut putana Christum abnegavit per Bentozinam (1). Secunda est sancta mater Ecclesia. Lya lippa signat synagogam, Rachel pulchra Ecclesiam. Rachel, id est Ecclesia plorans filios suos, ideo hodie dimittitur cantus letitie, sc. *Gloria in excelsis, Te Deum laudamus, Alleluia ;* et noluit consolari, quia non sunt nec in hoc mundo, nec in gloria, quia XXXIII annis steterunt in limbo, ideo cessant cantus letitie. Ideo Hier. quasi consolando dicebat : « Quiescat vox tua a ploratu... filii tui ad terminos suos. » (Hier. 31.) Limbus dicitur locus inimici, ideo quia ipse procuravit illum locum.

Moraliter habemus exemplum in dicta autoritate, qui filii sunt flendi in morte, et qui non. Rachel, id est Ecclesia, plorat filios quia non sunt, sc. in gloria. Ita quando moriuntur filii qui non intrant in celum, sicut pueri non baptizati, qui ex culpa parentum moriuntur, aliquoties ex culpa patris, qui male tractat uxorem gravidam, vel ipsius matris gravide, que tripudiando, vel equitando, vel partum abscondendo fecit abor-

(1) Faux prophète.

Digitized by Google

tivum, illi sunt flendi, et in judicio petent justitiam a Deo, etc. Item flendi sunt filii et filie adulteri, et filii et filie male vite, ribaldi, truffatores, etc., quia illi non intrant in celum, sed ad furcam inferni. Sed in morte filiorum innocentum post baptismum majus festum deberet fieri quam in nuptiis. Dicatur de Domino, qui in morte primogeniti gaudens, vestitus de scarlata, ideo, etc. Ideo apostolus : « Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent. » (1 ad Thessa. 4.)

Tertia ratio est ex parte Judeorum, sc. parentum puerorum, fuit duritia malignosa. Fundatur sic ista ratio. Deus habet istud in sua providentia, quod nunquam dimittat peccatum impunitum, quia vel punitur in hoc mundo, vel in alio mundo, vel in utroque. Sicut enim non dimittit aliquod bonum irremuneratum, quia vel hic, vel in alio mundo, vel utrobique remunerat, et dicunt doctores quod in punitionibus penitentia correspondet culpe. Aug.: « De penitentia tua peccatum tuum accusa. » V. gr.: Si doles caput, cogita quod per caput peccasti superbiendo, vel vane ornando crines, etc. Quia « per que quis peccat, per hec et torquetur ». (Sap. 11.) Item si per oculos, videndo vane, torve, ex odio vel invidia ; vel per nares, etc. De penitentia tua vel de pena tua peccatum tuum accusa. Si in facie, cogita quod ex picturis. — Dicatur de illa nobili muliere, que effecta fuit leprosa. Item de alia, que habuit cancrum in uberibus, que ostendebat, et mortua est. Patet ergo quod secundum culpam Deus dat penam. — Dicatur exemplum de rege Adonibezech superbissimo, qui sibi subjugabat reges multos, quia tunc quelibet civitas habebat regem, sicut modo episcopum, et scindebat eis manus et pedes, et sine manibus et pedibus faciebat eos comedere sub mensa cum canibus, projiciendo ossa, et quando se percutiebant propter ossa, ipse ridebat. Ecce qualis crudelitas, cum autem semel intrasset prelium contra populum Israel, percussus fuit, et perdidit manus et pedes, et dixit percussoribus : « Antequam interficiatis me, audite modicum ; et dixit : Septuaginta reges... Sicut feci, ita reddidit mihi Dominus. » (Judicum 1.) Per que quis peccat, etc. Patet regula ad propositum.

Videamus patres et matres innocentum in quo peccaverunt contra Deum : Nonne in hoc quod noluerunt hospitio recipere virginem gravidam, nec Joseph sponsum, nec etiam post nativitatem, visis tot miraculis, noluerunt recipere filium Dei, et matrem, et Joseph, ne Herodi regi displicerent, ideo Deus provocavit contra eos Herodem, etc., quia per que quis peccat, per hec et torquetur. Et fuit completa prophetia Osee 9 : « Ipsi intraverunt ad Beelphegor, id est, ad Herodem, id est devorantem, et abalienati sunt, sc. a rege suo in confusione, quod et si enutrierint filios suos absque liberis eos faciam in omnibus. » — Si dica-

Digitized by Google

tur : Domine, quando erit hoc ? — Respondet : Ve eis cum recessero ab eis, sc. fugiens in Egyptum. — Moraliter habetis hic doctrinam et instructionem ne complaceatis creature contra Deum, quia alias Deus provocabit contra vos dominum. Ideo pauci diu durant in amore dominorum, quia contra Deum, etc. Idem de muliere complacente viro contra Deum. Deus provocabit istum contra eam. David : « Quoniam Deus dissipabit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. » (Psal. 52.) Nota duas penas quas Deus dat talibus qui hominibus placent contra Deum. Prima, Deus dissipabit ossa eorum, sc. divitias, honores, et officia que sustinent te. Secunda, confusio, sc. in morte, quia nihil obtinent a Deo. Tertia, quia in judicio particulari vel generali tales despiciuntur a Deo et sanctis, etc.

Sed est hic questio. Diceret aliquis subtilis : Et que justitia Dei fuit, ex peccatis parentum punire filios ? Et nunquid dicit scriptura : « Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii ? » (Ezech. 18.)

Respondeo, quod patres fuerunt puniti, et non filii. 1° propter crepicordium *(crêve-cœur)* de morte filiorum. 2°, quia multi patres volentes filios defendere mortui sunt, vel fuerunt damnati ex eorum peccatis, filii autem non fuerunt puniti. Declaretur per similitudinem de male induto, cui rex motus compassione facit dilacerare illam malam tunicam quam portat, ut post induat eum de serico vel de auro ; licet displiceat sibi, et tristetur quando tunica dilaceratur, tamen quando videt se optime indutum, gaudet, numquid dicetur hoc punitio ? Ita est de carne. Non est nisi unus saccus, sed post induti sunt scarlata glorie. Ideo non filii dicuntur puniti, sed patres. Ideo apostolus : « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. » (1 ad Corinth. 15.) Vel de rege, qui facit destruere domum ruinosam rustico, et post dat sibi castrum, non dicitur hoc punitio, sed remuneratio. Idem de corporibus sanctorum innocentum. Domus erant ruinose, quibus destructis per martyrium, dedit castrum paradisi in Christi ascensione. Ideo poterant dicere sancti innocentes : « Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod edificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed eternam in celis. » (2 Corinth. 5.)

A prendre dans le manuscrit de Valence :

... Et Judei intelligunt hanc profetiam ad litteram quod Deus videatur eis docere *coquinare*, sc. hedum, non cum lacte matris sue ovis, sed alita in aqua ; sed istud est *trufa*, Judei, sed vult dicere Deus quod Herodes reciperet « primitias », id est pueros sanctos de fructu terre sue, id est sanctorum qui morerentur, sc. martires... Sed non occiderent

Digitized by Google

puerum Christum adhuc *mammando;* et ita « non coques hedum », id est Christus in lacte matris, id est mammando, quia adhuc non erat hora passionis.

... Eadem res potest esse bona et mala respectu diversorum, ut puta : tu Dominus precipis dare eleemosinam alicui mulieri per scutiferum, et scutiferus *gratat* ei manum per malam intentionem...

... « Vox audita est in Rama. » Et Judei intelligunt quod hic flebant in captivitate Babilonis, quod non potest esse, nam aliter dixisset Lia et non Rachel, quia Rachel erat mater de Bethleem, quia prope erat suum cimiterium.

... De pena tua peccatum tuum accusa : ut si habes malum in capite, cogites quia peccasti per caput, sic per *malos pensamientos*, vel *apostare* caput sicut mulieres. — Vel si habes malum in oculis quia male respexisti. — Vel in dentibus, quia multum comedisti...

... Et modo moraliter pro vobis de *corte* regis et regine, quia facitis multas vexationes et injurias, quia estis bene *avanzati* cum eis. Et ideo vult Deus quod propter illud veniatis in odium regis et regine...

Digitized by Google

De beato Thoma, cantuariensi

(Canevas autographe)

Ubi ego sum illic et minister meus erit.
(Joan. 12.)

Hoc verbum pertractabitur duplici intellectu, sc. proprio sciencialiter, et appropriato moraliter.

Quantum ad primum, doctrina communis quod Christus in primo momento sue conceptionis habuit omnem plenitudinem, nedum sapientie et gratie, verum etiam et glorie quantum ad animam. Ratio quoniam in ipsa incarnatione factus est nobis principium gratificationis et glorificationis. Cor. 3 : « Factus est nobis sapientia. » Et ideo dicitur Is. 62 : « Dicite, filie Syon : Ecce salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, etc. » Ideo adhuc existens in hoc mundo dicebat : « Ubi ego sum, sc. in gloria eterna, illic et minister meus erit. » Ideo subditur : « Si quis mihi ministraverit », etc.

Quantum ad secundum, Christus qui jam gloriosus cum anima et corpore regnat in celo, dicit de beato Thoma cujus anima est in celo sine corpore : Ubi ego sum, etc. Et merito quidem, nam in hoc mundo toto corpore et anima ministravit Christo.

Fideliter per obedientiam ;
Humiliter per penitentiam ;
Utiliter per misericordiam ;
Agiliter per diligentiam ;
Stabiliter per patientiam.

Pro primo, nota in sua legenda quod non infideliter usurpavit sibi officium prelationis, sed per obedientiam conatus acceptavit, ymo post renunciavit, sed reassumere coactus fuit. 1 Cor. 4 : « Sic nos existimet homo. » — Nota miraculum de cathedra visa in celo.

Pro secundo, nota de ciliciis et jejuniis, cum miraculo de suitione *(couture)* cilicii per beatam Virginem, Ps. 100 : « Ambulans in via immaculata », etc.

Pro tertio, nota de eleemosinis ad pauperes et de sigillo gratuito, cum miraculo de avicula liberata ab accipitre. Luc. 22 : « Quis major est ?... qui recumbit ? »

Pro quarto, nota de cura quam habebat pro salute animarum per se

Digitized by Google

et per alios, cum exemplo de muliere petente oculos va^os *(sic)* II Pet. I : « Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate... etc. »

Pro quinto, nota ejus meritum cum miraculo de cantu angelorum. Joan 12 : « Qui mihi ministrat... »

.....

De sancto Thoma, cantuariensi

(Recueil imprimé)

Ubi ego sum, illic et minister meus erit.
(Joan. 12.)

De tribus sanctis vocatis hoc nomine Thomas, fit festum in Ecclesia Domini. Et primo de beato Thoma apostolo ante nativitatem Domini. De secundo Thoma, qui dicitur de Cantuaria, quia fuit archiepiscopus civitatis de Cantuaria in Anglia, fit festum hodie, que est quinta dies post nativitatem Domini. De tertio, qui dicitur beatus Thomas de Aquino, ordinis nostri fratrum predicatorum, fit festum in principio Martii. Ideo non intelligatis quod isti tres sint unus et idem Thomas.

Et de isto de quo facimus hodie festum, dicit Christus in themate : « Ubi ego sum, illic et minister meus erit. »

Pro cujus declaratione sciendum quod doctrina est communis in sacra theologia, quod Christus adhuc in utero Virginis existens, etiam in instanti sue conceptionis habuit tantam gratiam et benedictionem, et tantam gloriam et fruitionem, quantam habet hodie in celo. Non cogitetis quod beata Trinitas dederit gratiam, sapientiam, sanctitatem et benedictionem Christo, sicut nobis datur gradatim et paulatim. Dicit Beda, quod nemo repente fit summus, sed gradatim ascendendo, continuando bonam vitam et virtuosam. Sed Dominus Jesus Christus repente factus fuit summus, quia sancta Trinitas in instanti sue conceptionis dedit sibi summum gradum sanctitatis et glorie. Hoc potest exemplo declarari, et fundatur per regulam philosophie. Dicit philosophus in libro de causis, quod omne agens perfectum necessario habet virtutes propriorum effectuum productivas. Verbi gratia : Ignis est agens perfectum in multis effectibus, quia calefacit, illuminat, decoquit, liquefacit metalla, incinerat ligna. Ideo necessario oportet quod habeat virtutes istorum effectuum productivas, sc. calorem, claritatem, activitatem etc. Etiam potest declarari regula in istis mundanis. Si rex constituit unum vicarium seu gubernatorem, ille

Digitized by Google

gubernator dicitur agens, quia habet conservare communitatem in justitia et pace, conservare, et custodire, et defendere ab inimicis. Ad istos effectus producendos oportet eum habere virtutes talium effectuum productivas, sc. potentiam, seu potestatem regiam, sc. judicandi, corrigendi, preconizandi, et sic de similibus.

Idem in proposito.

Sancta Theologia dicit quod Christus instanti sue conceptionis fuit constitutus et factus principium et causa illuminationis mundi, justificationis peccatorum, sanctificationis, animarum redemptionis et glorificationis. Ipse enim habebat illuminare mundum de virtute fidei, et secretis, et gloria paradisi, de pena inferni, et purgatorii, de limbo puerorum, et sanctorum patrum. Quid credendum, quid faciendum, quid sperandum? Item alius effectus ad eum pertinens tanquam principium cause, justificandi peccatores, remittendi peccata. Item sanctificandi animas, dandi gratias, sanctitatem, vitam spiritualem, et finaliter gloriam eternam. Autoritas : « Vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio ». (1. ad Corinth. 1.) Nota cum dicit : Qui factus est, etc. Inquantum Deus, non est factus, sed factor : « Filius a patre solo est, non factus nec creatus, sed genitus. » Sed loquitur de incarnatione, in qua factus est nobis principium effectivum sapientie, quantum ad fidem ; et justitie, quantum ad justificationem peccatorum ; et sic de aliis. Ex quo ergo in instanti conceptionis factus est nobis principium et causa talium effectuum, ergo necessarium erat ut haberet virtutes productivas talium effectuum, sc. sapientiam, potentiam, et gloriam, etc.

Gloriam autem habuit in anima statim de instanti sue conceptionis, et merebatur etiam habere in corpore, sed dispensative fuit retenta in anima, quia adhuc habebat facere opus nostre redemptionis in corpore. Ideo Esa. 62 : « Dicite filie, Syon : Ecce salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. » Nota, dicite, sc. vos predicatores, filie Syon, sc. Ecclesie vel anime devote et contemplative. Ecce salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo. — Declaretur per contrarietatem de operibus mundanis, quia si conducitis operantes vel laborantes, primo opus est cum laboratoribus facere precium, sive mercedem, vel salarium, et ponere cum eis vel coram eis, et non usque ad sero solvuntur. Non sic in Christo operante opus nostre redemptionis, quia opus ejus, sc. gloria cum eo erat ab instanti sue conceptionis, sed opus illius, sc. passionis, ex quo opere debuit sequi effectus nostre salvationis, coram illo fuit in puncto conceptionis, quia tunc Deus pater aperuit sibi librum predestinationis dicens : Fili, ecce quot sancti in limbo, et quot anime in purgatorio, et nunquam poterunt celum intrare nisi per vestram passionem, et mortem dolorosam, vultis eam sustinere?

Digitized by Google

— Respondit : Placet mihi. Ecce opus illius coram illo. Item ostendit sibi pueros innocentes, qui sola Christi passionis virtute salvantur sine propriis meritis. Idem de penitentibus, quia nulla penitentia fuisset sufficiens ad gloriam, nisi ex Christi passione. Idem de martyribus : Fili, vultis vos jejunare, capi, ligari, vapulari, spinis coronari, etc., ut omnes vobis credentes et obedientes habeant gloriam ? — Respondit : Placet. Ecce opus ejus coram eo, sc. merces, sc. gloria paradisi, quam daturus est bonis, jam erat cum eo. Ecce quare dicit : Dicite, filie Syon : Ecce salvator tuus venit ; et incepit viam in die sue conceptionis. Patet ergo vera doctrina theologorum, quod Christus in instanti sue conceptionis habuit tantam scientiam, gratiam, virtutem, sanctitatem, et gloriam, quantam habet modo in celo. Ideo dicit in themate : Ubi ego sum, illic et minister meus erit. Non loquitur de Hierusalem, ubi tunc erat corporaliter in mensa cum esset in cena Domini, quia modica promissio esset illa. Non dicit : Ubi ego ero, quia jam habebat gloriam. Ideo dicit : Ubi ego sum, illic et minister meus erit. Patet thema.

Nota iterum : Ubi ego sum, illic, quia non erit mecum in cathedra, quia nullus est sibi equalis in gloria, sed illic, sc. in ordine, erit minister meus beatus Thomas. Nota ad hoc quinque declarationes morales, secundum quod beatus Thomas Christo sedule ministravit in hoc mundo tota anima et corpore.

Primo fideliter per obedientiam.
Secundo humiliter per penitentiam.
Tertio utiliter per misericordiam.
Quarto prudenter per diligentiam.
Quinto stabiliter per patientiam.

Dico primo, etc., omni tempore, etiam puer. Puer fidelis Christo, nihil faciens quod cognosceret esse contra preceptum Dei. Dicatur quomodo propter suam sanctitatem vite, et honestatem conversationis, et scientiam erat multum famosus in Anglia, propter quod, mortuo archiepiscopo de Cantuaria, factus est archiepiscopus, et est dignitas pinguissima, valet LXX milia francorum annuatim. Cogitate quot competitores habebat talis dignitas, sed super omnes sanctus Thomas fuit electus. Et presentata sibi electione renunciavit cum instrumento publico. Electores vero recurrunt ad papam, et papa confirmavit eum. Qui renunciavit, et papa coegit eum per sententiam excommunicationis, et tunc flens acceptavit, ne Deo displiceret. Et post modicum tempus videns tantum onus de ratione reddenda de animabus, etc., venit ad papam Alexandrum, supplicans sibi ut acceptaret renunciationem, et tantum fecit quod papa acceptavit, et ad sui petitionem dedit sibi habitum beati Benedicti, et cum staret in quodam monasterio, et nullus inveni-

Digitized by Google

retur sufficiens pro archiepiscopo, iterum coactus per papam habuit reassumere onus, et potuit dicere : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores ministeriorum Dei », non mundi, non diaboli. Sequitur : « Hic jam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur » (1. ad. Corint. 4.) ut sc. irent per portam et coacte, quia alias infideles sunt.

Sicut ille qui usurpabit dominium regium sine scitu regis, faciens se gubernatorem, infidelis est ipse, et eum manutenentes. Idem de illo qui immergit se ad dignitatem, et prelationem, et curam animarum. Dicit beatus Thomas, quod quantumcunque sit dignus, sanctus et justus homo, si petierit beneficium cum cura, est symoniacus. Ratio, quia presumit se dignum, et ecce temeritas et presumptio, et efficitur indignus, vel reputat se indignum, ideo non debet petere. Ideo concludit sanctus Thomas, quod nullo modo beneficium cum cura potest peti. Beneficium autem sine cura potest homo petere si aliter non habet unde vivat homo. Patet in secunda secunde, Qu. c. Sed modo quilibet ingerit se, vel precibus, vel donis, etc. Ideo dicuntur infideles, quia sine voluntate Domini. Legitur de imperatoribus romanis, ut Julio Cesare, et aliis, quod fecerunt legem ne aliquis sine licentia imperatoris reciperet nomen regis, nec auderet ullo modo ; et istam legem allegaverunt Judei contra Christum Pilato dicentes : « Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cesari. » (Joan. 19.) Istam legem facit Christus, imperator celi et terre, ne aliquis procuret sibi nomen principis. Prelatus enim dicitur princeps Ecclesie. Dicit enim lex : « Nec quisquam sumat sibi honorem. Ego hodie genui te. » (ad Heb. 5.) Contra oppositum facientes dixit Christus : « Ipsi regnaverunt... idola ut interirent. » (Osee 8.) Ecce infidelitas. Ideo Christus previdens tempus quod modo tenemus, dixit Petro : « Quis putas est fidelis dispensator ... mensuram ? » (Luce 12.) Nota, mensura tritici est doctrina evangelica, et sanctitas vite. Poterat respondere beatus Petrus : Iste est Thomas. Ideo Christus in themate dicit : Ubi ego sum, etc.

Dico secundo quod ministravit humiliter per penitentiam. Jam antequam esset prelatus, faciebat magnam penitentiam, sed majorem fecit postquam fuit prelatus, dicens intra se : Modo habeo magnas occasiones peccandi ex abundantia divitiarum. Ideo modo est magis mihi necessaria penitentia. Indutus est aspero cilicio, et femoralia habebat cilicina usque ad poplites, dormiebat super terram, jejunabat, et sic macerabat corpus suum. Magis indiget prelatus penitentia quam alii, quia non habet majorem prope se. Religiosus et simplex clericus timent prelatum, etc. De tali ministro dicit Christus : « Ambulans in via

Digitized by Google

immaculata hic mihi ministrabit », sc. ad placitum meum. (Psal. 100.) Penitentiam enim dicitur via immaculata, quia sicut ille qui ambulat per viam penitentie dicitur immaculatus, secus de gulosis ambulantibus per viam humidam, qui cadunt in lutum luxurie.

Querit beatus Thomas in quolibetis : An religiosus factus episcopus teneatur servare ceremonias sue religionis ? Determinatio sua est, quod ceremonie incompetibiles sue dignitatis possunt dimitti, ut silentium. — Dicatur de silentio religiosorum. — Ad istud non tenetur episcopus, quia habet respondere, etc. Factus episcopus tenetur portare habitum sue religionis, sed propter dignitatem potest portare cappam longiorem. Sed de ceremoniis, que sunt competibiles dignitati, tenetur ad eas, imo etiam decorant dignitatem, ut non comedere carnes, non uti lineis ad carnem. Idem de jejuniis ordinis, etc., et sic de aliis, multum decorant, et ornant, et perficiunt dignitatem, quia licet ceremonie non obligent ad mortale peccatum, tamen preservant a mortali. De ista via dicit David : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. » (Psal. 118.)

Qualiter servitium et ministerium beati Thome in penitentia placuit Deo, dicatur miraculum de illo clerico sui episcopatus, qui nesciebat nisi missam beate Marie, quam dicebat semper, in die natalis, resurrectionis, etc. Quem sanctus Thomas privavit missa propter suam ignorantiam, cui flenti pre tristitia semel Virgo apparuit, dicens quod diceret archiepiscopo quod restituteret sibi missam, etc. — Et ille : Domina, non credet mihi. — Et Virgo : Dicas quod amore illius que suit cilicium, quod in nocte deposuit, et inveniet in eo adhuc unum filum de serico, et dabit tibi licentiam celebrandi, etc. Et archiepiscopus de jure speciali ex divina dispensatione concessit sibi licentiam. — Nullus sacerdos faciat de hoc conscientiam. — Ecce quomodo servitium beati Thome placebat Deo.

Dixi tertio quod ministravit utiliter per misericordiam, sc. anime sue, et pauperum recreationem. Nam de redditibus pauperibus impendebat, quia solum necessitatem recipiebat, non dabat histrionibus, nec amicis, sed pauperibus Christi. Sciebat jam quot vidue indigentes erant in civitate, quot pupilli et pauperes. Item quot puelle ad maritandum, quot captivi ad redimendum. In his expendebat redditus, nolebat aliquid recipere de ordinibus, nec de sigillo. Nam habebat suos notarios sub certo salario mandans eis quod nihil reciperent. Item quolibet die ultra eleemosynas dabat ad comedendum XII pauperibus Christi in Christi memoriam et apostolorum, quibus ipsemet serviebat in aliqua camera secrete. Poterat dicere pauperibus : « Quis major est, an qui recumbit, an qui ministrat ? nonne qui recumbit ? » (Lu. 22.) Imo qui

Digitized by Google

ministrat. Nota quod vult dicere episcopum esse manumissorem illius hominis divitis Domini nostri Jesu Christi, qui licet voluerit vivere ut pauper, cum dives esset secundum veritatem, quia Domini est terra et plenitudo, etc. Et in suo ultimo testamento per mortem confirmato, de bonis suis ecclesiasticis dimisit prelatos, manumissores, et distributores. « Sic nos, sc. prelatos, existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores ministeriorum Dei. » (1. Corin. 4.)

Modo non complentes voluntatem testatoris nunquid dicerentur vere proditores, etc.? Istis manumissoribus dicit Petrus : « Pascite qui in vobis est gregem Dei, ...glorie coronam. » (1. Petr. 5.) Nota quod sicut beatus Thomas dabat bona temporalia pro Deo, ita Deus dabat sibi gratiam in miraculis faciendis. Dicatur miraculum de avicula fugiente de gabia, sciente loqui : Sancte Thoma, adjuva me. Quam cum Nisus vellet capere, clamavit : Sancte Toma : adjuva me ; et subito mortuus fuit Nisus, et avis ad gabiam reversa ; quanto magis in personis devotis, etc., claret miraculum : « Dives est in omnes qui invocant illum. » (Ad Ro. 10.)

Dicatur quarto quod ministravit prudenter, per diligentiam serviendo, visitando episcopatum, corrigendo peccata notoria, concubinas, usurarios, putanas, etc., dando sententiam excomunicationis. Sicut fecit Apostol. 1. Cor. 5.: « Si is qui frater ...auferte malum ex vobisipsis. » Pro animabus habebat predicatores, et magistros, et doctores, ut predicarent eis, tenens consilium beati Petri : « Vos autem curam... fraternitatis charitatem. » (2. Pe. 1.) De pecuniis autem recipiendis jam habebat suum thesaurarium.

De corporibus vero non multum curabat. Dicatur miraculum de muliere pulchra et vana, cui nihil deficiebat nisi oculus, et cum arte medicine non posset assequi, recurrit ad sanctum Thomam, ut saltem suis orationibus obtineret visum sanum. Dicatur quomodo perdidit visum, quousque cognovit suam fatuitatem, et promisit de cetero deponere ornamenta, et tunc orationibus sancti Thome recuperavit visum. Dicatur contra mulieres que ornant se, et faciunt sibi oculos nigros cum coloribus, et Deus faciet eos lippos. Idem de equis de castello.

Dicatur quinto quod ministrabat stabiliter per patientiam ad sustinendum martyrium pro Christo. Dicatur quomodo rex Anglie usurpaverat sibi aliquas Ecclesie libertates. Sicut, verbi gratia, quod nullus sacerdos exiret suum regnum sine sui licentia, et sic de aliis multis. Et predecessores beati Thome timore non audebant resistere. Beatus autem Thomas nolens talia sustinere, tanta commotio regis et suorum fuit contra eum, quod septem annis fuit in Francia, exul a sua ecclesia.

Digitized by Google

Papa et rex Francorum ille sanctus Ludovicus providebant sibi, et amicis etiam exulatis, et permittebatur sibi regressus si vellet sustinere sicut sui predecessores, et noluit. Finaliter papa minatus est regi Anglie, qui sustinuit quod beatus Thomas rediret ad suam ecclesiam, cui apparuit Christus, nuncians ei quod ad suam ecclesiam rediret, et per martyrium celos intraret. Regressus ergo ad suam ecclesiam, susceptus est tam a clero quam a populo toto. Cum autem post paucos dies iterum mota esset questio inter regem et archiepiscopum, rex existens in mensa dixit coram suis : O bene est miserabilis rex Anglie, quod non habet aliquem qui defendat eum de uno capellano, sive de uno sacerdote. — O quantum debent attendere magni domini quid loquantur, quia licet rex ille, ut postmodum juraverat, non haberet intentionem quod archiepiscopus occideretur, tamen, audientes sua verba, quatuor mali homines, capitanei latronum, cupientes regi placere, statim iverunt contra sanctum Thomam, quem in sede invenerunt, et primo verbis injuriosis invaserunt, deinde armis, ipso dicente Virgini Marie, et beato Dionysio, et sanctis patronis hujus ecclesie : Commendo causam ecclesie. Et percussus in capite dixit : « In manus tuas, Domine », etc. et secundus et tertius percusserunt in eodem vulnere, et quartus amovit medietatem capitis, et sic per martyrium receptus est in celum. Ex ista constantia ad recipiendum ictus, quando canonici in sepultura volebant facere officium de mortuis, magna multitudo angelorum fuit in sede, qui inceperunt officium martyris, cantantes : « Letabitur justus » etc.; et dixerunt totum introitum misse. Tunc canonici, depositis vestimentis de requiem, continuaverunt. Ecce quod eodem die fuit canonizatus a papa Jesu in celo, mittente canonizationem per angelos, ut facerent officium martyris. Deinde fuit canonizatus a papa Alexandro.

Ideo potest dici de eo : « Qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit. »

Digitized by Google

De beato Silvestro

(Canevas autographe)

Gratia Dei erat in illo.
(Luc. 2, et in evangelio dominice currentis.)

Questio est theologica utrum cognosci possit certitudinaliter aliquem habere gratiam Dei.

Responsio est in duabus conclusionibus :

Prima quod gratia substantialiter per se cognosci non potest, et quod conjecturaliter per effectus *(sic)*. — Radix viva cognoscitur per germinationem, et dilectio cordialis per conversationem. Similiter cognoscitur de aliquo utrum habeat animam rationalem, nam sicut anima rationalis est forma corporis humani a solo Deo ereata, ita gratia est quedam forma anime rationalis a solo Deo infusa. De prima conclusione Eccle. 9 : « Sunt justi atque sapientes », etc. De secunda 1 Cor. 15 : « Gratia Dei sum id quod sum », etc.

Considerando ergo diligenter effectus virtuosos, quasi quedam manifesta signa divine gratie in beato Silvestro, possumus dicere : gratia Dei erat in illo.

Nota ergo, juxta ejus legendam, quinque effectualia signa divine gratie in eo :

Larga misericordia in prosperis ;
Firma patientia in adversis ;
Digna presidentia in subditis ;
Clara sapientia in dubiis ;
Alta potentia in miraculis.

Pro primo : Nota de hospitalitate quam tenebat, et qualiter scriptos habebat omnes pauperes Rome.

Pro secundo : De ejus captione per prefectum Rome et miraculosa liberatione.

Pro tercio : De ejus assumptione ad papatum ; et conversione Constantini imperatoris.

Pro quarto : De disputatione cum Judeis et mirabili conversione matris imperatoris et aliorum.

Pro quinto : De inclusione et ligatione drachonis ; juxta illud Apo. 20 : « Vidi angelum descendentem de celo, habentem clavem abissi. »

Digitized by Google

De sancto Sylvestro

(Recueil imprimé)

Gratia Dei erat in illo.
(Luc. 2.)

Pro thematis declaratione, et materie introductione, sciendum quod est questio in theologia : An in hac vita possit sciri certitudinaliter de aliqua persona quod habeat gratiam ? Decisio et determinatio hujus questionis consistit in duabus conclusionibus. Prima quod aliquam personam habere gratiam Dei ex gratie effectibus scitur conjecturaliter. Secunda quod habere aliquam personam gratiam Dei non potest sciri certitudinaliter. Iste conclusiones declarantur ex similitudine de arbore. Quomodo enim potest sciri quod ejus radix sit viva an mortua ? — Homo non potest scire scientialiter per causam propriam, que est radix, quia radix est sub terra abscondita, sed potest sciri conjecturaliter. Quando enim arbor emittit flores, folia, fructus, ex istis effectibus conjecturatur quod radix est viva. Idem in proposito, homines vel mulieres sunt ut arbores, in Christi viridario, sc. Ecclesia, plantati in die baptismi : « Video homines velut arbores ambulantes. » (Marc. 8.)

Nota ambulantes per tres effectus quasi dietas in floribus, foliorum et fructuum productione. Signum est ergo quod radix vivit, sc. gratia Dei que est vita anime. Sicut autem anima rationalis est a solo Deo infusa, ideo per propriam causam non potest sciri de se vel de alio utrum habet gratiam Dei, quia Deus qui est propria et totalis causa, non potest hic a nobis videri, nec gratia, etiam nec ipsa anima, ideo scientialiter non potest sciri ; sed per effectus potest conjecturari, quando homo facit flores bonorum verborum dulciter loquendo, non jurando, nec mentiendo, non diffamando, neminem verbo injuriando, bonas doctrinas dando, signum est quod radix vivit. Idem de foliis honeste conversationis. Idem de fructibus operum misericordie vel penitentie : « Facite fructus dignos penitentie. » (Luc. 3.) Ex istis effectibus conjecturatur quod radix vivit, sed scientialiter non potest sciri, nisi specialiter Deus revelaret, quemadmodum Paulo revelavit dicens : « Sufficit tibi gratia mea. » (2 Cor. 12.) Aliter non potest sciri scientialiter. Autoritas : « Sunt justi atque sapientes... in futurum servantur incerta. » (Eccle. 9.) Licet bene per effectus posset conjecturari, ut Paulus, qui antequam Deus sibi revelasset quod habebat gratiam suam dicebat : « Gratia Dei sum id quod sum. » (1 Cor. 15.) — Et quomodo scitis ? — Apostolus respondit « quod gratia Dei in me vacua non fuit », quia propter ipsum labores erant sibi dulces, et laborabat diligenter. Ecce effectus gratie. Ideo dicit : « Abundantius omnibus aliis laboravi, non ego solus, sed gratia Dei

Digitized by Google

mecum. » (1 Cor. 15.) Considerando ergo diligenter effectus virtuosos, quasi quedam manifesta signa divine gratie in beato Sylvestro, possumus dicere : « Gratia Dei erat in illo. » Patet thema.

Modo juxta suam vitam et legendam invenio quinque effectualia signa divine gratie in eo, sc.:

Largam misericordiam in prosperis ;
Firmam patientiam in adversis ;
Dignam presidentiam in majestate ;
Claram sapientiam in sanctitate ;
Altam eminentiam in potestate.
Ita quod jam in vita sua poterat dici de eo : « Gratia Dei erat in illo.»

Dico primo quod beatus Sylvester habuit in vita sua largam misericordiam in prosperis, que fuit effectus divine gratie in eo existentis. — Nota de magno patrimonio suo in Roma, cum esset filius nobilium, et nutritus fuit in virtutibus. Et sicut erat pulcher in anima, ita erat pulcher in corpore, quia videbatur quasi angelus Dei, et mortuo patre remansit heres. Et videns se in tanta prosperitate divitiarum, noluit ducere uxorem, sed voluit fructum misericordie. Primo de suo patrimonio fecit hospitale pro Christianis qui male recipiebantur Rome propter infideles, et ministrabat eis de bonis suis, etiam serviendo eis in propria persona. Ecce primus effectus divine gratie, servando verbum sacre scripture. « Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci : Per hanc enim placuerunt quidam, sc. Deo, angelis hospitio receptis. » (Heb. ult.) Qui enim servat hospitalitatem, antequam moriatur, recipit Christum in domo sua in forma pauperis. Item nunquam patietur ipse indigentiam. Autoritas : Dicit scriptura de persona misericordi : « Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperes. » Et quid consequatur ex hoc, respondet : « Non timebit domui sue... duplicibus. » (Pro. ult.) — Nota, manum suam aperuit inopi, non dicit taxiam vel bursam. Innuit hic modum faciendi eleemosynam. Quando enim in die dominica vaditis ad ecclesiam ad petendum eleemosynam a Christo, ut det vobis gratiam et remissionem peccatorum, vel bona temporalia, etc., quilibet debet recipere in manu sua eleemosynam quam vult dare, duos vel tres denarios, vel plures, ne in captione burse propter aspicientes habeatis occasionem vane glorie. Secundo dicit : et palmas suas extendit ad pauperes, recipiendo pauperes ad hospitium cum gaudio et charitate. Et sequitur : Non timebit domui sue a frigoribus nivis, sc. tribulationis, infirmitatum, vel mortalitatum, vel siccitatum, vel demonum, vel inimicorum, quia Deus virtuti misericordie dat dulcem salsam adjutorii vel patientie. Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Hoc dicit quantum ad hoc, quia quilibet pater tenetur dare filiis suis, servitoribus et domesticis duplicem provisionem, corporalem, sc. et spiritualem.

Digitized by Google

Corporalem, sc. cibum, potum et vestitum. Spiritualem de doctrina, ut sciant dicere *Pater noster, Ave Maria, Credo in Deum,* confiteri, audire missam, sermones, communicare ad minus in pascha. Alias ecce quid dicit scriptura : « Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. » (1 ad Tit. 5.) Infidelis jure nature providet suis, etc.

Dico secundo quod in eo fuit firma patientia in adversis, quia alias modicum valeret misericordia in prosperis, quia sicut salsa prosperitatis est misericordia, ita salsa adversitatis est patientia. Dicatur de persecutione Christianorum magna in Roma, quia adhuc imperator erat infidelis, intantum quod nullus christianus auderet emere vel vendere aliquid. Tunc temporis quidam sanctus christianus, Thimotheus nomine, venit Romam, predicans Christum, et doctrinam evangelicam. Et cum nullus christianus auderet ipsum recipere hospitio, nec etiam episcopi, beatus Sylvester recepit eum hospitio. Hac de causa Timotheus et Sylvester fuerunt capti, et Timotheus fuit sententiatus. Tarquilinus autem prefectus vocavit Sylvestrum, redarguens eum, quia contra edictum imperatoris reciperet christianos in domo sua. Sylvester respondit quod immo de voluntate imperatoris recipiebat, sed equivocabant de imperatore, quia unus dicebat de Christo, alius de infideli. Cum ergo prefectus minatus fuisset Sylvestro quod in crastinum sententiarent eum, beatus Sylvester habita a Christo prius revelatione dixit : Non poteris, quia ista nocte a diabolo suffocaberis, et ad infernum ibis. Et suffocatus fuit media nocte propter spinam piscis in gutture transversatam. Mortuo prefecto, in crastinum populus extraxit beatum Sylvestrum de carcere, et sic evasit pro tunc. Deinde autem propter verbum Dei passus est exilium ab imperatore in quadam montanea deserta, solum comedens herbas, etc. Sed in omnibus habuit patientiam, quia gratia Dei erat in eo.

Moraliter instruimur hic si aliquis vestrum habet aliquam adversitatem infirmitatis, vel paupertatis, ver persecutionis, recipiatis salsam ipsam patientie, quia talis omnem cibum dulcorat. Autoritas : « Omne gaudium existimate... qui dat omnibus affluenter. » (Jacob. 1.) — Nota hic casum de incarceratis, qui tenentur solvere regi in crastinum mille florenos, nec habent obolum unde reddere possint, sed rex pius et mitis et compatiens eis immittit duas massas auri, et tunc uni frangit caput suum, qui iratus projicit massam extra. Alteri brachium fregit, sed videns aurum gavisus est, quia habebat unde solveret *(sic)*. Ita de nobis, omnes obligamur Deo, etc. Rex autem pius Dominus Jesus mittit aurum tribulationis, quia omne malum pene est a Deo, ut possimus solvere, et si patienter recipimus, dimittit nobis debitum. Quare Thobias ait : « Bene-

Digitized by Google

dictum est nomen tuum... his qui invocant te. » (Thob. 3.) Ideo non debetis indignari, contra Deum murmurando, nec contra proximum, vos vindicando, cogitando quod illo thesauro poteritis solvere debitum peccatorum. Ecce quare dicit: Omne gaudium existimate, etc.

Dico tertio quod in eo fuit digna presidentia in majestate, quia fuit papa subito per communem inspirationem, omnes tam laici quam clerici clamaverunt: Sylvestrum volumus in papam! quia tunc temporis non solum cardinales eligebant. Hoc presentiens beatus Sylvester voluit fugere, sed retentus fuit, et contra suam voluntatem inthronizatus; sed videns divinam voluntatem acceptavit. Non credatis quod ex tanta dignitate mutavit vitam, sc. misericordiam et penitentiam, imo factus papa habebat nomina viduarum, pauperum, orphanorum, et hospitalia civitatis Rome, et omnibus providebat. Ex ista digna providentia Deus fecit sibi istam gratiam, quia cum ceteri predecessores fuissent in odio et ira imperatoris, beatus Sylvester habuit gratiam imperatoris intantum quod convertit eum ad fidem.

Dicatur quomodo Constantinus ante suam conversionem fuit crudelis persecutor christianorum: propter quod Deus persecutus est eum de infirmitate lepre in tertia specie. Medici autem fecerunt sibi multas medicinas, sed incurabilis erat naturaliter. Dicatur quomodo fuit curatus miraculose, quia nolebat se lavare in sanguine puerorum, sicut medici ordinaverant, dicens quod mallebat mori, vel vivere cum illo dolore, quam cum tanta crudelitate curari. Tunc nocte illa apparuerunt sibi Petrus et Paulus dicentes quod vocaret Sylvestrum, et ille ostenderet sibi fontem in quo si vellet lavari, quod curaretur. Qui statim misit pro eo. Beatus Sylvester credens se venire ad martyrium, totus timidus venit coram eo. Cui imperatore assurgente gavisus est beatus Sylvester. Ad quem imperator dixit: Scias in hac nocte mihi duos deos apparuisse dicentes quod tu scis fontem in quo si me lavero, curatus ero. Hoc intelligens Sylvester respondit, et dixit illos non esse deos, sed apostolos Jesu Christi. Qui dixit se scire predictum fontem, sed antequam in eo lavaretur, requirebantur tres dispositiones. Prima in anima, sc. per fidem Jesu quam sibi predicavit. Et dedit sibi *Credo in Deum,* qui corde didicit. Secunda dispositio in corpore, sc. jejunare, et fecit ipsum jejunare per hebdomadam. Tertia dispositio in opere, ut sc. haberet omnes christianos quos tenebat in carceribus; et totum factum est. Et cum baptizaretur, descendit super eum magna claritas, in qua dixit se Christum vidisse, et ex hoc dedit imperium Ecclesie.

Questio, si beatus Sylvester fecit bene vel male recipiendo imperium. Dicunt aliqui quod male fecit. Ideo ut dicitur, fuit audita vox dicens: Hodie effusum est venenum in Ecclesia Dei. Alii dicunt quod bene fecit.

Digitized by Google

Pro declaratione hujus questionis ponatur casus de divite, qui in morte dimisit magnas divitias distribuendas juxta manumissorum discretionem. Quo mortuo, mali homines occuparunt sibi illas divitias et possessiones, ne in manus manumissorum venirent. Sed quidam doctor acutus et subtilis scivit facere et taliter ordinare quod illa bona venirent in manumissorum ut distribuerentur. Modo quis diceret quod iste doctor non fecerit bonum opus ? — Imo fecit. Ita Christus magnus dives in morte fecit manumissores bonorum suorum, prelatos, episcopos, etc. Clausula testamenti habetur Mat. 25 : « Homo quidam peregre proficiscens... et profectus est », etc. Ad literam Christus loquitur de se, qui suis prelatis dimisit bona sua, uni quinque talenta, id est abundantiam magnam, alii autem duo, ad sufficientiam, alii unum, et profectus est statim. Sed mundani homines, id est imperatores Romani et tyranni, occupaverunt sibi bona divitis. Sed beatus Sylvester ut doctor subtilis scivit ita bene allegare in judicio divino, quod habuit sententiam ut illa bona venirent ad manus manumissorum, et dispensatorum : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores. » (1 Corin. 4.) Ergo bene fecit beatus Sylvester. — Si tu dicas : Verum est, sed prelati omnia expendunt in vanitatibus, etc. — Non est culpa beati Sylvestri. Nam credendum erat quod illa bona melius distribuerentur per ipsos prelatos, quam, etc. Ideo nulla culpa est doctoris. Sed si verum sit de illa voce : Hodie effusum est venenum, etc., fuit verbum propheticum pro isto tempore, quod non tenent prelati, occupando sibi illa bona. Sed Christus est testator et judex, qui dicit : « Judicium durissimum in his qui presunt fiet. » (Sap. 6.)

Dico quarto quod in eo fuit clara sapientia in sanctitate, non solum ad consolandum christianos, sed etiam ad convertendum infideles. — Dicatur hic quomodo Helena mater imperatoris Constantini effecta fuerat Judea, malens adorare Deum celi quam idola que filius adorabat, cum esset infidelis ; et morabatur in Judea. Et quando audivit quod filius suus effectus fuit christianus, credidit mori pre dolore, et scripsit talem literam in effectu : Fili et domine mi, placuit mihi quando audivi quod dimisistis idola, sed doleo quod estis christianus, et adoratis hominem crucifixum ; et inducebat eum ut se faceret Judeum. Cui respondens dixit, quod veniret Romam, et duceret secum omnes Judeos, magistros, rabinos. Et ipse ex alia parte haberet doctores christianos, et fieret disputatio ut videretur veritas. Et multum placuit matri credenti quod Judei vincerent, etc. — Venit Romam. Et constituto die disputationis disposuerunt quod haberent judices non partiales, sed indifferentes, ne sc. essent Christiani, nec Judei, et quod essent homines justi, qui nec donis, aut amore, aut odio, seu favore dicerent oppositum. Et facti fuerunt judices duo magni philosophi, homines insuspecti.

Digitized by Google

Quorum unus dicebatur Craton qui nihil terrenum habere volebat. Alter Xenophon, qui consul existens, nunquam munus ab aliquo suscepit. Et placuit utrique parti. Helena autem obtulit pro parte Judeorum centum Judeos aptissimos. Imperator autem obtulit pro parte christianorum solum beatum Sylvestrum. — O, dixerunt judices, nimis esset.— Ideo de centum Judeis illis fuerunt electi duodecim, qui disputaverunt cum beato Sylvestro, cum tali pacto et conditione, quod pars victa adhereret alteri in fide et credulitate. Et inceperunt disputationem.

Prima conclusio fuit de trinitate personarum. — Dicatur disputatio cum autoritatibus prout habetur in sermone beati Stephani. Dicatur in fine quomodo judices imposuerunt silentium Judeis ut victis. — Secunda questio utrum Christus esset Deus et homo. Tertia de passione. Quarta de sacramento altaris. Quinta de cessatione legis, et sic ad libitum secundum questiones Judeorum. Et sic victi fuerunt undecim Judei. Remansit duodecimus et ultimus qui dicebatur Zambri, qui erat magnus rabinus, qui dixit imperatori : Domine, non in verbis, sed in operibus. — Dicatur quomodo voluit et requisivit ut adducerent unum taurum indomitum, etc. Ita factum est. Et ait Judeus : ut intelligatis quod lex nostra est sancta, beata, et vera, et nulla alia est bona, ego dicam unum verbum ad aurem tauri, et si moriatur, credatis legem nostram sive fidem veram esse, et ita fuit, et omnes Judei clamaverunt victoriam, etc. Et beatus Sylvester de stultitia illius incipit subridere dicens Judeo : Judee, nunquid Deus dicit : « Ego occidam... et reducit. » (Deut. 32.) Si in nomine Domini taurum occidisti, in nomine Domini ipsum vivifica.— Bene dixit ! dixerunt judices. — Respondit : Non, sed Sylvester suscitet eum. Quod si faciet, ego et Judei omnes qui hic sumus erimus christiani, et ita fuit compromissum. — Tunc beatus Sylvester de loco in quo erat clamavit dicens : In nomine Domini nostri Jesu Christi, taure, surge, et ferocitatem depone ! et subito taurus surrexit ambulans ut ovis. Tunc Helena, judices et Judei tria milia, et infideles de Roma baptizati sunt. — Ergo gratia Dei erat in illo.

Moraliter hic nota, fides Christiana quomodo fuit probata, et per quot furnellos purificata. Purior est auro liquefacto. Non oportet ergo dubitare in aliquo, sed ut florenus Florentie ponatur in bursa conscientie, dicendo *Credo in Deum*. Modicum nunc, sc. in hac vita, si oportet contristari, quia multi habent multas tentationes de fide, sed si eis displicet non peccant in variis tentationibus, ut « probatio fidei vestre multo preciosior sit auro quod per ignem probatur ». (1 Pet. 7.)

Dico quinto quod in Sylvestro fuit alta eminentia in potestate, sc. faciendi miracula, ut dixi de bove. Sed modo dicam aliud de dracone. Post conversionem imperatoris, et predictorum Judeorum, quidam

Digitized by Google

Pro declaratione hujus questionis ponatur casus de divite, qui in morte dimisit magnas divitias distribuendas juxta manumissorum discretionem. Quo mortuo, mali homines occuparunt sibi illas divitias et possessiones, ne in manus manumissorum venirent. Sed quidam doctor acutus et subtilis scivit facere et taliter ordinare quod illa bona venirent in manumissorum ut distribuerentur. Modo quis diceret quod iste doctor non fecerit bonum opus? — Imo fecit. Ita Christus magnus dives in morte fecit manumissores bonorum suorum, prelatos, episcopos, etc. Clausula testamenti habetur Mat. 25 : « Homo quidam peregre proficiscens... et profectus est », etc. Ad literam Christus loquitur de se, qui suis prelatis dimisit bona sua, uni quinque talenta, id est abundantiam magnam, alii autem duo, ad sufficientiam, alii unum, et profectus est statim. Sed mundani homines, id est imperatores Romani et tyranni, occupaverunt sibi bona divitis. Sed beatus Sylvester ut doctor subtilis scivit ita bene allegare in judicio divino, quod habuit sententiam ut illa bona venirent ad manus manumissorum, et dispensatorum : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores. » (1 Corin. 4.) Ergo bene fecit beatus Sylvester. — Si tu dicas : Verum est, sed prelati omnia expendunt in vanitatibus, etc. — Non est culpa beati Sylvestri. Nam credendum erat quod illa bona melius distribuerentur per ipsos prelatos, quam, etc. Ideo nulla culpa est doctoris. Sed si verum sit de illa voce : Hodie effusum est venenum, etc., fuit verbum propheticum pro isto tempore, quod non tenent prelati, occupando sibi illa bona. Sed Christus est testator et judex, qui dicit : « Judicium durissimum in his qui presunt fiet. » (Sap. 6.)

Dico quarto quod in eo fuit clara sapientia in sanctitate, non solum ad consolandum christianos, sed etiam ad convertendum infideles. — Dicatur hic quomodo Helena mater imperatoris Constantini effecta fuerat Judea, malens adorare Deum celi quam idola que filius adorabat, cum esset infidelis ; et morabatur in Judea. Et quando audivit quod filius suus effectus fuit christianus, credidit mori pre dolore, et scripsit talem literam in effectu : Fili et domine mi, placuit mihi quando audivi quod dimisistis idola, sed doleo quod estis christianus, et adoratis hominem crucifixum ; et inducebat eum ut se faceret Judeum. Cui respondens dixit, quod veniret Romam, et duceret secum omnes Judeos, magistros, rabinos. Et ipse ex alia parte haberet doctores christianos, et fieret disputatio ut videretur veritas. Et multum placuit matri credenti quod Judei vincerent, etc. — Venit Romam. Et constituto die disputationis disposuerunt quod haberent judices non partiales, sed indifferentes, ne sc. essent Christiani, nec Judei, et quod essent homines justi, qui nec donis, aut amore, aut odio, seu favore dicerent oppositum. Et facti fuerunt judices duo magni philosophi, homines insuspecti.

Digitized by Google

Quorum unus dicebatur Craton qui nihil terrenum habere volebat. Alter Xenophon, qui consul existens, nunquam munus ab aliquo suscepit. Et placuit utrique parti. Helena autem obtulit pro parte Judeorum centum Judeos aptissimos. Imperator autem obtulit pro parte christianorum solum beatum Sylvestrum. — O, dixerunt judices, nimis esset.— Ideo de centum Judeis illis fuerunt electi duodecim, qui disputaverunt cum beato Sylvestro, cum tali pacto et conditione, quod pars victa adhereret alteri in fide et credulitate. Et inceperunt disputationem.

Prima conclusio fuit de trinitate personarum. — Dicatur disputatio cum autoritatibus prout habetur in sermone beati Stephani. Dicatur in fine quomodo judices imposuerunt silentium Judeis ut victis. — Secunda questio utrum Christus esset Deus et homo. Tertia de passione. Quarta de sacramento altaris. Quinta de cessatione legis, et sic ad libitum secundum questiones Judeorum. Et sic victi fuerunt undecim Judei. Remansit duodecimus et ultimus qui dicebatur Zambri, qui erat magnus rabinus, qui dixit imperatori : Domine, non in verbis, sed in operibus. — Dicatur quomodo voluit et requisivit ut adducerent unum taurum indomitum, etc. Ita factum est. Et ait Judeus : ut intelligatis quod lex nostra est sancta, beata, et vera, et nulla alia est bona, ego dicam unum verbum ad aurem tauri, et si moriatur, credatis legem nostram sive fidem veram esse, et ita fuit, et omnes Judei clamaverunt victoriam, etc. Et beatus Sylvester de stultitia illius incipit subridere dicens Judeo : Judee, nunquid Deus dicit : « Ego occidam... et reducit. » (Deut. 32.) Si in nomine Domini taurum occidisti, in nomine Domini ipsum vivifica.— Bene dixit ! dixerunt judices. — Respondit : Non, sed Sylvester suscitet eum. Quod si faciet, ego et Judei omnes qui hic sumus erimus christiani, et ita fuit compromissum. — Tunc beatus Sylvester de loco in quo erat clamavit dicens : In nomine Domini nostri Jesu Christi, taure, surge, et ferocitatem depone ! et subito taurus surrexit ambulans ut ovis. Tunc Helena, judices et Judei tria milia, et infideles de Roma baptizati sunt. — Ergo gratia Dei erat in illo.

Moraliter hic nota, fides Christiana quomodo fuit probata, et per quot furnellos purificata. Purior est auro liquefacto. Non oportet ergo dubitare in aliquo, sed ut florenus Florentie ponatur in bursa conscientie, dicendo *Credo in Deum*. Modicum nunc, sc. in hac vita, si oportet contristari, quia multi habent multas tentationes de fide, sed si eis displicet non peccant in variis tentationibus, ut « probatio fidei vestre multo preciosior sit auro quod per ignem probatur ». (1 Pet. 7.)

Dico quinto quod in Sylvestro fuit alta eminentia in potestate, sc. faciendi miracula, ut dixi de bove. Sed modo dicam aliud de dracone. Post conversionem imperatoris, et predictorum Judeorum, quidam

Digitized by Google

draco posuit se in quadam profunda fovea intra civitatem Rome, et ex suo anhelitu corrupto et infecto moriebantur quotidie in civitate ultra ccc personas, intantum quod depopulabatur. Propter quod pontifices idolorum venerunt ad imperatorem, indirecte innuentes quod ex quo factus est christianus, illa plaga eis accidit, quasi dicendo quod melius esset si adhuc esset gentilis. Ecce qualis tentatio. De tali casu respondit imperator : ego providebo. Et vocavit beatum Sylvestrum, dicens quod in hoc provideret : qui posuit se in oratione, in qua apparuit sibi beatus Petrus apostolus dicens quod sine timore descenderet ad eum in foveam, in qua erant centum octoginta gradus. Qui descendit cum cruce in una manu, et chorda forti de filo in alia, et ligavit draconem. De hac ligatione prophetia Joannis loquitur : « Et vidi angelum descendentem... illum solvi modico tempore. » (Apoc. 20.) Omnes sancti doctores et glose ordinarie exponunt Sathanam ligari pro Lucifero, qui mille annis debuit ligari, et post, tempore Antichristi debet solvi ad tentandum. Sed ligatus fuit tempore Sylvestri, quando, sc. imperator fuit conversus. Et dico quod isti mille anni per quos debuit ligari, inceperunt computari a beato Sylvestro, qui in figura ipsum ligavit, et jam illi mille anni sunt completi. Solum enim mundus stat in quadam parva prorogatione, etc.

Le ms de Valence est différent, mais ces différences portent principalement sur des hors-d'œuvre qui ont très bien pu être laissés de côté au courant de la prédication. Quoi qu'il en soit, les voici :

Sancta mater Ecclesia hodie facit solemnitatem per totum mundum de sancto Silvestro pro dando bono complemento anni, nam hodie est finis ipsius.

D'où il suit que dès les premières années du xve siècle l'année commençait le 1er janvier et non plus le 25 mars *ab incarnatione Domini*.

Dans la division les rimes continuent :

... Tertius effectus : digna presidentia in subditis.
Quartus : clara sapientia in dubiis.
Quintus : alta preeminentia in miraculis.

Ad primum ...inspiratus, de domo fecit hospitale... Et ita non fecit sicut modo faciunt milites et scutiferi qui, si sibi est relicta magna hereditas, illam expendunt in vanitatibus, sc. equis et equitatibus, canibus et avibus, quod illud quod habere deberent pauperes Christi qui moriuntur fame, comedunt bestie et animalia bruta. Et ideo si habetis here-

Digitized by Google

ditatem, *dineros* ministrate moderate et bene ut habetur Col. 4 : « Sic nos existimet homo... dispensatores », etc.

Et hic modo veniunt due questiones : prima, quare Christus qui voluit facere tantam misericordiam humano generi redimendo, non fecit illam in principio mundi, sed expectavit... maxime cum dicitur Prov. 3 : « Ne dicas amico tuo... dare ». — Et licet bona sit questio, *esculletis* meliorem responsionem per quandam aliam questionem. Dic quare fisicus non dat incontinenti *purgam,* sed imo primo *dietam* et secundo *exarop (sirop);* tertio dispositione facta per hec, dat *purgam.* Ita fecit Deus, quod voluit primo dare *dietam* de lege naturali usque ad legem scripture, et de lege scripture usque ad legem gracie dedit *exarop;* et in hoc lege gracie dedit *purgam* disposicione facta, ut habetur Amos 4 : « Prepara te... ». — Et ideo, judei, modo non estis dispositi : quomodo fuissetis tunc ? — Et ideo Deus volens facere misericordiam redimendi voluit primum disposicionem preparare.

Secunda questio est quare sanctissimi Patres, qui erant dispositi tunc perfecte, fuerunt condemnati descendentes in limbo propter retardacionem redemptionis ? — Et respondeo quod nego quod fuissent condemnati, nam nullam penam in limbo habebant, sed imo stabant in pulchro loco, et ibi sperabant Christum, sicut milites sperant regem in *sala* pulchra quando ipse rex surget de dormicione, et non habent aliquam penam ; ita sanctissimi Patres non stabant in inferno, nec in purgatorio, nec in limbo parvulorum, sed expectabant in pulchra sala regem Christum quando surgeret de dormicione in sua incarnacione.

Ad secundum veniunt due vel tres questiones. Prima est quod... videtur quod Deus fecisset injustitiam et apud ipsum sit acceptio personarum, nam cum Adam et Eva peccassent instigatione demonis, eis dedit defensiones juris, et diabolo denegavit. Respondeo quod ideo quia jam erat condemnatus in inferno, et condemnato non permittentur defensiones. — Secunda questio, cum Deus scivisset quod Adam et Eva peccarent, quare punivit eos et ita erat ordinatum et debebat contingere ? — Et dico quod non est verum, quia scientia Dei non tollit in aliquo nec impedit liberum arbitrium...

Ad tertium... Contigit quod imperator Constantinus fuit factus leprosus... et fecit congregare fisicos et medicos... et dederunt consilium quod non poterat curari aliter nisi lavaretur in sanguine calido puerorum ; et tunc fecit congregare mulieres que nutriebant cum *excusa* quod volebat dare eleemosinam. (Sed) tunc videns tantam crudelitatem de morte tantorum puerorum, noluit. — Et modo veniunt due questiones : prima quare Moyses in principio Biblie non fecit mentionem de angelis cum sint de excellentiori natura quam homines, et arbores

Digitized by Google

et plante et animalia ? — Et dico quod quia Moyses in tota lege sua non curavit facere mentionem de alio mundo, sed totum dixit de hoc mundo, nam Deus eamdem formam quam dedit in formatione hominis, dedit in reformacione legum. — Secunda, quare Deus permisit quod Adam et Eva fuissent tentati ? questio ad animam : « Verum tamen animam ejus serva » (Job 2). — Et dico quod Deus conservat creaturam et respicit animam dimittendo illam in sua libertate. Et dico quod magis dedit defensionem Ade quam Job. Eccles. 15 : « Deus ab initio constituit hominem... illi. »

Ad quartum veniunt due questiones. Prima quod Christus qui dicitur Deus unus cum Patre et Spiritu sancto, et ipse est homo, ergo Spiritus sanctus est homo, cum Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt una substancia, et unus Deus indivisibilis ? — Dico quod sicut in sole sunt tria : substancia que generat et radius qui generatur. Is. 7 : « Ecce Virgo concipiet... filium... (non dicit Patrem et Spiritum sanctum)... Emmanuel ». — Secunda est : certum est quod Deus est ubique, et totus mundus est plenus divinitate sicut ferrum *rucient* de igne et aer de claritate solis : ergo quomodo adoratis Christum, nam in quantum homo non est ubique ? — Num. 23 : « Non est Deus ut homo... ut mutetur ».

Ad quintum ... Veniunt due questiones : et prima quod verus messias nondum venerit, quia Is. 2 : « Erit in novissimis diebus... gentes » : Nam non omnes gentes currerunt ad Christum, nam nos judei non currimus, nec credimus sibi. — Et dico quod jam adimpleta in primo adventu ; omnes gentes veniebant ad Christum, et post mortem ipsius ad apostolos. Et magis adimplebitur in fine mundi, in secundo adventu, nam de hoc magis loquitur profetia ; nam tunc omnes gentes convertentur ad legem Christi. Joel 3 : « Ecce in tempore illo... cum eis ». — Secunda quare vos, christiani, non servatis legem Moysis, cum ipse Christus servavit eam ? — Et dico quod Christus servavit legem Moysis quia durante sua vita adhuc durabat ; sed nunc postquam ipse fuit mortuus et dimisit legem gracie dimittimus legem scripture. — Item dicit Judeus : Vos, frater, dixistis quod debetis servare mandata moralia quia in illis non cessat (lex)... ergo quare non servatis totum mandatum quod est morale, sc. sabbata sanctifices ? — Respondeo quod observamus diem sabbati quod vult dicere REPOS *(sic)*, et verum *repos* et requies quam habuit Deus quando die pasche, qui est dominicus, resurrexit a mortuis, quia requievit tunc a labore corporali sc. passione sua, et a labore operum sc. redemptione ; non autem sic in principio mundi quia tunc Deus non habebat corpus... Et ideo observamus diem sabbati, id est *reposum* verum, sc. dominicum, nam sabbatum fuit figura de Dominico.

Digitized by Google

De octava beati Stephani

(Canevas autographe)

Ecce video celos apertos.
(Act. 7.)

A principio mundi usque in finem, triplicem invenio celorum differentiam.

Primo fuerunt durissimi impenetrabiliter.

Secundo fuerunt mollissimi delectabiliter.

Tertio fuerunt apertissimi universaliser.

Et juxta hoc tertium dicitur thema : « Ecce video celos apertos ».

Prima conditio celorum fuit a transgressione primorum parentum usque ad Christum, nam anime hominum que sunt spiritus subtilissimi, nulla virtute poterant introire, Tob. 34 : « Tu fabricatus es celos... », etc., ergo propter peccatum hominis non solum corpora inferiora, sed etiam celestia deteriorata sunt. Hoc expresse dicunt sancti de celestibus luminaribus. (Quarto Sententiarum.)

Ratio : quoniam omnia corporalia propter hominem sunt facta. Cor. 3 : « Omnia vestra sunt, sive mundus », etc. Ideo ad ejus deteriorationem deteriorata fuerunt. Lev. 26 : « Si non obedieritis mihi addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra... etc. daboque vobis celum desuper sicut ferrum », etc.

Secunda fuit ab adventu Christi usque ad ejus ascensionem. Ex quo enim ille infinitus ignis divini amoris ardentissimi et dulcissimi, pertransivit celos veniendo ad nos, jam ipsi celi mollissimi et melliflui facti sunt, juxta cantum Ecclesie in nativitate Domini : « Hodie nobis de celo pax vera descendit : hodie per totum mundum melliflui facti sunt celi. »

Ratio per contrarium ad primam : nam per adventum Filii Dei, multum meliorata est humana conditio. Ps. 67 : « Deus cum egredereris in conspectu populi tui..., etc. usque : parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. »

Tertia ab ascensione Christi in celum usque in finem vite presentis. Ideo post ascensionem Christi, dixit Beatus Stephanus verbum thematis : « Ecce video celos apertos... », etc. — Qualiter a Christo ascendente celi hominibus aperti sunt habetur in Ps. 23 : « Attollite portas, principes, vestras... », etc.

Digitized by Google

Moraliter : dum ergo celi ostium est nobis apertum in presenti vita, curemus intrare festinanter ne accedat nobis sicut cuidam itineranti pigro et delicato. — Nota parabolam de duobus mercatoribus simul itinerantibus. Juxta illud Luc 13 : « Cum intraverit pater familias », etc.

In octava sancti Stephani, protomartyris

(Recueil imprimé)

Ecce video celos apertos.
(Act. 7.)

Volens inclinare corda vestra ad amandum celestia et despiciendum terrena, volo in hoc sermone declarare vobis aliquas celi conditiones. Sed prius salutetur virgo Maria.

Pro brevi declaratione, et materie introductione, sciendum quod inter homines et jumenta Deus posuit istam differentiam, quod jumenta sunt terrestria, et nihil habent celeste, sed nos homines principalem partem formalem, sc. animam, habemus celestem. Est enim anima rationalis, substantia spiritualis, et supracelestis, propter habitationem, quia licet corpus corrumpatur, sicut corpora jumentorum, anima tamen in celum tanquam propriam habitationem ascendit, nisi onus peccatorum impediat. Ideo apostolus : « Scimus, — non dicit opinamur — quoniam si terrestris domus... eternam in celis. » (2 Corint. 5.) Jumenta vero, quia nihil habent in celo, terram respiciunt, ideo de eis dicit scriptura : « De terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. » (Eccl. 3.) Patet differentia inter homines et jumenta. Ideo de nostra habitatione loquens thema dicit : « Ecce video celos apertos », etc. Ideo, si volumus, possumus intrare ut filii ad domum patris. Patet thema.

Modo habent tres diversas dispositiones, seu habuerunt.

Prima, fuerunt duri impenetrabiliter.

Secunda, fuerunt molles delectabiliter.

Tertia, fuerunt aperti universaliter.

De tertia loquitur thema : « Ecce video celos apertos », etc.

Quantum ad primum, etc. fuerunt duri impenetrabiliter : Ista conditio celorum fuit a transgressione primorum parentum, et durat usque ad Christum, intantum quod anime hominum, que sunt spiritus subtilissimi plus quam aer et lux que transit per fenestram vitream, et etiam plus quam vox, subtiliores sunt anime. Ratio, quia nulla creatura potest

Digitized by Google

impedire earum egressum vel ingressum, ut patet de spissitudine terre quam transeunt, descendendo ad infernum vel purgatorium. Cum tota ista subtilitate nulla virtute poterant intrare celum. Ecce quomodo erant duri impenetrabiliter. De hoc Job plangendo dicebat : Tu « forsitan cum eo fabricatus es celos, qui solidissimi quasi ere fusi sunt ». (Job 37.) Ratio hujus dispositionis fuit quia omnes creature tam terrestres quam celestes fuerunt create per Deum ad serviendum homini, quia Deus pro se non indigebat ; ideo Deus quando voluit facere hominem dixit : « Faciamus hominem... universeque creature », sc. corporali. (Gen. I.) Ideo propter peccatum hominis non solum inferiora, sed etiam celestia deteriora sunt. Quia sicut quando aliquis magnus nobilis seu baro facit aliquod magnum delictum seu proditionem contra regem, ideo destruit sibi terram. Ita fecit Deus, quando ille magnus et nobilis baro Adam peccavit, Deus vastavit terram, et noluit omnia annihilare ut prius, sed dextruxit, minuendo virtutes ad fructificandum. Secundo aquam et aerem, quia non est ita purus, postea ignem et celum. Nam scientia est indeterminate theologorum in IIII Sententiarum, quod de omnibus rebus abstulit Deus septem partes virtutis, et proprietatum, et qualitatum, sc. de claritate solis, lune, et stellarum septem partes amovit. Ideo celum quod ante transgressionem et peccatum erat apertum hominibus, non solum animabus, sed etiam corporibus, propter peccatum induratum fuit, non solum corporibus humanis, sed etiam animabus, non solum peccatoribus, sed etiam sanctissimis. De istis autoritas : « Si non obedieritis mihi... et terram eneam. » (Levit. 26.)

Nota : « Addam correctiones vestras septuplum propter peccata vestra. » Omnia peccata mortalia que possunt fieri reducuntur ad ista septem. Ratio, quia in septem possunt gentes peccare. Primo in honoribus, officiis, et dignitatibus, inordinate contra Deum appetendo, et sibi procurando. Ecce hic peccatum superbie. Alia autem bona sunt temporalia, ut divitie, bladum, vinum, oleum, et hujusmodi. Si inordinate et contra Dei preceptum lucrentur, ecce hic peccatum avaritie, etc. Tertia bona sunt bona delectationis carnalis, et quando inordinate recipiuntur, sequitur luxuria. Quartum est amicitia proximorum. Istud bonum non habent jumenta, quia unum non curat de alio. Et quando homines de amicitia non bene se gubernant, sequitur invidia. Quintum bonum est cibus pro necessitate vite, sed quando inordinate sumitur, sequitur peccatum gule. Sextum bonum est inimicorum, quia ex eis fabricantur corone paradisi. Nam si beati Laurentius et Vincentius non habuissent inimicos, non fuissent ut martyres coronati. Item si castitas non habuisset inimicam luxuriam, virgines non habuissent laureolam. Septimum bonum est tempus, et est preciosum bonum, intantum quod si unus damnatus posset habere tantum tempus, quantum duraret unum *Ave*

Digitized by Google

Maria, ita ut esset viator, posset salvari. Et quando male expenditur, ecce peccatum acidie. Ex his septem bonis si inordinate sumantur, sunt septem peccata mortalia. Ecce quare dicit : Addam correctiones vestras septuplum propter peccata vestra, sc. infirmitates, mortalitates, caristias, siccitates, guerras et malignitates.

Secundo dicit : « Et conteram superbiam », etc. Et non facit mentionem de aliis peccatis. Respondeo, quia nunquam fit peccatum mortale, quin habuerit initium in superbia. Illud peccatum includit omnia alia peccata. Verbi gratia : Quare aliquis est avarus, faciens usuras, furta, etc., quia non vult humiliari ad servandum mandatum Dei : Non feneraberis fratri tuo ad usuram, etc. Idem de luxuria. Jam enim Deus dedit homini regulam certam, sc. in actu matrimonii servando modum, etc. Alii autem non curant de illo actu, sed nolunt subjici regi Deo. Ecce superbia, quam istud peccatum includit, etc. Idem de gula. Jam dedit regulam in cibis sumere necessitatem pro vita corporis sustentanda, sed gulosi nolunt servare. Ecce superbia. Et licet dicant ore : Volo servare, tamen opere ostendunt oppositum. Idem de inimicis. Deus precepit ne recipiant vindictam, nec in ore, nec in corde habeant eis malam voluntatem, et nihil servant. Ecce superbia. Et jam dedit legem ne perdamus tempus, sed in operibus spiritualibus simus diligentes, et nihil facimus. Ecce superbia. Patet ergo quod omne peccatum habet radicem et initium in superbia. Ecce quare dicit : Et conteram superbiam, etc.

Tertio : « Et dabo vobis celum desuper sicut ferrum. » Dicit scriptura quod orationes humiles et devote facte per nos sunt sagitte penetrantes celum, et ascendunt usque ad Christum, advocantem pro nobis ut procurator vel advocatus coram judice : « Oratio humiliantis se... non elongabit. » (Eccl. 35.) Sed quando sumus in peccatis, celum est ferreum, et non possumus penetrare celum.

Quarto : « Et dabo terram eneam », ne sc. fructificet, et incassum consumatur labor vester. Ecce de prima celorum dispositione.

Quantum ad secundam celorum dispositionem, transactis quinque millibus annorum in quibus celi fuerunt duri, sublata prima dispositione celi mutaverunt conditionem, et fuerunt molles et dulces delectabiliter ; et duravit ista dispositio a Christi incarnatione usque ad ascensionem. Ratio hujus dulcedinis et mollificationis est, quia tandiu posset ferrum ad ignem applicari, in igne stare quod liquefieret. Ita ex quo ille ignis infinitus divini amoris ardentissimi et dulcissimi, de quo apostolus : « Deus noster ignis consumens est », (Ad Hebr. 12.) pertransivit celos veniendo ad nos, jam ipsi celi mollissimi et mellifui facti sunt. Ideo cantat Ecclesia in Nativitate Domini : « Hodie per totum mundum mellifui facti sunt celi. » Nota : non dicit mellei, sed mellifui id est

Digitized by Google

stillantes guttas dulcedinis in cordibus contemplativorum, sed terreni homines et carnales non gustant. Ratio hujus dispositionis est per contrarium ad primam. Nam per adventum filii Dei multum meliorata est humana conditio, et deteriorata omnium rerum causalitate, omnia proportionabiliter fuerunt deteriorata, alias non fuisset proportio. Modo autem homo est melioratus, quod ex quo rex duxit in sponsam filiam rustici, omnes de illo genere meliorantur. Ita de Christo rege ducente sororem nostram naturam humanam in sponsam, omnes nos sumus meliorati, etiam creature, sed maxime celum. De hoc dicit David in psalmo: « Deus, cum egredereris ... pauperi, Deus. » (Psal. 57.)

Nota secreta, cum dicitur: Deus, cum egredereris in conspectu populi tui. Ecce hic tangit mysterium incarnationis filii Dei. Ratio, quia questio est theologie et beati Bernardi in epistola ad Hugonem de Sancto Victore, quod in die incarnationis omnes angeli viderunt ipsum incarnatum, ideo dicit in conspectu populi tui, sc. angeli. Dicatur quomodo sunt novem ordines angelorum. Ordo altior est Seraphin. Secundus Cherubin, et sic de aliis descendendo. Cogitate quomodo egrediebatur, non intelligatis per modum localem, sed per contemplationem eorum et visionem, quomodo in quolibet ordine dicebatur sibi: O Domine, assumatis naturam humanam, et nunquid homines sunt nobiliores nobis? etc. — Et sic omnes angeli sciverunt in celo. In terra autem solum scivit virgo Maria, que eum concepit. — Cum pertransires in deserto: hic tangit nativitatem Christi. Iste mundus dicebatur locus desertus. Ratio, quia licet tunc mundus esset bene populatus, et hominibus associatus, tamen sicut persona associata nisi habeat Deum, dicitur deserta. Sed si habet Deum per gratiam, licet sit in deserto non est sola. Et quia tunc mundus ex predictis non habebat Deum, ideo dicitur: Cum pertransires, sc. per virginem que fuit via per quam venit in desertum hujus mundi. — Terra mota est, sc. ex edicto imperatoris, ut quilibet profiteretur in suam civitatem. — Celi distillaverunt a facie Dei Synai igniti, sc. charitate, ecce causa; a facie Dei Israel, ecce effectus, quia ut mundus videret Deum per fidem. Ecce secunda celorum dispositio.

Quantum ad tertiam, etc. Sunt aperti universaliter, ideo dicit thema: Ecce video, etc. Ista dispositio incepit in Christi ascensione, et durabit usque ad diem judicii. In introitu Christi et sanctorum porte fuerunt aperte. Chrysostomus loquens de conditionibus celorum dicit: Erant prius obstacula quedam, quibus obsistentibus anime defunctorum introire non poterant celos. Sed nota qualiter Christo ascendente obstacula amota sunt, secundum quod tangit prophetia David, Psal. 23: « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini porte eternales, et introibit rex glorie. » Et date fuerunt due responsiones, sc. quod erant

Digitized by Google

duo obstacula. Primum est in regione aeris, etc., ubi est major multitudo demonum transitum observantium, et quando angeli dixerunt eis: Attollite, etc. Responderunt: « Quis est iste rex glorie », etc. — Et sancti angeli: « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prelio », etc. qui sc. vicit vestrum principem; et fugerunt. Et sic amotum est primum obstaculum sanctis personis.

Secundum obstaculum erat sanctorum angelorum celum custodientium, quibus dictum fuit: Attollite portas, etc. Responderunt: Quis est iste rex glorie? non ignoranter, sed admirative, quia tantam gloriam dat animabus, et sic aperti sunt celi. Ideo beatus Stephanus, qui post Christi ascensionem passus est, vidit celos apertos, ideo non dubitavit mori. Quandiu enim vivimus, celi sunt nobis aperti, et post mortem non aperiuntur, nisi jam in vita fuerint aperti. « Cum intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ad ostium dicentes: Domine, aperi nobis. Et respondens dicet vobis: Amen dico vobis, nescio vos unde sitis », etc. (Luc. 13.) Nota clauserit ostium, sc. peccatori: ergo festinemus, non expectemus mortem, nec juvenis expectet senectutem, qui etiam hircus vel agnus moritur, sicut et ovis, nec sanus expectet infirmitatem. Ne accidat nobis sicut legitur de duobus viatoribus simul ad suam villam ambulantibus. Dicatur parabola: que villa habebat consuetudinem portalia claudendi in sero... quorum unus remansit in prato amenissimo, et porte fuerunt clause, etc. « Villa nostra ad quam nos sumus ambulantes est paradisus, quia non habemus hic manentem civitatem. » (Hebr. 6.) Et in nocte, sc. culpe, clauditur, ideo oportet venire de die, sc. cum claritate gratie. Sed mundani remanent in prato luxurie. Avari in fronte montis avaritie. Superbi sub arbore vanitatis, in vestitu, ornatu, etc. Sed prudens transit cum labore penitentie, ut pro tempore veniat ad portam, etc. Ideo apostolus: « Festinemus ergo ingredi in illam requiem. » (Hebr. 4.)

A prendre dans le ms de Valence:

... Sed dicet aliquis: quare magis perdiderunt de virtute septem partes quam quatuor, vel tres? etc.— Et dico quod ideo quia in peccato quod comissit Adam fuerunt septem gradus peccati, sc. quia primo peccavit in superbia, nam desideravit scire tantum sicut Deus et ita sibi equiparari. Item in avaritia cupiendo scientiam Dei, non contentus de sua. Item in luxuria, nam comedit de fructu complacendo Eve uxori sue, ut dicit beatus Augustinus, nolens contristare delicias suas. Item in accidia nam fuit negligens in servando preceptum Dei. Item in ira dicendo in se: quare non comedam? etc. Item in gula: patet. Item in invidia, invidens Dei scientiam.

Digitized by Google

Sed dicet aliquis : Et quod malum merebantur res create, quod deberent perdere tantum de sua virtute ? — Et dico ideo quia Deus non fuit contentus Adam punire, sed etiam in sua terra quam sibi dederat, de qua terra habetur, Gen. 1 : « Faciamus hominem, etc., partibus maris, etc. create ; et ideo, » etc.

Sed post adventum Christi fuerunt facti celi blandi delectabiliter ; nam cum Deus descendit de celo in hunc mundum, non intelligas, Judee, quod Deus localiter se movet, quia non movetur, sed descendit ut reciperet carnem humanam in utero virginis ; et tunc celi mutaverunt dispositionem. Et est ratio quia, cessante causa, debet cessare efectus, nam causa erat ira Dei, et humiliavit se veniendo in hunc mundum.

Et dicit pax, quia tunc *gerra* erat inter Deum et nos, pugnando contra eum per peccata, ut habetur Ex. 9. « Domine, iniquitates nostre, etc. ad celum. » Et tractatores istius pacis fuerunt patriarche et prophete ; et quia non poterant attendere supra ad Deum, Deus voluit de celo descendere, nam ut scitis, quod partes contrarie debent esse presentes si bona pax debet fieri. Et ita fecit Christus... Et non dicit : mellis sed melliflui, nam distillabant dulcedines ; et hoc censerunt persone devote in vigilia nativitatis stando, orando et contemplando, non autem dormientes et ludentes, etc. Et ideo dicitur : lupo sternenti non intrat glilium denti. Et ita tunc facta pace, etc.

Et dicit : « Cum pertransires in deserto », etc. (Ps. 57). Et dicit desertum, sc. de Natzaret et Bethlem ubi natus fuit. Et dicit : mota terra, sc. propter preconium imperatoris ut faceret sibi homagium ; gentes de domibus suis movebantur per terram et mare, etc. Item dicit Sinay, nam idem Deus qui descendit in monte Sinay ut daret legem Moysi in forma ignis, descendit in illa montanea alta magis quam celum per dignitatem, sc. in virgine Maria ut daret legem gratie. Item dicit Israel, propter Jacob, quia antequam luctaret cum angelo vocabatur Jacob : sed mutavit sibi Israel ut habetur. Gen. 32 : « Vidi Dominum, facie ad faciem », etc. Et postea Jacob incepit claudicare, nam non solum credebat quod verus Messias habebat esse Deus et ita rectus, sed etiam homo, et ita claudicabat. Item credebat quod debebat esse sanctus, et ita stabat rectus, sed prius credidit quod idem debebat mori pro nobis in hoc mundo, et ita inclinabat se *rauquiando* et claudicando versus terram. Item credidit quod debebat descendere in limbum anima ejus. Et dicit quod angelus non poterat luctari contra Jacob, significando duritiam cordium Judeorum qui non possent vinci per predicationem et adventum Christi, nec per apostolos et alios predicatores, sed stant in suis deliciis.

Et notetis quod bis dicitur iste versus : Attolite portas, etc., propter duas civitates Christi, sc. una est gloria et alia infernus ; et civitas infer-

Digitized by Google

norum fuit aperta in passione Christi, et civitas celi fuit aperta in sua ascensione et ecce quomodo : quando Christus expiravit, anima ejus incontinenti descendit ad infernum, et angeli qui ibant cum ipso tangebant ad portam infernorum quam tenebant clausam demones, et clamabant dicendo primum versum : « Attollite portas, principes, vestras », etc. Et tunc demones fugerunt derelinquendo januas. Et intravit Christus et visitavit limbum patrum. Et alia civitas celi fuit aperta in sua ascensione, nam angeli qui ibant ante Christum concomittando eum dicebant cantando versum sequentem : « Attollite portas, principes, vestras et elevamini, etc. » Et tunc respondebant ceteri angeli de ordine principatuum de quo et beatus Michael : « Quis est iste rex glorie ? » Et tunc iterum cantando dicebant : « Dominus virtutum ipse est rex glorie. » — Et tunc porte fuerunt aperte. — Et non tardemus in itinere, et non contingat nobis sicut contigit cuidam homini fatuo qui ibat cum alio socio ; et cum vidisset arborem et fontem et pratum voluisset se ibi *aturare*, et alter quia jam erat vesper itineravit ne clauderetur janua civitatis, et iste intravit et alter remansit. Et ista civitas est gloria paradisi in quam quivis intrat si venit *de dia*, sc. in gratia Dei ; si autem in nocte, id est in peccato mortali, non intrabit.

Et ideo, *bona gent*, laborate in bonis operibus, et non simus fatui et pingues, ut habetur, 2. Pet. 1. Satagite per bona opera, etc.

.....

In octavis sancti Stephani

(Manuscrit de Toulouse)

Ecce video celos apertos.
(Act. 7.)

Hodie sunt octo dies quod ego predicavi qualiter beatus Stephanus intravit gloriam ; ideo hodie predicabo qualiter nos intrabimus. — Sed primo, etc., *(sic)*.

Ad verbi propositi declarationem est sciendum quod ab initio mundi, ab Adam usque ad istud tempus et etiam usque ad finem mundi, reperio celos habuisse contrarias dispositiones.

Primo quando Adam peccavit, ita erant duri celi et impenetrabiles quod nullus poterat intrare. Et mirum, quia anima que est substantia spiritualis cui nichil materiale potest resistere, non posset penetrare celos. Tamen ecce textus : « Tu fabricatus es celos ; quasi ere fundati sunt. » (Job 37.) Et est bona ratio, nam vos videtis quod aer rem mollem facit duram propter frigiditatem, ita quod per peccatum Ade fuerunt infrigi-

Digitized by Google

dati et duri effecti. Auctoritas : « Si non obedieritis... sicut ferrum. » (Levit. 26.) Et ista dispositio duravit usque ad adventum Christi. Sed post facti sunt ita molles sicut mel vel butirum. Sancta mater Ecclesia cantat in nativitate Christi : « Hodie nobis pax de celo descendit, hodie melliflui facti sunt celi. » — Quare pax ? — Quia briga maxima erat inter nos et Deum : nos contra Deum cum peccatis, et Deus contra nos cum tribulationibus. Ideo facti sunt molles quia sicut frigiditas durificat, ita ignis mollificat. Ps. 67 : « Deus, cum egredieris in conspectu populi tui, etc. Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus », sc. in incarnatione. O fili ! cum a me exieris, egredieris in conspectu populi, sc. angelorum per ordines descendentium...Et : Domine, effici homo ! Et non vultis nostram naturam ? — Non ! — Nusquam enim apprehendit, sed semen Abrahe. Et sequitur : « Cum pertransires in deserto de sinu patris in mundum », per portam virgineam, terra mota est. Jam dixi quomodo per mare et terram omnes moti sunt ad profitendum, et celi distillaverunt quasi mel dulcerosum « quod parasti pauperi », non divitibus, quia avari « oculos suos statuerunt declinare in terram » ; sed pauperes spiritu semper habent oculos in celum dicentes : « Ad te levavi oculos meos, Domine, qui habitas in celis. » Et Christus ascendens patefecit omnes celos. Ideo Chrisostomus : « Erant prius obstacula quedam, quibus obsistentibus nullam animam arbitror introire posse ; sed Christo ascendente, aperti sunt celi. » Et ideo beatus Stephanus dixit : « Ecce video celos apertos ». Non dixit ferreos vel molles sicut primo modo, sed apertos. Ergo postquam aperti sunt videamus quomodo poterimus intrare. — Et ego reperio quatuor conditiones intrantium :

Primam innocentium baptismaliter.
Secundam obedientium integraliter.
Tertiam penitentium virtualiter.
Quartam patientium martirizaliter.

Prima conditio est innocentium baptismaliter ut sunt parvuli qui in illa innocentia moriuntur. Non oportet orare Deum pro ipsis, quia recta via vadunt ad Deum. Et etiam judei et mauri qui non ficte accedunt ad baptismum. Oh ! que virtus est baptimi quod aperiat celos ! Et jam scitis quod Filius Dei est pater noster, et Ecclesia est mater. Et propter hoc dicebat Johannes populo : « Dedit eis, sc. hominibus, potestatem filios Dei fieri », sc. per credulitatem. Et dicatis : Nonne pater teneret ostium apertum filio ? Et quis pater diceret : Extra ! extra ! nolo quod intres ? — Certe nullus. Ergo quanto magis pater noster Jesus ! Imo statim dicit : Intret ! intret ! Et totum hoc fuit ostensum in baptismo Christi : « Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce celi aperti sunt. » (Math. 3.) Et que ascensio est ista ! non dicitur pro Christo, quia non indigebat cum tantam dignitatem

Digitized by Google

haberet tunc sicut nunc. Tamen pro nobis dictum est qui baptizamur. Oh que ascensio ! quod filii agricole et pastoris fiant filii regis et imperatoris ! Et de hoc Johannes mirabatur dicens : « Videte qualem caritatem... et simus. » (1, Joan. 3.) Et post, quod sequitur : « Cum ascendit aperti sunt celi » non dicitur de Christo, quia ei erant celi semper aperti, sed homo per ablutionem ascendit in tantam dignitatem quod aperti sunt celi. — Unde si tu retines illam innocentiam baptismalem, statim intrabis. Tamen quot sunt qui perdiderunt propter tot peccata ! Ii non reperient celos apertos ; imo dicet Christus illis : « Foris canes, etc... mendacium. » (Apoc. ultim.) — O Domine ! ego sum christianus. — Non ! non ! fora ! fora ! — Sex conditiones personarum non intrantium ponit :

Primo foris canes ! ecce persona superba et invida.

Secundo venefici dantes potus pestiferos, et etiam gulosi qui per gulam manducant venenum ipsi anime.

Tertio impudici qui habent cor plenum desideriis malis et oculos impudicos, cupientes quecumque vident ; et aures etiam habent impudicas, quia nunquam vellent audire nisi de luxuria. Ideo extra !

Quarto homicide : omnia peccata mortalia tacite ponit, ideo homicide qui non solum opere sed cogitatione. — Ego nunquam feci homicidium. — Respondet Joannes : « Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. » (1, Joan. 3.)

Quinto ydolis servientes. Antiquitus colebant homines ydola, nunc aurum et argentum adorant : tales fora ! fora de paradiso !

Sexto omnes qui amant et faciunt mendacium. Ecce pigri. Et vos, quam promissionem fecistis in baptismo ? — Si non venitis ad missam, vel non jejunatis ; ecce superbia et pigritia et mendacium.

Secunda conditio est obedientium integraliter, nam cum simus majores, dampnaremur propter peccatum ociositatis non faciendo bona opera ; ideo obedire Christo. Si vos habetis amicum divitem, si venit ad domum vestram, statim dicitis : aperi. Et justi tales sunt amici Dei de quibus Christus, Joan. 15 : « Vos, amici mei, si feceritis que precipio vobis ».—« Qui habet aures audiendi audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.» (Apoc. 3.) Et sequitur in quarto : « Post hec vidi ostium apertum in celo », sc. obedientibus. Non dicit post hoc sed post hec. Septies repetit hoc verbum : « Qui habet aures », etc. Quare ? — Ad dandum intelligi quod septem obedientie sunt nobis necessarie. Primo obedire Deo : hoc mandat Deus, hoc faciam licet ad contrarium incliner. — Secundo obedire Ecclesie, quia rex vult non solum quod sibi obediatur sed etiam regine : « Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tue. » (Prov. 1.) — Tertio prelatis in hiis que non sunt contra

Digitized by Google

Deum : « Obedite prepositis vestris, etc. (Heb. ultim.) — Quarto rectoribus temporalibus, ut in pace vivamus. « Omnis anima potestatibus subdita sit, etc., damnationem acquirunt. » (Rom. 13.) — Quinto parentibus in hiis que non sunt contra Deum : « Filii, obedite parentibus : hoc enim justum est » (Eph. 6.) — Sexto femine obediant viris : « Mulieres viris suis subdite sint » (Eph. 6.) — Septimo debemus obedire intellectui proprio et rationi, non dare sibi regulam, cum plus indigeat altero : Ego nunc satis comedi quia natura bene sustentabitur. Dicendo : hodie comedi unum panem, cras medium et bibam aquam, et cras non comedam nisi herbas, Dominus sustentabit : non est nisi temptare Deum et non obedire rationi : « Unusquisque in suo sensu abundet » (Rom. 14.) « Post hec, id est post has septem obedientias, vidi, et ecce ostium apertum in celo. »

Tertia conditio intrantium celum est penitentium virtualiter. Bona gens, in istis jam dictis multi ceciderunt : ergo fortiter adhereamus obedientiis ; confiteri sepe, nam istis aperti sunt celi. Cum vester famulus laboravit per totam diem, et venit in vespere : *tac a la porta*, dicitis : vade, aperi sibi. Ita facit Christus omnibus qui laborant per totam diem fodiendo per disciplinas, jejunia et abstinentias discretas, dimittendo carnales delectationes. Cum venit sero mortis, credatis quod Deus aperiet dicendo : « Venite qui laboratis, ego reficiam vos » (Math. 11.) Et vultis unam auctoritatem cum secretis ? — « Cum essem in medio captivorum juxta flumen Chobar, vidi visiones Dei » (Ezech. 1). Penitens est in medio captivorum. Duo sunt captivi : primus per penam infernalem : « congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere » (Is. 24). Secundus per culpam mortalem : « A diabolo captivi tenentur » (11, Thim. 2). Tamen dicit justa flumen Chobar, quod interpretatur *cadavera patris*. Videatis : cum Christus depingitur crucifixus, semper ad pedem crucis ponitur cadaver vel figura. Dicitur quod in monte Calvarie erat cadaver patris Ade : Ego nescio si est ita, tamen bene erant cadavera mortuorum. Ergo penitens stat « juxta flumen », sanguinis Christi, « Chobar » id est Calvarie ubi fuit crucifixus ; ut, cum jejunat vel sitit, consideret quomodo Christus sitiebat. Item cum fastidit de cilicio, ymaginetur quomodo Christus fuit crucifixus. Item si vituperatur, ponat se juxta flumen Chobar cogitando cum *quantas spentas* Christus docebatur ad locum Calvarie et vituperiis. Ecce tunc penitentibus aperti sunt celi. « Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio » (1, Cor. 1).

Quarta conditio est patientium martirizaliter, qui nec per promissiones, nec diffimationes, nec minas aut tormenta usque ad mortem, non recedunt a Deo. Nam milites propter honorem regis laborant et victoriam

Digitized by Google

habent : numquid clauditur in janua regis ? — Certe non, ideo ipsis dicit Dominus : « Vos estis qui permansistis mecum... in regno meo » (Luc. 22). Nota qui permansistis mecum, sc. perseverantes. Et ideo quia beatus Stephanus, primus martir, volens ostendere viam aliis, dicebat : « Ecce video celos apertos. » Ita quod sive pro humilitate, vel castitate, vel alia virtute patiatur quis persecutionem, pro martirio reputatur. Ideo Christus : « Beati qui persecutionem patiuntur », etc. (Math. 5). Ideo sustineamus adhuc patienter pro Christo, et martires reputabimur ; et ita intrabimus celos quos apertos pro nobis se vidisse profitetur beatus Stephanus. Placeat, etc.

Explicit.

Digitized by Google

Octava beati Joannis, apostoli

(Canevas autographe)

Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus.
(Joan. ulti.)

Reperiuntur septima quibus homo diligitur a Deo, sc.:
Speculatio sapientie ;
Dilectio benevolentie ;
Observatio obedientie ;
Simplicitas conscientie ;
Puritas castimonie ;
Liberalitas misericordie ;
Et unitas concordie.

De quolibet Christiano habente ista potest veraciter dici quod fuit dictum de beato Joanne : « Hic est discipulus ille », etc.

Ratio primi : Subditus reverenter aperiens portas domus sue domino advenienti diligibilis est ab eo. Ps. 93 : « Diligit Dominus portas Sion », etc. Nota tabernacula Jacob, id est documenta physica : « Neminem diligit Deus », etc. (Sap. 7).

Ratio secundi est divina benignitas juxta illud. Prov. 8 : « Ego diligentes me diligo », etc. — Nota : mane vigilare est in juventute Deo adherere. Joan. 4 : « Qui diligit me diligetur a patre meo. » — Sap. 6 : « Qui de luce vigilaverit ad illam », etc.

Ratio tertii : Cuilibet Domino est amabilis seu habitatio sibi obediens. Joan. 4 : « Si quis sermonem meum servaverit, Pater meus diliget », etc.

Ratio quarti : Inter sacrificia holocaustum est precipuum apud Dominum secundum legem. I Paral. 29 : « Scio, Deus meus, quod probes corda », etc. — Nota per contrarium quod multiplicitatem consciencie odit. Malac. I : « Dilexi Jacob », etc. — Ps. 46 : « Elegit nobis hereditatem sibi », etc.

Ratio quinti : In templo suo misericordiam diligit Deus. Ps. 25 dixit Christus Patri : « Domine, dilexi decorum domus tue. » Ideo, Prov. 22 : « Qui diligit cordis munditiam », etc.

Ratio sexti : Campus reddens fructus habundanter diligitur a seminante. II Cor. 9 : « Hilarem datorem diligit Deus ».

Ratio septimi : Quilibet diligit propriam habitationem. II Cor. ult.: « Pacem habete », etc.

Digitized by Google

In octava sancti Joannis Evangeliste

(Recueil imprimé)

Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus.
(Joan. ulti.)

Sicut in festo beati Joannis predicavi de amore quem Christus habebat ad beatum Joannem super omnes alios, modo volo predicare per que opera possumus nos diligi a Christo. Sed primo salutetur virgo Maria.

Verbum thematis proprie dicitur de beato Joanne evangelista. — Diceret aliquis : Nunquid Christus diligebat omnes alios apostolos ? — Imo. — Quare ergo dicitur : hic est, etc. — Licet enim Christus diligeret omnes alios magno amore, singularem tamen amorem et familiaritatem habebat ad beatum Joannem, sicut parentes naturaliter diligunt omnes filios, sed singulariter diligunt eis magis similem, gratiorem et pulchriorem, ita Christus diligebat omnes, sed singulariter Joannem sibi similem in puritate virginitatis. Beda : « Diligebat Jesus Joannem, non exceptis ceteris singulariter solum, sed pre ceteris quos diligebat familiarius unum, quem specialis prerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. » Ecce quare de beato Joanne proprie dicitur thema. Et dicit Beda rationem dilectionis, sc. puritatem vite.

Modo videamus an sunt alie rationes seu virtutes ex quibus Deus diligat nos. Ego amore vestri quesivi et inveni septem virtutes.

Prima est contemplatio de sapientia.
Secunda dilectio de benevolentia.
Tertia observatio de obedientia.
Quarta simplicitas de conscientia.
Quinta puritas de continentia.
Sexta largitas de misericordia.
Septima unitas de concordia.

Et pro omnibus insimul potest aliquis diligi a Deo, et de tali poteri mus dicere : Hic est discipulus ille, etc.

Dico primo quod contemplatio sapientie est ratio quare homo diligitur a Deo. Quando enim creatura dat se contemplationi divine, legendo, studendo, sermones audiendo, devote orando, et per ista visibilia Deum intuendo, ex mundi gubernatione et provisione divinam providentiam considerando, gloriam paradisi et penas inferni meditando, talis creatura multum diligitur a Deo. Autoritas : « Fundamenta ejus... tabernacula Jacob. » (Psal. 86.) Nota secreta : Fundamenta ejus, sc. contemplativi, in montibus sanctis, sc. articulis fidei. Taliter enim debet fundari contemplatio,

Digitized by Google

ne sit contra aliquem articulum fidei, quia edificium sine fundamento cito cadet. — Diligit Dominus portas Syon, id est contemplationes. Porte dicuntur sensus per quos homo contemplatur. Si enim homo contemplatur legendo sacram scripturam, tunc oculi sunt porte, si audiendo sermones, aures sunt porte, si orando, os, etc. — Super omnia tabernacula Jacob. Patriarche non edificabant domos, sed habebant tentas mobiles seu barranas, et signant scientias philosophorum mobiles et transitorias in fine mundi. Astrologia, quia non erit motus celi, item nec influentia, nec generatio, nec corruptio. Tunc non erit necessaria medicina, quia nullus erit infirmus, nec regule grammaticorum seu logicorum erunt tunc necessarie. Ideo dicuntur ille scientie tabernacula Jacob, quia mobilia. Vult ergo dicere quod magis Deus diligit contemplationes etiam unius vetule de his que fidei sunt, quam contemplationes philosophorum de astris, etc. « Neminem diligit Deus nisi eum qui cum sapientia inhabitat », sc. contemplationis. (Sapien. 7.)

Secunda est dilectio de benevolentia. Invenitur enim duplex amor sive dilectio, sc. de concupiscentia et benevolentia, et ex secunda homo diligitur a Christo. Amor enim benevolentie est ratione bonitatis rei dilecte, quia tota ratio de benevolentia amoris est in re dilecta, quia sc. est bona, utilis, devota et sancta. Amor autem concupiscentie est quando unum amatur propter aliud, ut servus amat dominum ratione salarii, vel amor pedagogi ratione filii. Vos enim diligitis matrem et filium, sed alia ratione diligitis filium, quia caro vestra, etc. Ideo ille amor dicitur benevolentie. Et alia ratione diligitis magistrum, quia propter filium. Ideo ille amor dicitur concupiscentie. Idem de amore filii vel filie et nutricis. Ita aliqui amant Deum amore concupiscentie, et non placent Deo. Aliqui autem amant eum amore benevolentie, et istos diligit Deus. V. gr.: Si tu diligis Deum ut det tibi divitias temporales, honores et dignitates, ergo plus diligis creaturam quam creatorem, quia si diligitis matrem propter filium, plus diligitis filium, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis. Sed si diligitis Deum propter infinitam suam bonitatem, clementiam et misericordiam, ita quod tota ratio dilectionis sit in eo, talis amor est bonus et est amor benevolentie. Ita quod de amore concupiscentie non faciatis rationem antecedentem dicendo: Diligam Deum ut det mihi divitias, etc., bonam famam, vel gloriam eternam. Sed faciatis de ea effectum consequentem isto modo dicendo: Si bonum debet diligi, Deus est summe bonus, utilis, pulcher vel misericors, ideo volo diligere vos, Domine; dilectoribus vestris datis bona temporalia, honores, bonam famam et gloriam, spero, Domine, quod etiam dabitis mihi. Isto modo non ponitur amor creaturarum pro ratione, sed pro dispositione. Talis amor est benevolentie et tales diligit

Digitized by Google

Deus. Autoritas : « Ego diligentes me diligo. » Et sequuntur effectus consequentes cum subditur : « Mecum sunt divitie et gloria, opes superbe et justitia. » (Prover. 8.) Opes superbe sunt divitie, honores, quia dant occasionem superbie. Ideo Christus : Qui diligit me, diligetur a patre meo. — Domine, et qualis effectus sequitur vel sequetur ? — Respondet : « Ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum. » (Joan. 14.) Hic per gratiam et in futuro per gloriam.

Tertia est conservatio obedientie ad Dei mandata. Quando homo per ista refrenat se, quod ante permitteret se occidere quam faceret contra Dei mandatum, talis diligitur a Christo. Ratio : Cuilibet domino est amabilis persona, villa, civitas, seu terra sibi obediens, inobedientes autem odit et conatur destruere. Idem de Deo : « Si quis sermonem meum servabit », ecce obedientia, « pater meus diliget eum et ad eum veniemus ». Sc. ego et Pater et Spiritus sanctus. (Joan. 14.) Dicatur quomodo anima est creata ad imaginem trinitatis, quia sicut unus est Deus in essentia, et tres persone, ita et anima una et tres potentie. Cum ergo dicit : Et mansionem apud eum faciemus, etc., in memoria enim persona Patris manet per recordationem operis et creationis. In intelligentia persona Filii. Voluntas autem est camera Spiritus sancti. Et ad voluntatem pertinet desiderare Dei bonitatem que Spiritui sancto attribuitur. Ecce quale signum amoris ac si rex amore vellet venire ad domum rustici et quiescere ibi. Ideo dicit beatus Joan.: « Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » (Joan. 4.) De ista obedientia ad precepta Dei dicit Christus : « Si precepta mea servaveritis... in ejus dilectione. » Et loquitur in quantum homo, quia servavit precepta patris. (Joan. 15.)

Quarta est simplicitas de conscientia. Quando homo in omnibus suis factis, dictis et operibus habet cor ad Deum et intentionem rectam, non habet cordis duplicitatem vel triplicitatem ; placeat vel displiceat cui voluerit, solum quod placeat Deo. Aliter quando homo dicit : Tenebo bonam vitam, etc., ut gentes laudent me, vel honorent, vel ut habeam hominum familiaritates, cor est multiplex. Legitur in tertio libro Biblie, videlicet Levi, 1 et 2, quod erant tres species sacrificiorum. Primum erat hostia pacificorum. Secundum erat sacrificium pro peccato. Tertium sacrificium holocausti. Primum offerebant pro gratia a Deo recepta, de quo fiebant tres partes. Pinguedo et sanguis offerebantur Deo, et comburebantur. Secunda, sc. pectus et spatula dextra, dabatur sacerdoti. Tertia pars, sc. totum aliud, erat offerentis. Ecce triplicitas. Secundum sacrificium erat pro peccatis, ut Deus remitteret sibi peccata. De isto solum fiebant due partes. Prima offerebatur Deo. Ecce simplicitas. Hoc primum sacrificium placebat Deo, et magis secundum, sed maxime

Digitized by Google

tertium. Ita est de vita nostra. Aliqui offerunt se Deo per penitentiam, vel per ingressum religionis, sed faciunt de se tres partes. Pinguedinem devotionis dant Deo cui vellent placere. Secundo vellent habere bonam famam. Tertio vellent habere divitias, non tamen contra Deum, quia jam non esset sacrificium. Istud sacrificium placet Deo. Alii offerunt se Deo secundo modo, quia cupiunt placere Deo : secundo cupiunt habere bonam famam, et placere gentibus, et non curant de divitiis. Istud sacrificium magis placet Deo quam primum. Sed super omnia est sacrificium holocausti, quando solum curat placere Deo dicendo : Sufficit, Domine, quod vita mea placeat vobis, non curo utrum placet vel displicet gentibus. — Sed diceret aliquis : Nunquid dicit apostolus : « Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. » (Rom. 12.) — Intelligitur non ratione fame, sed timore Dei. Et de ista simplicitate dicit David : « Scio, Domine Deus meus... obtuli universa hec. » (1 Paral. 29.) Per contrarium multiplicitatem conscientie odit Deus. Dicatur hic historia de Isaac patriarcha, cujus uxor peperit duos filios geminos, sc. Esau et Jacob. Esau autem erat totus multiplex et dilatatus in negociis ; dicit textus : « Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi, id est astutus, et homo agricola. Jacob autem vir simplex, et habitabat in tabernaculis. » (Gen. 25.) Et dicit Deus, Malac. 1 : « Jacob dilexi, Esau odio habui. »

Quinta est puritas de continentia. Ista est ratio quare pre aliis dilexit Christus Joannem. Puritas enim conscientie est, quando vir et uxor servant sibi mutuam fidelitatem et modum, etc. De aliis autem qui non sunt de matrimonio, non curare de illo actu quodcumque. Tales diliguntur a Christo ex puritate conscientie. Ratio est : Christus est in domo sua, que domus sumus nos. (Heb. 3.) Infidelis autem est domus diaboli. Ideo quando baptizatur, exorcizatur ut diabolus ejiciatur. Ideo cavendum est ab immundiciis. Ideo dicebat Christus Deo patri per os David : « Domine, dilexi decorem domus tue, » sc. persone christiane, « et locum habitationis glorie tue. » (Ps. 25.) Nota differentiam inter domum et locum habitationis... sc. si sit pulchrum, non cogitando nec desiderando immundicias. Ideo Proverb. 22 : « Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. »

Sexta est largitas misericordie. Quando enim persona est liberalis in eleemosynis dandis, vel de spiritualibus, vel de temporalibus. Eleemosyne spirituales sunt bone doctrine, predicationes, etc., tunc datur prandium animabus de pane celesti. — Dicunt aliqui : Fratres semper petunt, et nunquam faciunt eleemosynam. — Imo de cibo scientie parato in coquina Spiritus Sancti dant eleemosynam pauperibus ignoran-

Digitized by Google

tibus, etc. Item redimunt captivos, quando predicator cum thesauro sapientie redimit animas de captivitate diaboli. Item induunt nudos virtutibus. Item consolantur tristes ad patientiam provocando. Idem de illis qui faciunt eleemosynas corporales, tales diliguntur a Deo. Ratio est : si vos habetis plures agros, clarum est quod plus diligitis et seminatis campum qui abundantius reddit fructum. Ideo Dominus Jesus Christus est seminator, persone vite humane sunt agri, divitie sunt semina Dei. Ipse enim seminat abundanter, dans vobis libere, et vos redditis unum denarium fractum, vel..., etc. Sed de illo qui facit magnum fructum elemosynarum : O, dicit Deus, in isto agro volo seminare, quia dat abundanter: « Hilarem datorem diligit Deus... in seculum seculi. » (2 Cor. 9.) Item David, Ps. 83 : « Misericordiam et veritatem diligit Deus. »

Septima est unitas de concordia. Quando enim in domo vir et uxor concordant. Uxor vero obedit viro secundum Deum, et vir non despicit eam, sed concorditer vivunt. Idem in communitate, quando majores non odiunt nec despiciunt minores, nec divites pauperes, tales diliguntur a Deo. Ratio hujus est : quilibet plus diligit domum propriam quam alienam. Domus Dei et locus est ubi est pax et concordia. « Factus est in pace locus ejus. » (Ps. 75.) Per oppositum, ubi sunt divisiones et guerre, est diabolus, et locus demonum. — Dicatur miraculum quod legitur in vita beati Francisci de civitate Assisii divisa, et cum semel in duas partes essent divisi, volentes se interficere, beatus Franciscus habuit per revelationem quod demones faciebant illam commotionem totam ; et elevatis oculis vidit infinitos demones supra civitatem, qui movebant corda gentium, etc., quos expulit beatus Franciscus, et statim secuta est inter eos pax. Factus est in pace locus ejus. Ideo apostolus : « Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit nobiscum. » (2 Corin. ultimo.)

De beato Joanne Evangelista

(Manuscrit de Toulouse)

Sic cum volo manere donec veniam.
(Joan. ult.)

Pro declaratione est sciendum quod thema presens est responsio ad quamdam questionem quam Petrus fecerat Christo de Joanne. Christus enim, generaliter omnes sibi fideles invitans ad statum perfectionis que in sequela Christi consistit, predixerat Luc. 9 : « Si quis vult post me venire », etc. Et quia multa sunt vie per quas Christus ambu-

Digitized by Google

lavit, et per quas fideles eum poterant sequi, aut per viam humilitatis, aut castitatis, paupertatis aut penitentie et asperitatis, et Christus hic in hoc textu non determinat aliquam, sed absolute dicit : « et sequitur » ; et docet secundum Gregorium perfectiones esse in gradu, perfectiores in statu, ideo Petro cui principatus et regimen Ecclesie commiserat, viam per quam eum sequeretur determinavit, sc. viam martirii, dicens in principio evangelii hodierni : « Sequere me ». Dixit Christus Petro : « Sequere me », sc. per viam martirii. Ita sibi declaravit forte quando sibi dixit : « Cum esses junior, cingebas te », etc. Et sequitur : « Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus, et clarificandus, quia per martirium est. Et sequitur in textu quod conversus Petrus vidit illum discipulum, sc. Joannem, quem diligebat Jesus, sequentem, et dixit : Domine, hic autem quid ? id est : qualiter iste sequetur te per eamdem viam martirii an per aliam ? Huic interrogationi et questioni Christus respondit Petro negative dicens : « Sic eum volo manere », etc. Glosa Bede : Volo quod per placidam carnis absolutionem, non per martirium sequatur ; ita, Petre, quod tu eris martir, et iste morietur confessor. Et hec est declaratio et sententia literalis thematis : « Sic eum volo manere », etc.

In presenti sermone, ad laudem et gloriam beati Joannis, Jesu Christi singularis amici, juxta tres partes thematis erunt tres articuli aut tractatus. Dic illos *(sic)*.

Dico primo quod primus tractatus est de l'*amor ben cordial que per Jesus fos demonstrada,* secundum quod dicit prima pars thematis « Sic eum ». Notate hic quod ista duo pronomina *istum* et *eum,* quandocumque in evangelio aut scriptura in habitudine Christi, ad Joannem indicant magnum amorem. Patet hoc cum scribitur in evangelio : « illum quem diligebat Jesus ». Patet amor de eo in habitudine. Et sic exponitur per doctores illud Osee 1. : « Puerum Israel, dilexit eum. » Et sic similiter est de istis duobus pronominibus *illum* et *eum*. Et quandocumque inveniuntur in habitudine Virginis Marie ad Joannem ut Joan. 19, quando Christus dixit in cruce Virgini erga Joannem : « Mulier, ecce filius tuus ; » et Joanni : « Ecce mater tua. » Et sequitur statim : « Et ex illa hora accepit illum discipulus in suam », sc. matrem ; sive fuit mater sua et ipse filius suus. Sequitur quod ex illa hora accepit eum, sc. Joannem, in filium adoptivum. Patet ergo quod in hoc pronomine *eum* ostenditur amor *cordial* Christi Jesu nostri Salvatoris ad Joannem. Similiter in habitudine Virginis ad Joannem : qui quidem amor secundum totum suum processum invenio scriptum et declaratum, Deuter. 32, ubi sic : « Invenit eum in terra deserta in loco », usque « volitans ».

Digitized by Google

Pro declaratione istorum notate amorem Christi Jesu ad Joannem. In evangelio scribitur enim ut amor magistri ad discipulum. In quibus verbis ego noto quod amor Christi ostenditur ad Joannem sicut amor magistri ad discipulum, qui facit tres operationes.

Prima in principio ;

Secunda in medio ;

Tertia in fine et termino.

Magister enim videns discipulum subtilem et humilem, incipit eum amare ; et hic est principium sui amoris ratione qua ipse est magister et ille discipulus. Deinde visa ejus subtilitate et humilitate, incipit eum nutrire et docere cum diligentia; et hic amor magistri habetur in se in medio, quia est major primo. Ceterum visa ejus capacitate, incipit eum custodire et promovere in alto gradu. Et hic amor magistri ad discipulum habetur in termino. Per omnia similiter est de amore quem habuit magister, sc. Christus, ad discipulum suum, sc. Joannem. Et nominatur hic in textu allegato.

Primo, in principio Christus dilexit Joannem *per sa disposicion subtil que ha haguda*. Et hoc notatur quando dicitur : « Invenit eum in via deserta. »

Secundo, in medio Christus Joannem dilexit curando et docendo cum diligentia *e gran cura,* ibi cum dicitur : « Circumduxit eum », usque « sui ».

Tercio, in fine et termino Christus dilexit Joannem, *e lo promovia a gran altura*, ibi : « sicut aquila ».

Dico primo quod Christus dilexit Joannem sicut magister discipulum in principio *per sa disposicion aguda.* Hoc dicit textus quia : « invenit eum in terra deserta ». Ad litteram terra deserta bonis temporalibus ubi Christus invenit Joannem erat Galilea. Unde propter hoc dicit Nathanael Joan. I : « A Nazareth, que erat civitas Galilee, potest aliquid boni esse ?» Vel in alio sensu ; in terra deserta : in loco deserto communiter homines, propter montes et aeris puritatem, habent intellectum subtiliorem. Item locus desertus est magis separatus, et studio et contemplationi dedicatus ; et in hoc deserto, sc. in separatione a mundo, et in sequela Christi inventus est Joannes Baptista qui a « terra deserti teneris sub annis », etc. Etiam Joannes evangelista qui, mundum derelinquens propter Christi sequelam, inventus est in deserto Pathmos insule, ubi ita studuit quod Hieronimus in epistola ad Paulinum : « quod in hac Apocalipsi multiplices latent intelligentie, nam ibi quot verba tot secreta, et quot sillabe tot sententie ». Item etiam dicit Hieronimus in prologo aut prohemio quod prophetia Joannis ibi contenta, est excellentior omnibus aliis prophetiis veteris testamenti, quia de Christo et Ecclesia, majori jam ex parte completa, secretum denuntiat.

Digitized by Google

Dixi secundo, etc. Et hoc notatur in textu cum dicit : « Circumduxit eum, et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui. » — Et nota quod hic explicantur tres actus quos magister cum diligentia exercet circa discipulum suum dilectum. Jesus, cum circuibat per civitates et castella predicans regnum celorum, primo eum circumduxit, quia ad majora secreta, quod est signum dilectionis, eum admisit, ut patet in Transfiguratione. (Mat. 17.) Item circumduxit in puelle suscitatione. (Luc. 18.) Item in nocte cene, in oratione quando sudavit guttas sanguinis, ut habetur Math. 26. Ergo circumduxit eum, etc. Sequitur : « et docuit », sc. quatuor. Primo in cena personam proditoris ; secundo misterium personarum Trinitatis et evangelium quando in predicta cena recubuit super pectus Domini : « In principio erat Verbum » usque « facta sunt ». Que lectio erat ita subtilis quod ingenium nostrum dicendo : « in principio erat Verbum », transcendit etiam omnem creaturam, nam hoc verbum est de subtilissima theologia, quam super omnes Christi discipulos subtilius et excellentius scivit Joannes. Ideo dicit Damacenus quod sicut apud latinos et etiam apud grecos philosophos ita Johannes Theologicus appellatur. — Item tercio docuit Christus Joannem, suum discipulum, maximam et subtilem lectionem ut dictum est. — Item quarto docuit quandam singularem et subtilem et difficilem questionem de virginitate et castitate. Difficilis est valde ista questio quia studentes qui eam nolunt addiscere communiter reperiuntur libidinosi, falsi et corrupti. Sed Johannes istam lectionem bene didicit, veraciter scivit et bene retinuit : quia liber in quo studuit fuit de pergameno virgineo veraciter scripto et totaliter incorrupto. Et iste liber fuit beata Virgo de quo Joannes loquitur in Apoc. 5 : « Vidi in dextera sedentis in trono, id est in cruce, librum scriptum intus et foris, intus per virginitatem mentis, et foris per integritatem carnis. Et quia istum librum habebat Joannes familiariter, et in eodem sciebat legere et studere, ideo Christus, ut bono et subtili discipulo, commisit sibi eum moriturus in cruce dicendo libro : « Mulier, ecce filius tuus » ; deinde discipulo : « Ecce mater tua. » « Iste est liber generationis Jesu Christi. » (Math. 10.) Et ecce quomodo Christus magister exercuit duos actus erga discipulum suum Joannem, sc. quod circumduxit et docuit.

Tertius actus magistri erga discipulum est custodire. Communiter dicitur magistro de discipulo : custodiatis bene istum puerum ne aliquid mali sibi contingat, ne aliquid sibi noceat. Istum actum exercuit Christus cum Johanne, quod notatur cum dicit : « Et custodivit eum quasi pupillam oculi sui », credo a corruptione carnis, nam supradicta lectio de virginitate, antequam haberet intelligentiam libri, sc. virginis Marie, in cujus libro studuit eam, visa fuit Johanni multum difficilis, quia alios libros inveniebat corruptos, ideo voluit nubere et uxorem ducere, sed

Digitized by Google

magister ipsum a nuptiis revocans, secundum quod dicit Hieronimus in prologo super Joannem, per ipsum et ab ipso virgo est electus, ut in cruce moriturus matrem suam virginem virgo servaret.

Sed diceret aliquis : Videtur ex hiis quod matrimonium sit malum, ex quo tam carum et dilectum discipulum Christum a matrimonio revocavit. — Respondeo quod non sequitur propter hoc quod matrimonium sit malum, non enim revocavit eum de bono ad malum, sed de bono ad melius. Nam secundum Bedam, bona est castitas conjugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis, non enim a matrimonio tanquam a malo Christus eum revocavit, sed de bono ad melius promovit, et ad optimum quod est perfectio virginalis.

Dixi tertio quod Christus dilexit Joannem in fine et termino tanquam discipulum suum dilectum, quia promovit eum *a gran altura,* quod notatur in textu cum dicitur : « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans. » Johannes super omnes evangelistas secundum doctores per excellentiam promotus est ad hoc quod sit aquila. De ipso scriptum erat Ezech. 10 : « Facies aquile desuper », etc. Et hoc propter quatuor. Primo *per sa vista subtil* et penetrativa, quia *agla* aspicit solem in propria rota reverberantem oculis, sic Johannes Christum in propria essentia deitatis, dicens : « In principio erat Verbum. » — Secundo *per son volar aut* (altum) *et transpassar ;* propter quod Dionisius vocat Johannem evangelistam splendidissimum solis radium. Non sic alii evangeliste. — Tertio *per son ni compausar,* nam secundum philosophum, tante subtilitatis est aquila quod in componendo nidos ponit lapides *pertensos* qui fugant serpentes ; sic Johannes in compositione Evangelii contra hereticos ponit lapides pertensos. Primus : « In principio erat Verbum », contra Nestorium qui dicit Christum habuisse principium temporale. — Secundus : « Et Verbum erat apud Deum », contra Sabellium qui non posuit distinctionem personarum in re sed in nomine. — Tercius : « Et omnia per ipsum facta sunt, contra Manicheum qui dicit eum fuisse solum creatorem invisibilium. Ergo « exaltavit quasi aquila nidum suum ». (Hier. 10.) — Quarto *per son noble cassar ;* in hoc consistit aquile generositas, nam non venatur circa nidum suum, sed longe, sic longe ab aliis evangelistis venatus est ; alii prope circa humanitatem, Johannes longe circa divinitatem. Ideo dicitur de eo sicut de aquila : oculi ejus de longe prospiciunt. Item in hoc consistit generositas quod predam suam aliis dimittit, sic Johannes profondissima sui evangelii omnibus ecclesiis Asie communicavit. Christus inter alios evangelistas eum ad hoc promovit quod est boni, et sic sicut bona et vera aquila provocat ad volandum pullos, pulli Johannis fuerunt discipuli quos provocavit ad alta volandum duobus alis, sc. ala caritatis

Digitized by Google

et dilectionis Dei, et ala amoris proximi. Unde in canonica sua : « Hoc mandatum habemus a Deo ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum. »

Cum enim in senectute sua portaretur ad ecclesiam, continue et sepius hec verba replicabat : « Diligite alterutrum. » Interrogatus quare tociens illa verba replicabat, respondit quod sic nos docuit magister noster Christus. Sic Johannes est aquila grandis alarum magnarum plena personaliter. Et de civitate venit ad Libanum, et tulit medullam cedri aquila grandis Johannes subtilis et acuti visus, id est alte intelligentie ; plena plumis, id est virtutibus diversis ; venit ad Libanum, id est de statu matrimonii ad statum virginitatis, quando de nuptiis fuit vocatus, sc. ut virgo esset, et virgo virginem reciperet in custodiam et commendam. Tulit, propter suam virginitatem, suamque altam intelligentiam et perspicuitatem, medullam cedri : cedrus est Deus Trinitas ; medulla cedri est media persona Trinitatis, ejus generationem exprimens eternam, et divinitatem ostendens, dicens : « In principio erat Verbum », etc. Sequitur in textu quod transportavit in terram Cham : Cham interpretatur zelus, et significat Ecclesiam per quam Christus magno amore zelavit. Etiam arbor ista nobiliorem virtutem et dulcorem, et saporem habet inter alias arbores de Libano ; in quo videtur quod Johannes superet alios evangelistas, quia Johannes reficit Ecclesiam de medulla interiori, alii vero de cortice exterioris humanitatis. — Concludendo meum sermonem quoad primam partem principalem, patet quod Christus multum dilexit Johannem sicut magister discipulum in principio, medio et fine et in termino. In principio quando videt eum in terra deserta ; in medio cum cura et diligentia quando circumduxit et docuit, etc.; in fine et termino quando promovit cum *a gran autesa (altitude)*. Quando fuit sicut aquila provocans, etc. Unde patet primus tractatus *de l'amor ben cordial per Jesus en sa persona demonstranda,* quia in eum juxta primam partem thematis *(sic)*.

Dixi secundo quod secundus tractatus erit unius privilegii *special de juventut plazent he atotgada,* quia Christus dixit de eo Petro : « Sic eum volo manere ». Secundum Bedam : volo quod moriatur et discedat cum placida carnis absolutione ; ita quod sit confessor et non martir.

Queritur per nonnullos quare illud privilegium fuit concessum Johanni et non aliis apostolis. Licet istis posset responderi per illud Hester 6 : « Sic honorabitur quem rex voluit honorare », tamen doctores assignant duas rationes. Prima est Bede allegata. Declarans thema dicit : « Sic eum volo », etc., per placidam carnis absolutionem, ut sit a dolore mortis extraneus sicut a corruptione carnis extiterat alienus. Et ista ratio est etiam Hieronimi in prologo super Johannem. Sed contra illud instatur quia plures fuerunt a corruptione immunes et virgines sine

Digitized by Google

macula, et tamen non fuerunt immunes a morte, nec habuerunt illud privilegium. — Respondeo : fateor quod alii fuerunt virgines et a corruptione immunes, sed Johannes inter eos plus est perfectior, quia in nuptiis, etc. Dicit philosophus in tertio Ethicorum quod illud quod in unoquoque genere est perfectum quod plus accedit ad summum illius generis : summum gradum virginitatis obtinet Christus et Virgo Maria ; virginitas Johannis magis appropinquat ad Christum et ad Virginem quam virginitas aliorum, unde per Christum fuit electa et approbata in nupciis, per Virginem adoptata in cruce, et probata et familiariter approbata in toto tempore vite sue ; et sic in hoc magis privilegiata. — Item decuit et conveniens fuit quod sicut mater de specialissimo privilegio mortua est sine dolore et pena, ex quo in hoc non potuit quia non decuit propter redemptionem generis humani filium suum naturalem, conveniens fuit quod haberet filium suum adoptivum *(sic)*.

Secunda ratio pulchra est et devota, quare Johannes habuit illud privilegium simul cum beata Virgine quod mortuus est sine pena et martirio, est ista : Dicitur Num. 1 (?) : « Non consurget super eum dux tribulatio, dux pena. » Sequitur ex ista autoritate quod si semel passus est martirium, non iterum patiatur, aliter esset super eum dux tribulatio. Ad propositum dicit Hieronimus quod beata Virgo fuit plus quam martir in passione Christi, et si non passa in corpore, tamen passa est in mente quod est gravius, ut dixit Simeon : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. » Nam in passione Christi fuit gladio doloris sauciata ; secundum enim Damacenum, non potuit sine cordis dolore maximo filium suum pretiosum videre crucifigi, conclavari et mori. Ita Joan. : « Ad sinistram stabat juxta crucem. » (Joan. 19.) Et sic tunc sustinuit martirium. Unde hinc elicitur ista conclusio per doctores devotos quod nullus qui vidit et interfuit passioni Christi devotus quin fuerit martir. — Sicut mater Christi : Magdalena, mater Jacobi, Nicodemus et Joseph ab Arimatia, et quicumque alii fideles. Et ratio est quia jam videndo passionem Christi martirium passi sunt, et si non in corpore, tamen in mente quod est dolorosius. Ergo patet quod super aliquid ex textu allegato non consurgit dux tribulatio. Ideo dixit Christus Petro de Johanne : « Tu me sequere », sc. per viam martirii ; Johannes vero, « sic eum volo manere » ut sine martirio moriatur. Et hoc de secunda parte principali.

Dico tertio et ultimo quod tertius tractatus erit cujusdam dubii declaratio super isto verbo pronuncianda : « Donec veniam. » Unde notandum quod super isto verbo movetur questio quod Johannes adhuc non est mortuus in corpore, sed vivit ; nam dicit hec opinio quod Christus intellexit ad judicium ultimum generale. Et hec opinio habet

Digitized by Google

ortum et principium in apostolis, cum supradicto intellectu, nam audito verbo Christi : « Sic eum volo manere », sequitur quod « exiit sermo inter fratres », etc. Et sequentes istam opinionem habent pro se unam rationem et duas auctoritates. Ratio est ista : nam tempore Antichristi quod erit prope judicium, pro defensione fidei servatur sine morte unus de lege nature, sc. Enoch, alius de lege scripture, sc. Helias, congruum ergo fuit quod servetur alius de lege gratie ; et iste est Johannes. Ita quod Johannes in corpore et anima vivit, et est cum istis in paradiso terrestri ut intersit bello fortissimo Antichristi. Ecce ratio. — Prima auctoritas pro ista opinione est dictum Johannis in Apoc. : « Oportet te sperare prophetam e populis et gentibus, linguis et regibus... » Sed illud non est adhuc completum, ergo servatur pro tempore Antichristi. — Secunda auctoritas est Math., 16 ; ubi Christus loquens de die judicii dicit sic : « Filius hominis venturus est in gloria Patris, et tunc reddet », etc. Statim sequitur : « Sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem, sc. per martirium ; certum est enim quod omnes alii mortui per diversa genera tormentorum, sicut Petrus crucifixus, Andreas, Bartolomeus excoriatus, Paulus decapitatus, etc.; solus autem Johannes non moritur, quia « sic eum volo manere donec veniam ». — Dicendum quod sacra scriptura neminem excipit a morte nisi Enoch et Helias, et hoc usque ad tempus Antichristi. Et secundum quod dicit Hieronimus : Nichil mihi credas si tibi dixero quod de sacra scriptura non procedat. Ideo respondetur pulcre secundum sanctum Thomam in ultima parte Summe. Dicit quod ista opinio reprobata est et condempnata de Johanne evangelista. V. g., sic opinantes dicunt, et non dicunt : Johannes non moritur. Item per eamdem rationem probaretur quod nullus apostolorum mortuus est, nam tempore Ascensionis Christi omnibus dicit : « Vado vobis parare locum ; et cum abiero et preparavero vobis locum, iterum veniam et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis. » Si igitur *li* (verbum seu vox) veniam, accipitur ad judicium, hoc dici potest de quolibet apostolorum sicut de Joanne. Item Augustinus : Magna injuria fieret Johanni quod in sui corporis ergastulo adhuc retineretur, aliis apostolis jam fruentibus et gaudentibus de beatitudine cum Christo, propter quem omnia reliquerunt, ipsum desiderantes et suspirantes, et Johanne dilecto clara visione et fruitione carenti ; nam sicut apostolus dicit de ipso : « Cupio dissolvi et esse cum Christo », quanto magis potuit dicere Johannes qui plus fuit conjunctus et dilectus Christo. Patet ergo vera opinio : « *li* donec veniam », sc. ad vocandum eum, nam in morte sua ad epulas superne ac celestis glorie cum suis sanctis fratribus invitavit, ut habetur in historia.

Restat ergo ad objecta alterius opinionis respondere. Et primo ad rationem de Enoch de lege nature et de Helia de lege scripture. Dicen-

Digitized by Google

dum quod ista ratio est frivola, nam oppositi Antichristi de lege, non unus sed multi erunt qui pro defensione fidei catholice sibi resistant, et multi per eum martirizabuntur. — Ad primam auctoritatem, quod illud est sibi dictum per angelum in Pathmos insula quando scripsit Apoc.; et post est impletum quando scripsit evangelium in quo prophetavit populis, regibus, linguis multis, imo toti mundo, cum evangelium est publicatum. — Ad secundam dico quod sequitur ibi de die judicii quando Deus reddet unicuique secundum opera sua, bonis corporis et anime gloriam, et malis penam. Et quia de corporis gloria dissimili (?) non intelligebant in quo staret tunc qualiter esset, subjungit Christus in plurali : « Amen, amen dico vobis : sunt de hic stantibus, etc., donec videant filium hominis in regno suo et in gloria sua ». Et isti fuerunt Petrus et Johannes et Jacobus. Et patet quod Christus sic intellexit quia statim sequitur, Math. 17 : « Assumpsit Petrum, Jacobum et Joannem, et transfiguratus est coram eis. » Et tunc isti viderunt Christum in regno suo et corpus suum glorificatum, et qualis esset gloria futura perceperunt. Et pulcre habetur hoc in glosa super litteram Math. 17 in fine.

Patet igitur finis nostri sermonis.

Deo gratias.

La copie *officielle* de ces sermons, évidemment faite d'après des fragments sténographiés, est criblée de fautes ; la plupart des références scripturaires notamment sont fautives.

Néanmoins, comme ces sermons sont d'une allure très vive, et ne se trouvent pas ailleurs, nous les reproduisons dans leur ordre.

De beato Joanne Evangelista (alius sermo)

(Manuscrit de Toulouse)

Hic est discipulus quem diligebat Jesus.
(Joan. ulti.)

Magna prerogativa beati Joannis in hoc perpenditur quod specialiter dilectus fuisse perhibetur. Unde licet Christus omnes apostolos diligeret perfecte, tamen de nullo dicitur : « Hic est discipulus quem diligebat » nisi de beato Johanne evangelista. — Nunc possetis mihi vos alii facere duas questiones, quarum solutio erit prosecutio nostri sermonis. Prima questio est : quid fuit causa tante dilectionis inter Christum et Johannem ?

Digitized by Google

— Secunda : quomodo ? et que sunt signa dilectionis Christi ad beatum Johannem ?

Prima questio est, etc. Ad hoc dico quod in beato Johanne fuerunt tria propter que Christus eum specialiter dilexit. Prima causa fuit Joannis puritas et incorruptio. Unde Christus specialiter tales amat. Prov. 22 : « Qui diligit cordis munditiam habebit amicum regem. » — Nota cordis munditiam. Et quia beatus Johannes fuit totaliter purus, in signum cujus depingitur juvenis, licet fuerit senior apostolis quia LXXXXIX annorum ; tamen hoc fit ratione sue puritatis ; et ideo habuit cum Christo singularem familiaritatem. Unde Eccl. 27 : « Volatilia ad sibi similia conveniunt. » Nota similia, sc. galline cum gallinis, grues cum gruibus, etc. Ubi nota quod fuerunt tria volatilia similia : unum volatile fuit Christus de quo Ps. 17 : « Ascendit super cherubim et volavit », sc. in die Ascensionis. Secundum volatile fuit beata Virgo de qua Eccl. 11 : « Brevis in volatilibus est apis. » Nota brevis, sc. per humilitatem. Tertium volatile fuit Johannes qui in forma aquile est ostensus. Et quia isti fuerunt tanquam volatilia ad invicem similia per puritatem et castitatem, ideo inter se habuerunt specialem familiaritatem et convenientiam. Et ecce prima ratio quare Christus privilegio amoris dilexit beatum Johannem.

Secunda causa est beati Johannis festina conversio, nam in sua juventute a Christo fuit conversus. Unde Christus tales multum diligit. In cujus signum legitur Math. 10 : quod Christus amplexatus fuit parvulos, manus super eos imposuit et ipsos benedixit. Ubi potes notare quomodo Christo placet nostra conversio facta in juventute, nam nunquam Christus hoc signum dilectionis alicui seni ostendit ; sufficit namque talibus quod a Christo regantur, juxta illud : « Ecce senex puerum portabat, puer autem senem regebat ». Et quod ab ipso non projiciantur : « Ne projicias nos in tempore senectutis ». (Ps. 70) Ergo exemplo beati Johannis habeamus festinam conversionem.

Tertia causa est ipsius Johannis fervens dilectio ad Christum. Unde Deus diligit diligentes se. Ps. 8 : « Ego diligentes me diligo ». Beatus Johannes dilexit Christum certe ita. Primo ipsum viventem ; et in signum hujus amoris omnia dimisit. Cant. 8 : « Si dederit homo omnem substantiam domus sue pro dilectione, quasi nichil despiciet eam. » Secundo dilexit Christum morientem, cujus signum est quia juxta crucem stetit. Tertio dilexit Christum mortuum, in cujus signum ad monumentum primus cucurrit. Unde Bern.: « Qui amat ardentius currit velocius et pervenit citius ». Et Greg.: « Illi pre ceteris cucurrerunt qui pre ceteris amaverunt ». Et ecce solutio prime questionis et declaratio thematis. Sed nunc est videndum que signa sunt ad ostendendum et cognoscendum quod Christus dilexit beatum Johannem pre ceteris. —

Digitized by Google

Pro quo est sciendum quod reperio octo signa sive privilegia que concessit Christus beato Johanni solum.

Primum signum vel privilegium est quod Christus ipsum speciali amore dilexit : ubi nota quod in signum hujus amoris Christus specialem curam habuit de eo tam in vita quam in morte. Primo Christus dixit Petro querenti : « Domine, hic autem quid ? » — Dixit Christus : « Quid ad te ? » Quasi diceret : curam Ecclesie tibi comitto, sed curam Johannis mihi reservo, nam « sic eum volo manere donec veniam ». Secundo Christus moriens curam specialem habuit de beato Johanne quando ipsum sue matri commisit stans in cruce. Unde magnum est in curia hujus mundi esse vicarius Dei, id est Petrus ; majus est esse vicarius matris Dei ; sed maximum esse vicarius in curia Christi, quod habuit beatus Johannes quando Christus voluit quod teneret locum suum in filiatione. Unde ergo Christus speciali amore dilexit Johannem cum de eo curam sibi reservavit. Et non est mirum quod beatus Johannes omnem amorem alium deseruit : sc. amorem carnalem, sc. uxorem, quam ob Christi amorem dereliquit ; nam XXVII annorum erat quando Christus eum vocavit de nuptiis. Unde Hieronimus : « Hic est beatissimus Evangelista Johannes », etc. — Amorem mundanum, quia navem et retia, et omnia que habuit contempsit. Math. 19 : « Ecce nos reliquimus omnia » que possidebamus actu, et que habituri eramus habitu. — Amorem proprium, quia propriam voluntatem dimisit et Christo semper adhesit : « et secuti sumus te », non nos sed te.

Secundum privilegium est quod eum ad omnia secreta admisit : ubi nota quod si Christus volebat facere aliquid tribus apostolis, beatus Johannes erat unus de illis tribus, sicut patet in transfiguratione, in puelle resurrectione, ubi fuerunt Petrus, Jacobus et Johannes. Si volebat facere gratiam duobus, ipse erat unus illorum, quod patet, nam ipsum solum et Matheum fecit apostolum et evangelistam. Si volebat facere gratiam uni, ipse erat ille solus. He ! quis alius recubuit super pectus Jesu Christi ? — Certe nullus. Et cui alteri matrem commendavit ? Et quem sic Christus sua caritate complevit ? — Quod autem fuerit plenus caritate patet quia de caritate plus ceteris locutus est. Math. 7 : « Ex abundantia cordis os loquitur ». Eh ! quis tantum locutus est de caritate sicut ipse ? ut patet intuenti suas epistolas precipue. Et quia ad caritatem servandam usque ad decrepitam etatem docuit, dicendo in fine dierum suorum : « Filioli, diligite alterutrum. » Et hoc est quod dicit Aristoteles : « Mos est amantium ut amorem suum silentio tegere nequeant. »

Tertium privilegium est quod sibi profundam scientiam dedit, in tantum quod dicit Origenes quod si altius intonasset, totus mundus eum capere non potuisset. Et nec mirum si tanta sapientia fuit plenus eum

Digitized by Google

sederit ad fontem divinum quando super pectus Christi in cena : de quo fonte tam copiose hausit quod quasi quidam fluvius paradisi est effectus. Unde cantatur de eo : « Quasi unus de fluminibus paradisi evangelista Johannes verbi Dei gratiam in toto orbe terrarum diffudit. » Et ideo comparatur aquile, qui tam sublimiter volavit quod omnia visibilia deserens, usque ad ipsum Deum ascendit. Unde Augustinus : « Transcendit Johannes omnia cacumina terrarum, omnes campos aeris, omnes altitudines siderum, omnes choros angelorum. » Nisi enim transisset omnia ista que creata sunt, non pervenisset ad eum per quem omnia facta sunt. Unde ascendit super intellectum humanum et angelicum, et pervenit ad divinum. Isa. 62 : « Ecce intelliget servus meus, et sublimis erit valde. » He ! quis ita alte ascendit tractando de misterio Trinitatis sicut Johannes ? — Certe nullus. Unde dicit Origenes quod Paulus raptus est usque ad tertium celum, sed Johannes transivit omne celum, nam Christus aqua sapientie potavit eum. Ergo Christus dilexit super alios Johannem, et scientiam altam ei profundam dando, quia « cibavit eum Dominus pane vite et intellectus ». (Eccl. 15.)

Quartum privilegium et signum amoris precipui est quod ei suam matrem recommendavit. Ubi nota quod Christus in hac vita quinque possedit : sc. corpus, animam, et modicam temporalem substantiam, Ecclesiam et matrem propriam. Corpus igitur recommendavit Nicodemo, animam Deo patri, substantiam temporalem Jude, Ecclesiam Petro, matrem vero Johanni, quod quidem magis amoris indicium fuit : Primo ratione rei commendate, quia sc. tantum thesaurum sibi commisit. Secundo ratione recommendantis qui suorum vulnerum oblitus, matris non oblivicebatur, et dilecti discipuli recordabatur. Tertio ratione modi recommendandi quia non dixit Virgini : Ecce servus tuus, vel nepos, sed : ecce filius tuus. Nec dixit Johanni : Ecce domina tua, vel avuncula, sed : ecce mater tua. Ubi Christus maximum dilectionis signum ostendit. Credendum enim est quod si Christus majorem aut meliorem thesaurum habuisset, ipsum beato Johanni commisisset. Secure igitur debent justi ad beatum Johannem accedere, qui habet in potestate sua matrem gratie ; secure et peccatores, quia ipse habet in potestate sua matrem misericordie ; secure et morientes, quia habet in potestate illam que in morte ab hoste nos protegit ; secure et anime decedentes, quia ipse habet in sua potestate illam que in hora mortis animas suscipit. Unde cantat Ecclesia : « Maria, mater gratie, mater misericordie, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe. »

Quintum privilegium est quod sibi et non alteri proditorem revelavit. Ubi nota quod quando apostoli volebant aliquid a Christo, statim habebant recursum ad Johannem tanquam ad secretarium qui solus accedebat ad ipsum et interrogabat. Et in signum hujus, quando Christus in

Digitized by Google

nocte cene dixit : « Unus vestrum me traditurus est », Petrus innuit Johanni ut sciret quis erat ille. Et Johannes dixit Christo : « Domine, quis est qui tradet te ? » Et Jesus proditorem sibi revelavit. Unde Petrus Damianus : « Profert Christus verbum in medium, et totus tacet senatus apostolorum, Johannes vero in discipulorum persona suscepta consultor accedit. » Ubi ostenditur ejus auctoritas et ejus potestas. Idem quantum apud judicem pro peccatoribus poterit qui etiam pro ipsis celestis curie senatoribus intervenit ! Idem quantum flagitare debemus ejus auxilium quem sibimet intercessorem ipsi apostoli petierunt ! Et ideo quia advocatus factus est summis, humiliter est implorandus a minimis. Et sic patet quomodo beatus Johannes fuit secretarius Christi. Unde dicere possumus id Eccl. 6 : « Amicus in domesticis fiducialiter aget, sua secreta ei revelando. »

Sextum privilegium est quod habuit omnium sanctorum perfectiones. Ubi nota quod Deus magnam perfectionem dedit Isaie quando fecit ipsum prophetam, Jacobo quando fecit eum apostolum, Luce quando fecit eum evangelistam, Stephano et Laurentio quando fecit eos martyres, Gregorio et Augustino quando fecit eos confessores, et tales doctores ; et magnam perfectionem dedit beate Catarine quando fecit eam virginem et suam sponsam. Sed beato Johanni Deus dedit omnium istorum perfectionem, nam ipse fuit propheta in Apocalypsi, apostolus in epistolis, evangelista in evangelio ; fuit etiam martir in quantum fuit in olei dolio missus. Unde dicit Policrates episcopus Ephesiorum : « Johannes pontifex auream laminam in fronte portans, martir et doctor in Epheso obdormivit. »

Septimum privilegium est honoris magnificentia quando beatus Johannes in Christi pectore requievit. Ubi est sciendum quod nos debemus ipsum honorare quia ipsum honoravit Christus, angelus, cetus apostolicus et omnium sanctorum laudabilis numerus. Primo honoravit eum Christus quando ipsum super pectus suum requiescere voluit. Unde ista ratione cantatur in Ecclesia : « Valde honorandus est beatus Johannes qui supra pectus Domini in cena recubuit. » — Secundo angelus ipsum honoravit, quia ab ipso adorari recusavit et se conservum vocavit, ut Apocalypsi... scribitur. — Tertio apostoli ipsum honoraverunt quando ipsum et Petrum tanquam columnas Ecclesie ad Samaritanos miserunt, ut habetur Act. 8. — Quarto omnes sancti ipsum honoraverunt quia ad ejus transitum convenerunt. Et ideo totus mundus debet ipsum honorare, honore generali in quantum fuit apostolus, honore speciali in quantum fuit amicus, et honore singulari in quantum recubuit supra pectus Christi et fuit custos matris Dei deputatus.

Octavum privilegium est quod dedit ei mori secure. Unde sciendum est quod beatus Johannes mortuus est cum ferventi desiderio, cum magno merito, cum magno honore.

Digitized by Google

Primo mortuus est cum ferventi desiderio quia multum desiderabat gustare tam dulce convivium, unde ait: « Gratias ago tibi, Domine, quia dignatus es me ad tuas epulas invitare, sciens quia ex toto corde desiderabam te.» Secundo desiderabat videre tam dulcem amicum. Unde ait: « Odor tuus concupiscentias in me excitavit eternas. » Ps. 40: « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » Tertio desiderabat videre tam preciosum thesaurum, sc. virginem Mariam a Deo sibi recommandatam. Ibi enim habebat cor suum ubi erat thesaurus suus (Math. 6). Quarto desiderabat adjungi ad consortium angelorum, apostolorum, unde ait: « Suscipe me ut cum fratribus meis sim.» « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. » (Ps. 132)

Secundo mortuus est cum magno merito, nam mortuus est in abundantia dierum, quia tunc erat 1C annorum. Gen. 26: « Mortuus est Abraham in senectute bona, et plenus dierum. » Secundo mortuus est in abundantia meritorum quia in sua juventute Deo servire incepit, et usque ad etatem decrepitam perseveravit, tenens consilium Eccl.: « Mane semina semen tuum. » Tertio mortuus est in abundantia premiorum, habuit enim unam coronam in quantum virgo, aliam in quantum predicator, et aliam in quantum martir invictus.

Tertio mortuus est cum magno honore; unde ante mortem suam quinque diebus apparuit sibi Dominus Jesus dicens ei: « Veni, dilecte mi, quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis. » — Nota quomodo fecit fieri foveas in ecclesia, et terram projici extra, in quam intrans die dominica hora tertia flexis genibus, orans dixit, facto sermone caritatis discipulis: Domine, suscipe me ut cum fratribus meis sim, cum quibus veniens invitasti me. Princeps tenebrarum non me terreat. Aperi michi januam vite, et perduc me ad convivium epularum tuarum. Tu es enim Christus filius Dei vivi, qui precepto Patris mundum salvasti. Tibi gratias refero. — Et hiis dictis, tanta claritas circumfulsit eum quod fovea per horam videri non potuit, et post nichil de corpore inventum est, preter manna scaturiens de sepulcro. Et sic credi potest quod in corpore et anima beatus Johannes sit in paradiso.

Et nota quod omnes apostoli ad ejus transitum convenerunt. Figura Gen. 42: « Duodecim fratres sumus, minimus domi remansit, alius non est super. » Apostoli quidem duodecim fratres fuerunt. Unus, sc. Judas, non est frater. Minimus, sc. Johannes qui ceteris erat junior, adhuc in mundo remanserat. Et ideo ad ipsum deducendum omnes convenerunt. — Et sic finis.

Deo gratias.

Digitized by Google

Octava Innocentium

(Canevas autographe)

Ex Egypto vocavi filium meum.
(Mat. 2.)

Evangelium hodiernum continet duo : sc. mortem innocentium et fugam Christi : de qua nunc videnda sunt tria :

Quomodo fuit revelata divinitus ;

Quomodo fuit executa humanitus ;

Quomodo fuit revocata penitus. — De isto tertio dicitur thema : « Ex Egypto », etc.

De primo : « Ecce angelus Domini... ad perdendum eum. » (Mat. 2.) Occurrit hic duplex questio : prima quare in somnis facta est revelatio de re tam grandi ? — Responsio : quia divina revelatio requirit in homine quietam mentis recollectionem ; sicut in Vitis Patrum ostensum fuit per pelvim plenum aqua. Ps. 45 : « Vacate et videte », etc. — Joseph autem vigilando circa multa propter puerum et matrem sollicitabatur. Job. 33 : « Per somnium in visione noctis », etc. — Secunda quare hujusmodi revelatio non fuit facta beate Marie ? — Responsio : ad ostendendum principatum viri supra uxorem. Hester 1 : « Cuncte uxores... in domibus suis ». — Eph. 5 : « Mulieres viris suis subdite sint. »

De secundo : « Qui consurgens... secessit in Egyptum. » (Mat. 2.) — Considero quanta mutatio debuit esse in corde Virginis, subito referente Joseph sibi revelationem media nocte ; quanta sollicitudo ad fugiendum, quantusque timor in ipsa fuga : singulariter propter tria ; sed in singulis data est sibi consolatio a Deo. — Primo, considerando crudelitatem Egyptiorum ad pueros Hebreorum. (Exod. 1.) Sed arbor inclinando se ad virginem in via, et fons de radice scaturiens figuravit Egyptios sibi obsequuturos ex corde. Ps. 17 : « Populus quem non cognovi servivit mihi. » — Secundo, considerando eorum carnalitatem. Gen. 12 : « De uxore Abraham... » Sed secundum Hieronymum aspectus virginis fugabat affectum libidinis. » Eccl. 24 : « Ego quasi vitis », etc. — Tertio, considerando infidelitatem, quia erant pessimi idolatre. — Nota hic, secundum magistrum Historiarum, quomodo ad vaticinium Jeremie eos reprehendentis de ydolatria, fecerunt imaginem puelle pue-

Digitized by Google

rum gestantis quam secrete adorabant. Sed ingrediente Domino Egyptum omnia ydola corruerunt. Is. 19 : « Onus Egipti », etc.

De tertio : « Et erat ibi usque ad obitum Herodis », sc. per septem annos secundum magistrum Historiarum. « Defuncto autem Herode », etc. — Quare voluit fugere ? — Responsio est : ut nos instrueret, juxta illud Rom. 12 : « Non vos defendentes, carissimi », etc. — Quare per tantum tempus voluit exulari ? — Responsio : ut ab hujus mundi exilio septiformi propter septem etates et propter septem peccata, homines revocaret ad patriam. — Ose. 11 : « Sicut mane pertransit », etc.

Ce sermon est complet dans le ms de Valence, traité avec la naïveté ordinaire : nous le donnons en entier.

Octava Innocentium

(Manuscrit de Valence)

Ex Egypto vocavi filium meum.

Habetur verbum istud originaliter Mat. 2, et recitatum est in evangelio hodierno.

Ego de presenti teneor predicare quamdam materiam de qua vobis promisi predicare hodie, sc. de fuga Christi quando fugit in Egiptum propter Herodem ; et est materia multum devota, et si placet Deo utilis animabus. Sed ante omnia recurramus, etc.

De la fuida humili Christi tria puncta debeo declarare, et sunt ista :

Primo quomodo fuit *revelada divinalmente.*

Secundo quomodo fuit *executada humanalmente.*

Tertio quomodo fuit *revocada finalmente.* Et de ista revocatione quando reversus fuit Christus de Egipto loquitur thema.

Ad primum quomodo fuga Christi fuit revelata divinitus : nam quomodo potest fieri quod Christus qui stabat in terra promissionis ubi erat adoratus unus Deus, fugeret in terram infidelium, sc. Egiptum ubi erant idolatre idolos adorando ? Et ideo ista fuga Christi non debebat fieri (nisi) secundum revelationem divinalem, nam bene esset si quilibet vestrum haberet transcendere de hoc regno Castelle in Granatam, cognoscere etc. Et ideo fuit revelata, etc.; et ecce quomodo : nam cum Herodes scivisset quod Christus puer erat natus in Bethlem, et hoc sensisset quod Judei, licet propter metum ipsius non auderent

Digitized by Google

loqui palam, de nativitate Christi veri Mesyas, nam viderunt tot signa in nativitate sua, etc., inter se oculte dicebant : modo erit destructus Herodes, etc., qui perquirebat puerum perdere et occidere. Quare tunc angelus apparuit ut habetur in evangelio hodierno : « Ecce angelus Domini in somnis », etc. Et sic ecce modum, et formam quomodo fuga Christi fuit revelata divinitus per angelum.

Et modo hic veniunt due questiones, ex quibus extrahemus bonas moralitates. Et prima est ista : quare tam magna res et solemnis sicut ista, de revelatione fuge Christi de terra fidelium ad terram infidelium, fuit facta in somniis et non in vigilia, maxime cum somniis non debeamus dare fidem et credentiam, ut clare dicit sancta scriptura, Levi. 19 : « Non observabitis somnia. » Et concordat ut habetur, Deut. 18 : « Cave ne inveniatur in te quod somnia observes. » Ergo si non debemus somnia observare, quomodo tam solemnis res sicut revelatio divinalis fuit facta in somnis? — Et pro responsione sciatis quod in revelationibus divinalibus requiritur dispositio, sc. cor quietum et non turbatum de negotiis mundi, ut legimus in Vitis Patrum de tribus sociis, quorum unus elegit vitam solitariam in deserto ; et ibi habebat multas revelationes et consolationes, ideo quia habebat cor quietum et non turbatum sicut alii duo socii quia elegerunt stare intra gentes, sc. unus serviebat in hospitali, et alius ministrabat pauperibus, et ita habebant cor *dispergitum,* ut probavit per bacinum plenum aque socius qui stabat solitarius : ad quem accederunt videre alii duo socii, dicendo eis cum moverat aquam quod respicerent se in bacino, et si viderent se. Nihil viderunt, sed quieta aqua videbant figuram sue faciei. Ut in psalmo : « Vacate et videte quoniam ego sum Deus », etc. Et iste psalmus habet unum titulum, supra : psalmus Davidis. Et secundum Judeos et nos hic loquitur Deus et dicit : Vacate, sc. a negotiis, ad videndam humanitatem ipsius, quia ad videndum ipsum Deum non poterant multum vacare, quia philosophi cognoscebant unum Deum ; et ita ad credendum unum Deum non oportet multum vacare. Item quia dicit titulus : pro secretis ; et credere unum Deum non est secretum magnum, sed credere humanitatem in Deo et ideo vacare, sc. quia non solum sum homo sed etiam Deus. Et ideo Judei habent cor *dispergitum* in negotiis, qui non possunt habere revelationem ad illuminationem divinalem, et non vident veritatem salvationis. Et sic vacate.

Et ideo quia Joseph cor dispergitum habebat propter *ansiam* quam habebat de partu virginis, sciendo quod infans erat filius Dei, et quod Herodes querebat eum, etc. Item erat *fuster*, etc. Et ideo fuit facta revelatio in somnis Joseph, quia tunc habebat cor quietum. — Sed dicet aliquis : Quomodo cognoscetur quod sit revelatio divinalis vel

Digitized by Google

somnium ? — Et dico quod sicut per clarorem et originem solis cognoscitur certe si est dies, ita revelatio divinalis cognoscetur per illuminationem et confortationem quam dat et dimittit Deus. Sed quando est dubium, tunc non est revelatio divinalis. Et quod revelatio divinalis fiat in somnis ecce prophetiam Job. 39 : « In visione diuturna, etc., disciplinam ». Et sic habetis quare in somnis fuit facta.

Secunda questio : quare non fuit facta ista revelatio beate Marie sed magis Joseph ? nam in contrarium sunt due rationes, nam virgo Maria habebat cor quietum, et ideo facta fuit sibi revelatio conceptionis et incarnationis Christi per angelum non in somnis sed in vigilia : ergo magis sibi quam Joseph debebat fieri. — Item quia erat magis sancta et major in dignitate et in perfectionibus quam Joseph, nam erat *cambra* filii Dei, etc.; ergo magis sibi quam Joseph, etc. — Et dico quod licet virgo Maria esset major in dignitate et in omnibus perfectionibus, tamen voluit Deus dare exemplum mulieribus ut regimen domus sit virorum et non mulierum, quantumcunque magne domine sint, et viri minoris generis ; ut habetur. Ester. 1 : « Cuncte uxores tam majores, etc., suis. » Et dicit caput, nam sicut caput est supra omnia membra, ita vir supra uxores debet esse. Et ideo quia mutatio domus de uno regno in aliud est regimen mariti, fuit facta magis Joseph quam virgini Marie, nam si maritus vester vult mutare se de una villa in aliam stabitne ad regimen vestrum, si forte habet inimicos ? etc. — Ecce non, sed sequimini eum.

Et modo moraliter pro mulieribus, nam communiter quedam matres cum faciunt nuptias, in vigilia prima quando debent cubare, dant consilium *novie* ut recipiat dominium in marito, tunc cum amat eam, et quod postea semper erit supra eum, et gallina cantabit in domo et non gallus ; et istud consilium est pravum et iniquum, nam postmodum cum *amoretes* non erunt ita calide sicut primo anno, *basto* ibit per domum et ita semper vivent in *guerra ;* nam quod uxor velit mandare maritum est contra jus mariti, nam sibi dat jus naturale et legale et canonicum et divinum quod sit caput domus et uxoris, ut habetur ad Ephe. 5 : « Mulieres, subdite estote », etc. Et dicit « sicut Domino », non contra Dominum, nam uxores non debent obedire maritis in suis vanitatibus si forte sunt male nutriti, quia talem rem posset petere quod uxor debet esse martir antequam sibi consentiat ; et ideo dicit « sicut Domino » non contra Dominum. Et sic modo habetis istam partem completam, quomodo fuga Christi fuit revelata divinitus.

Ad secundum quomodo fuit fuga ista *executata humanaliter ;* et hanc executionem recitat evangelium, cum dicit quod consurgens accepit, etc. Et immaginetis, eam contemplando, quomodo facta revelatione per

Digitized by Google

angelum, Joseph surrexit festinanter, et subito conturbatus quod vix poterat *alenare;* et cum virgo Maria consuevisset consurgere media nocte ad contemplandum et orandum, secundum quod recitat beatus Hieronymus per illud verbum Davidis : « Media nocte surgebam », etc. faciebat orationem ad oratorium filii sui, qui licet secundum humanitatem dormiret, tamen secundum divinitatem vigilabat. Et Joseph accessit ad januam respiciendo si erat levata, et quiete tangebat ad januam ; et virgo sensit, et aperuit, et dixit : Quid vultis, pater ? Et tunc vix poterat loqui Joseph dicendo quod cito reciperet puerum, nam Herodes, etc. Et tunc, Joseph accessit ad *albardandum* asinum ; et cum interim virgo pararet puerum, et *raupam,* nam non erant cortine neque *cofies;* et cum virgo intraret et reciperet filium, orabat eum licet dormiret ut eos dirigeret. Et tunc Joseph accepit matrem et puerum nocte. Et eundo per civitatem virgo et Joseph timebant, et vix aperiebant aliquam januam. Et credatis rationabiliter quod comisserunt clavem alicui de vicinis, et ita recesserunt media nocte.

Et cum fuerunt extra civitatem beata Maria interrogavit Joseph si revelaverit sibi Deus quo haberent ire, et dixit quod in Egiptum. Et tunc virgo Maria recepit magnam tristitiam propter tres defectus qui erant in Egipto et gentibus suis : et sunt isti, sc. *crueldad, carnalidad* et *infidelidad;* sed licet propter ista tria virgo Maria esset desconsolata, tamen Deus eam consolavit in itinere, nam cum esset jam meridie posuerunt se sub quadam arbore ubi Deus fecit duo miracula : sc. quod arbor habens fructum inclinavit ramos in gremia virginis, et dedit ibi fontem ubi receperunt consolationem. Et tunc recepit consolationem virgo non solum propter servitium quod sumebat, sed etiam propter illud quod significabat, nam per humiliationem arboris intellexit quod crudelitas illorum humiliaretur, et per consolationem fontis quod ipsi cum consolatione reciperent eos, etc. Et hoc facit contra Judeos qui noluerunt Christum recipere, etc., nam tunc fuit adimpleta prophetia, ut habetur in psalmo : Diligam te, fortitudo, etc.: « Populus meus et filii alieni », etc.

Item habebant carnalitatem quia mulieres Egipti erant *informose* et mulieres terre promissionis erant pulchre ; et ita rex fecit preconium quod omnes mulieres terre promissionis que venirent in Egiptum presentarentur sibi. Et ideo hoc sciens virgo quod in Genesi habetur de Habraham de Sara, uxore sua, que erat pulchra, etc., erat tristis, sed rogavit Deum quod eam servaret sicut servavit Saram. Et tunc Deus dedit tantam gratiam virgini quod omnes Egiptiani videntes eam fiebant casti, in tantum quod sibi faciebant reverentiam, et nullam malam inclinationem habebant de luxuria, in tantum quod rex qui erat valde luxuriosus, cum virginem sibi non presentarent secundum preconium,

Digitized by Google

ipsemet rationabiliter cogitando venit ad eam; et cum vidisset eam salutavit eam, et nullam malam inclinationem habuit, sed imo jussit curialibus quod omnia quibus indigeret ministrarent ei, et facerent ei honorem. Et tunc virgo poterat dicere prophetiam, Eccl. 24: « Ego quasi vitis fructifera, etc., honestatis. » Et dicit « quasi vitis », nam dicunt naturales quod inter alias omnes flores flos vitis habet tantum bonum odorem quod nulla bestia *verinosa* potest durare in vinea, sed omnes fugiunt propter tantum odorem; et ita fugerunt inclinationes *verinose* luxurie, etc. Item dicit « honoris », quia honoraverunt eam, et dicit « honestatis », quia honeste receperunt eam, etc.

Item habebant infidelitatem, et contra hanc consolavit eam Dominus, licet sit crudelis res *partire* de terra fideli et accedere ad infidelem, sicut ire de Castella in Granadam. Et ecce quomodo ut dicit magister Historiarum scolasticharum: nam cum ipsi adorarent idolos, venit Hieremias in Egiptum et predicavit eis ut crederent et adorarent unum solum Deum, et ipsi responderunt quod non adorarent nisi oculis viderent quid adorabant; et tunc dixit eis: *pues que* ita vultis adorare ad oculum, dico vobis quod Deus recipiet carnem de una puella virgine, quem tunc adorarent ad oculum ipsum videndo; et dedit eis pro signo, quando nascetur Deus homo puer de virgine puella, quod omnes idoli rumperentur. Et tunc statim fecerunt imaginem virginis habentem puerum in brachiis. Et ideo quando Christus natus fuit in Bethlem, incontinenti idoli ceciderunt rupti et fracti in terra. Et tunc cognoverunt quod jam debebat puer esse natus de puella virgine. Et sic imago virginis cum staret *baxa* posuerunt eam altam ubi stabant idoli. Et interrogabant virginem et Joseph si audierant quod virgo peperisset puerum, etc.; et dicebant si erat ipsa? etc. et facientes mentionem de imagine quam tenebant, etc. Et credatis rationabiliter quod beata Maria voluit videre illam. Isa. 19 : « Onus Egipti, ecce Dominus ascendet... etc., contabescent. » Et nubes est humanitas nostra, nam sicut nubes elevatur de vaporibus terre, et statim cum sol aprehendit eam *es desfa,* ita nostra humanitas exterminabitur. Et dicit « leve », nam humanitatem quam habemus nos est multum onerosa per peccatum, sed humanitas Christi erat levis multum sine onere alicujus peccati, ut habetur prophetia, Isa. 53: « Iniquitatem non fecit », etc. Item erat levis alia ratione quia adhuc erat puer. — Et sic modo habetis quomodo fuit executa humanaliter ista fuga Christi.

Sed modo moraliter: et intrabimus in moralitatem per questionem an illi Egiptiani tenendo et adorando imaginem virginis cum puero salvarentur post mortem? nam dicunt multi Judei et etiam Christiani quod quilibet salvari potest in sua lege postquam certum non est que sit lex vera vel Judeorum vel christianorum, etc. — Et dico quod hoc

Digitized by Google

dicere est hereticum quod quilibet possit salvari in sua lege. Et pro solutione hujus questionis quero quodnam est majus et excellentius membrum, in toto corpore hominis? Et certum est quod intellectus secundum philosophum Aristotelem in libris *de anima,* dicens : major sive altissima potentia est intellectus. Et ideo qui dat cum pede patri suo peccat. Item qui alapam cum manu peccat. Item cum ore maledicendo sibi peccat ; sed magis peccat cum *se clucando* velo clausis oculis cum gladio occidit vel vulnerat patrem ; ita faciunt Judei qui per peccata velant et claudunt sibi oculos intellectus, qui non possunt videre veritatem legum, et ideo non excusantur sicut ille qui *se clucavit* cum velo et clausis oculis occidit patrem vel alium, vel se inebriavit multum, etc. Et ideo, Judei, si vultis quod Deus vos illuminet ut videatis veritatem salvationis, vivatis moraliter non faciendo peccata, nam multum estis iniqui et peccatores. Et ita tolletis ab oculis vestris velum peccatorum et ebrietatem. Et non dubitetis quod si facietis, in brevi videbitis salvationis veritatem. — Et juxta hoc computabo unum miraculum de Sarraceno qui moraliter vixit et fuit illuminatus, Job. 23 : « Cum expleverit in me voluntatem », etc. Sic Mich. 2 : « Nonne verba mea bona sunt ? etc. consurrexit ».— Et dicit « bona sunt », nam sapiunt bene dispositis non autem indispositis, nam si aliquis habet febrim non cognoscet saporem pretiose comestionis, sed si aliqui sunt dispositi bene cognoscent saporem et comedent ; ita qui non sunt dispositi propter peccata non sapiunt veritatem, sed dispositi per virtutes sapient, etc. Et ideo dicit « bona », etc.

Ad tertium quomodo fuit revocata ista fuga finaliter : nam dicit magister Scholasticarum quod septem annis extitit virgo Maria cum filio *desterrata,* sed post modum, septimo anno completo, angelus apparuit et dixit quod habetur Mat. 2 : « Ecce Angelus Domini, etc. pueri », etc. — Et ecce modo causa contemplandi. — Queritur virgo Maria et Joseph de quo vivebant ? — Et dico quod virgo Maria sustinebat omnes et se et Joseph, (nam licet *fuster* erat, tamen senex erat et jam non poterat laborare, et Christus parvulus de septem annis), cum oficiis suis et manibus, sc. suendo, texendo et *filando :* ex quo debent sumere exemplum mulieres, maxime juvenes, que se excusant a peccato luxurie in quo incidunt quod vivant de manibus suis ; et non dicant : et si ego non sum concubina talis vel talis, quis providebit mihi ? — Et dico quod Deus dedit vobis manus cum quibus si vultis, poteritis vobis providere sicut virgo Maria tribus personis *filando* et suendo et texendo ; imo potius debetis concidere manus que talia non faciunt, etc.

Sed modo venit hic una questio : Dicent modo Judei et Sarraceni : si Christus erat Deus, ut vos Christiani dicitis, quare fugit ab Herode ?

Digitized by Google

nunquid non poterat se defendere ? — Et dico quod sic, sed noluit quia non venit in hunc mundum superbus sed humilis. Item dando exemplum *locure* que nunc est in mundo : quod si aliquis homo stat ad suam januam et videt venire suum inimicum, quod intrat se in domum exemplo Christi qui fugit, et non exire obviam illi nec spectare, nam jam erit fugiens de uno leone vel stulto *(sic)* : quanto magis de illo qui est magis quam stultus !

Sed modo hic venit alia questio : quare voluit stare *desterratus* septem annis et non quinque vel sex ? — Et dico ideo quia septem sunt etates mundi terre promissionis eternalis, sc. de Adam usque ad Nohe, et de Noe usque ad Moysem, etc., et cum ista septima etas in qua nunc sumus erit completa, habebimus completam terram promissionis eternalis, sc. gloriam cum corporibus et animabus. Et ideo voluit esse desterratus septem annis completis. Ad hoc habetur prophetia Osee. 11 : « Sicut mane pertransit, etc., meum. » Et iste rex erat Christus. Et dicit « mane », nam sicut mane pertransit per calorem solis, ita Christus rex pertransit mane, sc. cum virgo peperit sine dolore et tristitia sed cum magno gaudio, sicut mane et alba inducit gaudium ; et pertransit cum calore id est persecutione Herodis, de Bethlem in Egiptum.

Et sic habetis modo declaratum quomodo ista fuga fuit revelata divinaliter, et executa humanaliter et revocata finaliter. Ergo : « Ex Egipto vocavi filium meum. » Et sic est adimpleta predicatio, etc.

On peut prendre dans le recueil imprimé l'exorde, bien que hors-d'œuvre, et la fin plus détaillée.

On remarquera que le texte *(thema)* n'est pas le même ; particularité assez rare.

In octava Innocentium

(Recueil imprimé)

Accipe puerum et matrem ejus, et fuge.
(Mat. 2.)

Pro declaratione hujus verbi, et introductione materie, recordor de uno notabili verbo beati Gregorii dicentis quod ad informandum homines in virtutibus plus proficiunt exempla, sc. opera visa, quam verbum. Nam major impressio fit in hominibus oculis videndo, quam auribus audiendo. Verbi gratia : De homicidio plus commovetur et turbatur ille qui vidit,

Digitized by Google

quam ille qui audivit. Idem de aliis. Ideo dicit quod melius est exemplum de visu quam de auditu. Exemplificetur etiam de magistro vitioso, qui docet discipulum ore de bonis moribus : plus puer informabitur exemplo ejus vite quam verbis sue doctrine. Ideo dicit Gregorius in quadam collecta : « Omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam quam lingua nostra loquitur etiam moribus vita fateatur. » Ideo Christus ut magister veniens ad informandum nos de virtutibus, non solum verbo voluit nos informare, sed etiam opere. Sicut pictor volens docere discipulum, non solum docet, sed exemplum in imagine opere ostendit. Ideo dicitur Actuum. I : « Cepit Jesus facere et docere. » — Ad propositum : Inter alias virtutes nobis necessarias est virtus prudentie in periculis vitandis, quia « periculis fluminum, periculis latronum », etc. (II, ad Cor. 11.) Et nisi esset magna necessitas, sc. propter honorem Dei, vel utilitatem proximi, homo vitando pericula debet fugere juxta dictum Christi : « Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. » (Mat. 10.) Et primo ostendit opere, fugiendo Herodis periculum, videns non esse necessitatem nec utilitatem mori puerum, fugit. Hoc dicit verbum thematis : « Accipe puerum et matrem ejus, et fuge. » In die veneris sancta non fugit, imo venit obviam eis dicens : « Quem queritis ? », etc. (Joan. 18), quia tunc mors sua erat utilis secundum suam et patris ordinationem. Patet thema.

Cum autem virgo intrasset per primam civitatem Egypti, que dicitur Heliopolis, invenit gentes plorantes, quia simulachra ceciderant, et confracta fuerunt. Et interrogabant virginem inde veniret : que respondit quod de terra promissionis. — Dicebant ei : Scitis vos quia virgo peperit ? quia tale signum fuerat ei datum a Hieremia, quod quando illa virgo pareret, simulachra corruerent. — Credo quod virgo voluit videre illam imaginem puelle, etc., dicens quod non adorarent eam, sed Deum in imagine representatum. — Et qualis consolatio fuit ista virgini Marie ! et poterat dicere : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tue letificaverunt animam meam. » O si cognovissent eam ! — Moraliter hic pro rusticis, ne credant se adorare imagines, sed Christum.

Quantum ad tertium, virgo Maria de manibus consuit, filavit, texuit, providebat sibi, et filio, et Joseph. — Dicatur quomodo per filium mittebat capitia vel camisias ad domum cujus erant. Angeli providissent sibi, sed noluit. Ad hoc proprie iste est textus : « Consideravit semitas domus sue », sc. paupertatis et humilitatis, « et panem ociosa non comedit ». (Proverb. ult.)

Moraliter mulieres habent hic exemplum et doctrinam, quia multe

Digitized by Google

consentiunt peccato ex paupertate. Nunquid habetis manus? etc. — Ideo apostolus: « Rogamus autem vos, fratres, ut operemini manibus vestris, et honeste ambuletis.» (1, Thessal. 4.) — Nota quod regula est juristarum, quod ubicunque dicit papa : « precipimus », obligat sub pena peccati mortalis, non autem cum dicit : « mandamus ».

Secunda questio est, quare Christus voluit stare septem annis in Egypto, nec plus, nec minus, quia quicquid faciebat Christus, erat mysterium. — Responsio quod triplici de causa.

Prima anagogica.

Secunda allegorica.

Tertia tropologica.

1° : Propter quam rationem filius Dei, virgo et Joseph fuerunt in Egypto septem annis corporaliter, sed quantum ad animas erant in terra promissionis, etc.

Secunda allegorica, Egyptus significans tenebras, signat quod sicut Christus septem annis fuit in Egypto, et post Angelus apparuit, et reversus est in terram promissionis, sic peccatores septem annis, id est, ex septem peccatis sunt in Egypto, id est in tenebris peccatorum. Superbia est una tenebra, quia non vident periculum in quo sunt ; et sic de aliis. Autoritas : « Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. » (Psal. 81.) Et loquitur de peccatoribus. — Sed revertuntur ad terram Israel, id est lucis, quando venit angelus, id est contritio cordis de peccatis.

Tertia est tropologica. Conclusio est sanctorum doctorum, quod pro quolibet peccato mortali homo obligatur Deo in septem annis de penitentia in hoc mundo, vel restat in purgatorio. Ratio, quia in quolibet peccato mortali fit contra septem dona Spiritus sancti. Sed qualitas penitentie est arbitraria. Ideo Christus voluit stare septem annis in Egypto, id est angustia, ostendens quod septem annis convenit stare in angustia penitentie, et post hoc homo est liber a penis.

« Cum completi fuerint septem anni. » — « Dimittat unusquisque fratrem suum hebreum, id est, penitentem, qui venditus est ei », sc. diabolo, a peccatis. (Hierem. 34.) — Transit peccator de culpa ad gratiam per penitentiam.

Digitized by Google

De Innocentibus

(Manuscrit de Toulouse)

Quomodo salvi facti sunt?
(1. Mach. 4.)
Vel : *Quomodo sunt ante tronum Dei?*
(Apoc. 14.)

Pro declaratione hujus verbi est sciendum quod intellectus hominis est talis conditionis quod quando audit vel videt aliquid mirabile, factum miratur donec videt rationem. Et istud vobis declarabo per philosophiam et per sanctam theologiam.

Primo per philosophiam sic : quia quando eclipsis solis vel lune fit, simplices mirantur, et vos, layci. Et quare hoc? — Certe quia nescitis causam nec rationem, sed philosophi et magni clerici de hoc non mirantur quia sciunt causam, videlicet quod illa eclipsis fit per conjunctionem solis et lune, vel interpositionem terre inter solem et lunam. Tamen antequam scirent causam mirabantur et querebant rationem. Unde dicit philosophus quod propter admirari philosophi inceperunt philosophari, id est rationem investigare, quia videbant nova et inusitata. Idem de terremotu qui causatur per inclusionem ventorum infra terram. Et sic habita ratione, intellectus hominis quiescit.

Secundo hoc ostenditur per theologiam. Unde legitur de Nicodemo quod fuit admiratus quando audivit a Christo : « Amen, amen dico tibi : nisi quis renatus fuerit denuo », etc., et renasci? — Respondit Jesus : « Amen, amen dico tibi : nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire regnum Dei. » Ideo non mireris quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuo. Item legitur quod Judei mirabantur de Christo quando incepit predicare, scientes quod non studuerat nec habuerat magistrum. Unde dicit textus : « Venit Jesus in templum, et docebat ; et mirabantur Judei dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? » (Joan. 7.) Item Judei, audita manducatione corporis Christi, stupebant dicentes : « Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum? » (Joan. 6.) Item beata virgo, auditis novis de incarnatione filii Dei, admirata, dixit : « Quomodo fiet istud? » (Luc. 1.) Patet ergo regula quod de re nova et mirabili et inusitata intellectus noster miratur quousque scit rationem. Nunc hec pro tanto dixi.

Sacra scriptura videns quod sancta mater Ecclesia facit festum de morte sanctorum Innocentium et salvatione eorumdem, facit questionem et movet dubium, sc. quomodo salvi facti sunt? Vel quomodo sunt ante tronum Dei? Maxime cum non fecerint aliqua opera virtuosa, nec susceperint martirium amore Christi, imo contra voluntatem suam et parentum

Digitized by Google

suorum. Dicit ergo scriptura : qua fide, qua ratione, quibus operibus et meritis, vel quomodo salvi facti sunt? Et est sciendum quod multe rationes et auctoritates sacre scripture reddunt istam rationem difficilem.

Primo propheta Joël dicit in secundo capite, quod « quicumque non invocaverit nomen Domini salvus erit » : ergo a contrario sensu, quicumque non invocaverit nomen Domini, non salvus erit. Sed isti innocentes non invocaverunt nomen Domini quia loqui nescierunt, ergo quomodo salvi facti sunt? Item Christus dicit, Math. ultimo : « Qui crediderit et baptizatus fuerit... condempnabitur. » Sed isti non crediderunt quia pro tunc non habebant intellectum nec baptizati sunt, ergo quomodo, etc.? Item Math. 10, dicitur : « Qui perseveraverit usque in finem », etc., ex qua auctoritate habentur due leges : una est quod qui in fine est bonus salvabitur ; alia est ex contrario quod qui non est bonus in fine non salvabitur, imo condempnabitur. Sed innocentes isti erant mali quia concepti in peccato originali, et in fine fuerunt mali quia non fuerunt baptizati ; ergo quomodo, etc.? — Item Christus dicit, Math. 20 : « Multi sunt vocati », etc. Pauci salvantur quia dicitur, 1 Pet. 3. « Pauci, id est octo anime salve facte sunt in diluvio. » Et Bernardus dicit quod vix de quatuor animabus una salvatur. Cum igitur isti innocentes non fuerint pauci, quia 44.000, ergo quomodo? Item sine caritate nullus potest salvari, teste apostolo 1, Cor. 13 : Sed isti fuerunt sine amore, nam Deum non dilexerunt nec cognoverunt, nec parentes dilexerunt neque cognoverunt, quia parvuli, ut dicit philosophus, vocant omnes homines patres et omnes mulieres matres. Item non dilexerunt nutrices quia pluries mamillas eorum momorderunt ; cum igitur isti innocentes non dilexerunt Deum, nec parentes aut nutrices, quomodo ergo? etc. — Item arbores sine floribus, foliis et fructibus non debent nec merentur salvari, sed in ignem mitti, dicente Christo, Math. 7 : « Omnis arbor », etc. Unde Christus propter defectum fructus maledixit ficulnee. Sed isti innocentes fuerunt sine floribus bonarum cogitationum, sine foliis verborum utilium, et sine fructibus bonorum operum, ergo quomodo? — Item in lege veteri continetur quod parvuli in fide parentum salvabantur, ut dicitur a magistro : sed isti fuerunt filii patrum et matrum Judeorum infidelium, et non fuerunt boni, ergo... — Item quidam sanctorum salvantur ut confessores, sed isti non fuerunt confessores confitentes fidem Christi, quia adhuc nesciebant loqui. — Item alii salvantur ut apostoli, sed isti non fuerunt apostoli quia non fuerunt nisi 12 apostoli, et isti fuerunt 44.000. — Item alii salvantur tanquam discipuli, sed isti non fuerunt discipuli quia sine intellectu, et nondum fuerant in scola. Item aliqui salvantur propter penitentiam, ut beatus Nicholaus quia quarta et sexta feria semel tantum ubera sugebat, sed isti nullam penitentiam egerunt. Item non

Digitized by Google

debuerunt salvari ut virgines quia non fuerunt temptati nec inclinati ad illas tentationes, nec diabolo instigati, nec a potu vel cibo, nec per visum vel auditum, etc. — Item non debent salvari tanquam martires, quia licet sustinuerint martirium et mortem, pati penam sine patientia non salvat homines; cum ergo isti non habuerunt patientiam, imo fuerunt impatientes quia ploraverunt et clamaverunt, ergo... — Item non debuerunt salvari ut angeli quia carnei fuerunt. Item isti nichil boni fecerunt, imo multa mala, quia matres afflixerunt post conceptionem, in nativitate, mamillas momorderunt, ipsas matres inquietaverunt et peccare fecerunt, eas provocantes ad male dicendum, et impedientes a bonis operibus, ut ab oratione et jejunio, etc.: ergo quomodo? — Respondeo quod innocentes fuerunt salvati quatuor rationibus.

Primo *per la misericordia de Diu e per la sua pietat.*
Secundo *car infants innocents son estats atrobats.*
Tertio *car son estats circoncisis he mays batezats.*
Quarto *car per Jesu Crist son estats morts he martirizats.*

Dico primo quod sancti Innocentes salvi facti sunt per pietatem Dei et misericordiam. Et non solum isti parvuli, imo dico tibi quod nulla creatura, quantumcumque sit bona, potest salvari sine misericordia Dei; imo sine adjutorio misericordie Dei, periisset omnis creatura humana. De hoc habemus signum, Gen. 7, ubi legitur quod in diluvio generali totus mundus periisset, si una archa non subvenisset, in qua octo anime salve fuerunt. Per istam archam Dei misericordia intelligitur per quam circumdamur et salvemur, juxta illud Thim. 3 : « Secundum suam misericordiam salvos nos facit. » Unde dicit sanctus Thomas : nullus de condigno meretur habere gloriam paradisi. Ubi nota quod Deus ostendit nos velle salvari per suam misericordiam expectando ad conversionem et penitentiam. Et ista misericordia est maxima. Patet exemplo judicis qui latronem homicidam facto processu et informatione condempnasset, qui cum ministri volunt sententiam adimplere, dicit : Oh ! expectemus adhuc quia forte convertetur. Et in crastinum facit pejus, et judex expectat per annum. Numquid de tali dicetur quod bene vult salvare illum sua misericordia? — Certe ita. Sic Deus expectat per suam misericordiam non solum per annum, imo per 10, 20, 30, 40, 50. Et tamen processus est factus contra nos et informatio. Unde statim quod peccatum factum est scribitur in libro divine justitie. Auctoritas ps. 38 : « Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo, sc. divine justitie, omnes, sc. defectus mei scribentur ». Et etiam sententia data est contra nos : auctoritas trium notariorum. Primus est Ezech. 8 : « Anima que peccaverit ipsa morietur. » Secundus est Paulus, Rom. 6 : « Stipendia peccati mors. » Tertius Jacobus 1 : « Peccatum cum consummatum

Digitized by Google

fuerit generat mortem. » Et tamen Deus cum toto hoc per suam misericordiam nos expectat de die in diem, et non vult facere vindictam. Imo quando angeli dicunt : Domine, iste peccator non vult se emendare, vultis quod eum occidamus et reddamus ei quod male egit ? — Non ! dicit Christus : « Nolo mortem peccatoris », etc. Ergo postquam non possumus salvari sine misericordia Dei, velimus eam recognoscere emendando nos bona hora, juxta illud Eccl. 5 : « Ne tardes converti », etc. Et sic patet quomodo nos salvamur per misericordiam Dei ; et etiam innocentes, quia si nos qui Deum offendimus per misericordiam salvamur, quanto magis isti qui contra ipsum nichil egerunt, licet bona opera non fecerunt.

Dico secundo quod salvi facti sunt, quia pueri innocentes fuerunt reperti. Nam David querit a Deo, Ps. 23 : « Domine, quis ascendet », etc. — Et respondet : « Innocens manibus et mundo corde. » Ubi est notandum quod quatuor conditiones personarum ascendent in paradisum : primo *infants tots innocents ;* secundo peccatores vere *penitents ;* tertio persone plene *obedients ;* quarto tribulati bene *patients.*

Dico 1° quod parvuli *tots innocents* in corde, in ore, in oculis, in naribus, in gula, et in toto corpore, statim quando moriuntur habent gloriam paradisi. Ps. 83 : « Gratiam et gloriam dabit Dominus », etc. — Sed diceret aliquis : Frater, quomodo vocatis vos illos parvulos *tots innocents ?* He ! numquid persona que infert malum, tristitias et pericula et tedia parentibus, quia non permittit eos dormire quia plorat et clamat, et dat multas tribulationes, est *de tot innocent ?* — Dico quod tales sunt innocentes totaliter, nec de predictis habent culpam. Dico tibi quod quia Eva peccavit contra Dei preceptum per fructum arboris, ideo Deus punit eam et omnes filias ejus in fructu ventris sui, sc. cum dolore portent, cum dolore pariant et cum tedio nutriant.

Dico 2° quod ascendunt in montem Domini peccatores vere penitentes. Hoc tangit nos adultos qui jam perdidimus innocentiam baptismalem propter peccata, et ideo non possumus intrare paradisum ; sed oportet nos intrare per penitentiam. David : « et mundo corde ». Ubi nota quod per munditiam cordis intelligitur penitentia duplici ratione. Prima ratio est quod cor est ut fons a quo multi rivi procedunt, sc. potentiarum et sensuum. Unde datur intelligi quod penitentia non solum mundat cor, sed omnes potentias anime, sc. intellectum ab errore infidelitatis, false opinionis, et malis suspicionibus ; voluntatem a malis desideriis, odiis, etc.; quia omnia mala procedunt a corde (Math. 16). Ideo si sit cor mundum, et omnes sensus erunt mundi. Unde Prov. 4 : « Omni custodia serva cor tuum », etc. — Secunda ratio est quia, licet sint multa opera penitentialia, tamen radix et principium penitentie est cordis contritio. Ubi

Digitized by Google

nota : Quando anima penitentis venit ad judicium et accusatur a demonibus, Christus dicit : Nonne audis in quantis te accusant ? — Et anima dicit : Domine, verum est quia illa feci, sed usa fui medicinis quas ordinastis, nam si habui malas cogitationes, habui etiam contritionem ; si peccavi ore, confessus sum ; si oculis, flevi. « Feci judicium et justitiam, non tradas me calumniantibus me. » (Ps. 118.)

3° quod ascendent in celum persone obedientes que in omnibus recipiunt Dei voluntatem et ordinationem. David : « Qui non accepit in vanum animam suam. » Ille dicitur accepisse animam suam qui non facit illa ad que Deus ordinavit. Nunc videamur quare Deus dedit tibi animam cum tribus potentiis : memoria ut memoreris de beneficiis, sc. de bonis nature, gratia et fortune, quia non fecit te bestiam, asinum aut lapidem, sed ad imaginem et similitudinem suam. Item intellectum ut eum cognoscamus et gratias agamus. Item corpus ut cum ipso faciamus fructus penitentie de quibus vivamus eternaliter. Item presentem vitam ut possimus lucrari merita per bona opera. Unde qui vivit ociosus in vanum accepit vitam suam. Exemplum de illo qui vadit ad nundinas, et nihil facit nec lucratur. Ideo laborare in bonis operibus, ad quod hortatur apostolus, II Cor. 6 : « Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. »

4° tribulati bene patientes : quando quis propter adversitates et persecutiones non murmurat contra Deum, imo patienter sustinet, sperans quod in alio mundo erit sine dolore. Vel « qui non jurat in dolo proximo suo ». Ille est qui aliter facturus est quam promisit. Proximus iste est Christus per excellentiam, quia huic facimus promissionem et juramentum in baptismo quando dicitur in introitu ecclesie : « Quid petis ? — Fidem Christi. — Ergo abrenuncia Sathane. — Abrenuncio. » Hoc est quasi juramentum de quo David : « Juravi et statui custodire judicia justitie tue. » Que sunt ut in hoc mundo sustineamus patienter tribulationes ut mereamur habere gloriam.

Tertio dico quod innocentes sunt salvati quia circumcisi et baptizati. Ubi nota quod illo tunc valebat circumcisio sicut nunc baptismus, nam delebat peccatum originale. Item fuerunt baptizati. Ubi est sciendum quod triplex est baptismus. Primus est flammis, id est Spiritus Sancti, quo apostoli baptizati fuerunt in die penthecostes. Secundus est fluminis quo nunc utuntur fideles ; et isto fuerunt baptizati apostoli et Virgo Maria a Christo, et Christus a Johanne. Tertius est sanguinis quo fuerunt baptizati isti sancti innocentes et quam plurimi martires. Nunc constat quod majus est baptizari sanguine quam aqua. Igitur si aqua salvat pueros, multo magis sanguis. Et ideo ait Chrisostomus : « Herodes non tantum prodesse parvulis potuit obsequio quantum profuit supplicio. »

Digitized by Google

Quarto dico quod sancti innocentes salvi facti sunt quia martirizati. Ubi notandum quod Herodes videns quod illusus esset a Magis, etc.

Et ici tout le récit évangélique.

J'ai abrégé la fin de ce sermon, ne conservant que ce qui avait quelque intérêt, ou plutôt quelque originalité, mais toujours sans altérer autrement le texte.

Digitized by Google

De beato Antonio

(Canevas autographe)

Certamen dedit illi, ut vinceret.
(Sap. 10 et in epist.)

Beato Antonio dedit gratiam Deus in triplici certamine forti, ut tandem victor esset gloriosus.

Primum contra mundum desipientem.

Secundum contra carnem inficientem.

Tertium contra hostem dejicientem.

De primo : mundus pugnat contra hominem quasi ursus in via, qui ostendit se velle amplexari, et osculari hominem, et constringendo interficit et devorat. 1. Joan. 5 : « Scimus quia ex Deo sumus, et mundus totus », etc. Sed beatus Antonius ipsum vicit, ejus brachia (duo brachia sunt prosperitas et adversitas temporalis, vel divitie et honores) sc. divitias naturales et artificiales rumpendo per apostolicam paupertatem. — Nota de vita sua ad propositum.

De secundo : Caro pugnat contra nos quasi serpens in silentio. Prov. 23 : « Ingreditur blande », etc. — Sed beatus Antonius vicit eam, ipsius venenum a se expellendo per tyriacam abstinentie et penitentialis afflictionis. — Nota de vita ejus.

De tertio : Dyabolus pugnat quasi leo insiliens violenter supra predam. Ps. 7 : « Susceperunt me sicut leo », etc. — 1. Pet. 5 : « Adversarius vester dyabolus », etc. — Sed vicit eum beatus Antonius fortiter resistendo. Patet in vita sua. — Sic ergo victor gloriosus migravit in celum.

In Festo sancti Antonii, abbatis

(Manuscrit de Valence)

Certamen forte dedit illi, ut vinceret.
(Sap. 10.)

Officium totum hodiernum sancta Mater Ecclesia facit de beato Antonio, confessore glorioso, et amico Dei, et similiter nostra predicatio tota erit de vita sua virtuosa : ex qua poterimus recipere multas

Digitized by Google

bonas doctrinas pro nostra vita. Sed ante omnia recurramus ad Virginem, dicendo : Ave Maria.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret.
(Sap. 10.)

Pro introductione et delectatione, sciatis quod ille sanctus homo Job volens declarare nobis que sit vita hominis in hoc mundo, dicit ut habetur, Cap. 7 : « Militia est vita, etc... dies ejus. » Et sic vita hominis est sicut quedam militia, ideo quia habemus nos defendere in presenti vita contra tres inimicos capitales qui bellant contra nos.

Primo, habemus defendere contra demonem qui bellat contra nos per multas tentationes.

Secundo, contra mundum, qui bellat contra nos per magnas occasiones.

Tertio, contra carnem, que bellat contra nos per malas inclinationes.

Et dicit quod est vita hominis « sicut dies mercenarii » ; nam sicut mercenarius in fine operis sui habet salarium, id est mercedem ; ita homines bellando fortiter contra demonum tentationes et contra mundi occasiones, et contra carnis inclinationes, in fine operis istius belli per mortem, Deus dabit mercedem in gloria multam. Et per contrarium, si non bellamus fortiter et vincamur dabit penam infernalem perpetuam. Et isti tres inimici habent tres modos bellandi in hoc mundo.

Primo, Mundus bellat contra nos fraudulenter.

Secundo, Caro bellat contra nos secrete.

Tertio, Demon bellat contra nos violenter.

Et contra omnes istas formas decipiendi et bellandi beatus Antonius vicit fortiter. Et ideo dicit de ipso thema : « Certamen forte », etc...

Ad primum : Quod mundus tentat et bellat contra nos fraudulenter. Nam ostendendo nobis faciem hilarem et risibilem decipit homines. Nam sicut ursus, qui vult devorare aliquem *parat (stat)*, sc. in medio itineris extendendo brachia, quasi velit te amplexare ; et ridet, tibi ostendendo dentes, et si recipit te stringet tibi costas et occidet te ; ita mundus ostendit tibi brachia ampla, sc. dexterum prosperitatem, et sinistrum, sc. adversitatem. Et cum istis duobus brachiis, fraudulenter multos devorat, et vincit, quod non permittit eos *alendare (respirare)* supra ad Deum, sed infra ad mundum. Nam cum brachio prosperitatum recipit te ad se ducendo, et postea cum alio adversitatum coadjuvat restringendo et facit damnare, ut habetur, 1. Joan. : « Scimus quoniam ex Deo, etc... positus est. »

Sed contra istud bellum et deceptionem mundi, beatus Antonius vicit fortiter. Et ecce quomodo in vita sua apparet. Nam cum ipse

Digitized by Google

esset parentum, qui nutrierunt eum quando fuit parvulus multum notabiliter, quod non diceret mendacium, etc. (Nam filii dum sunt parvuli debent nutriri sicut *napi;* cum sunt parvuli possunt directari et duplicari, non autem dum sunt facti magni, etc.) Et ideo cum beatus Antonius factus fuisset decem et octo, vel viginti annorum, mortui fuerunt parentes ejus. Et tunc mundus statim cepit bellare contra eum cum dextero brachio, sc. prosperitate sibi relicta de bonis, et quod cum illis posset nubere cum filia magni nobilis, etc. Et ideo Augustinus : « Duplicem aciem atrahit et perducit mundus adversus milites Christi, etc... terreat adversitate. » Et dicit : « Duplicem aciem », id est duas deceptiones. Ergo « certamen forte dedit ei, ut vinceret ».

Et modo moraliter : contra vos mundus pugnat per ista duo brachia ; et pugnat per brachium prosperitatis, quando facit vos frangere diem Domini, cum et festum propter adquisitionem temporalem, in quo debet prosperari spiritualiter, nam aliis diebus laboratis temporaliter. Et ideo caveatis ut per istud brachium non decipiat vos mundus, sc. tenendo feriam et forum et operatoria aperta, nec *albardare (strare)* die festivo et maxime notorie, hoc non debet tolerari, quia communitas destruetur per iram Dei. Et ideo sanctificate diem festum et dominicum ut quiescatis a labore temporali.

Et ideo, rectores communitatum, si vultis evitare iram Dei super communitatem, non permittatis notorie frangi diem dominicum et festum ; sed cum bona pena evitare per vestras ordinationes ; alias Deus vastabit omnes fructus terre, ut habetur Malach. 3 : « Et in penuria vos, maledicti, etc. gens tota. »

Et similiter multos vincit mundus per aliud brachium sinistrum, sc. adversitatum, sc. infirmitatum et tribulationum et dolorum, etc. Et vincit vos, cum pro sanitate recipienda acceditis ad adivinos et ad adivinas et conjurationes ; qui omnia faciunt cum incantationibus demonum. Et ita vincit vos per adversitatem infirmitatis. Et ideo, si vultis sibi frangere istud brachium in infirmitatibus vestris, recurratis pro salute ad Deum, rogando ipsum ut det tibi sanitatem ; item, faciendo cum nomine Jesu et signo crucis cum devotione super infirmitatem, vel dolorem, vel vulnus. Et nos dubitetis, si cum devotione facitis et suaviter, quod habebitis in brevi sanitatem, etc. Item, si amisisti rem aliquam, non recurras ad adivinos, etc., sed ad Deum, ut ponat in cor illius qui tenet, ut restituat. Et ideo, rectores istius communitatis, provideatis ut notorii adivini non sustineantur : quia audio quod hic est quedam judea adivina, et conjuradora. Et ideo cum bona pena puniatis eos, si vultis ut ira Dei non veniat super vos. Ad hoc habetur, Levetici, 20 : « Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, etc., super illos ». Et sicut

Digitized by Google

beatus Antonius vicit mundum, frangendo sibi utraque brachia; ita vos, etc. Et tunc poterit dici de quolibet vestrum sicut de beato Antonio, verbum thematis : « Certamen forte, etc., vinceret ».

Ad secundum bellum : « Quod caro pugnat secrete ». Et bene est forte certamen contra nos istud : nam inimicus vadit semper cum homine et comedit et dormit ; et bellat in stricto loco, sc. intra corpus cujuslibet. Et caro pugnat secrete et absconse, sicut serpens quem homo non sentit, nisi cum *fisatur* (1) *(leditur)*. Ita caro, nam priusquam te recordaberis non sentiens, te fisabit *(ledet)*, et invenabit te : sc. primo, respiciendo pulchritudinem mulieris, dicendo : O ! postquam ego non concupiscam eam quod peccatum est respicere faciem mulieris ? — Certe non est peccatum, quasi dicendo : Domine, delectabor in factura tua. — Et ita de modico in modicum intrat tentatio carnis quod deliberat eam habere, et sic remanet invenenatus. Et idem tangendo manus, et loquendo et salutando et osculando. Ad hoc habetur Proverb. 23 : « Ingreditur blande, etc. sicut regulus venena diffundet. » Et dicit *regulus*, nam ceteri serpentes non venenant nisi mordeant : sed basiliscus etiam videndo venenat et occidit, et ita in oculis habet venenum. Et ita caro, videndo venenat, et occidit animam. Et isto modo fuit invenenatus David videndo Bersabe nudam et albam, et finaliter peccavit cum ea, et fecit occidere maritum suum. Et sic videndo, caro occidit sicut basiliscus.

Et ideo beatus Antonius vicit istum inimicum, et serpentem carnis, cum tiriaca penitentie, sc. abstinentie et afflictionis. Nam cum habuisset tentationes carnis imaginando in cella mulieres quas viderat in mundo, recipiebat tiriacam, sc. jejunando multum fortiter quod transibant tres dies quod nihil comedebat, et quando comedebat, solum panem et aquam ; et diebus dominicis panem et aquam et modicum salis. Item : in corpore induendo, affligebat carnem, induendo fortiter cilicium ad carnem et disciplinando se sepe, et ita vincebat serpentem carnis cum iriaca penitentie. Ergo « certamen forte dedit illi, ut vinceret. »

Et ideo (moraliter) apparet fatuitas multorum, qui dicunt : O ! ego sum talis complexionis calide, quod non possem esse castus, etc. Sed dico ego, quod si vos amoveatis la *cevada (hordeum)* asino vestro, eritis casti omnes, tam religiosi, quam presbyteri, non comedendo, nec bibendo nimis. Ad hoc habetur, 1. Corinth. 9 : « Castigo corpus meum, etc., reprobus efficiar. » Et ideo cum ego video aliquos homines pingues et robustos bene proportionatos in brachiis, habeo magnum dolorem in me, quia malam bestiam equitant. Et ideo ex hoc sequitur, quod

(1) Cette expression est restée dans la langue d'oc ; on dit : une guêpe m'a fissé.

Digitized by Google

multi non sunt contenti sua uxore, sed etiam faciunt ut teneant duas et tres concubinas ; quia non faciunt nisi *tragare (devorare)* et inglutire. Et ideo si mulieres haberent vim quam habent in lingua, in brachiis, possent *desafiare (provocare : défier)* maritum ad campum, propter fidem fractam, etc. Et ideo si peccatum luxurie est notorium, vos rectores communitatis, per ordinationem penalem provideatis ut non sustineatur notoria luxuria, nisi in lupanari, quod est ad remedium secundum Augustinum, non in laqueum ; sicut est tenere *(meretricem)* in diversorio, in quo veniunt religiosi et presbyteri, et Sarraceni, et mercatores, et filii eorum ; et omnes propter opportunitatem, peccant cum illa. Et ita totum peccatum est super caput stabularii et rectorum communitatis, qui non provident. Et ira Dei est super communitatem, etc. Et ideo consulo quod faciatis ita preconium publicum, ut nulla *putana* publica habitet in villa, nisi in lupanari. Et ita sequitur ex hoc, quod nulla putana notoria stabit in diversorio, neque in domibus presbyterorum.

Et ita hic respondeo cuidam questioni mihi facte : « An licitum sit audire missam de clerico concubinario, vel sit peccatum ? » — Et dico quod peccatis, quia potestis corrigere peccatum et non corrigitis : quia omnes putane et mulieres sunt de vestra juridictione, licet presbyteri non sint de vestra juridictione. Et non debetis ipsos nominare in preconisatione; sed debent puniri a suis prelatis. Et ideo non velitis vos damnare, sicut prelati non corrigentes peccatum clericorum, etc. Et si dicitis : si poteritis capere putanam clerici in domo presbyteri ? — Dico, quod sic : nam domus clerici non est privilegiata, sed persona. Et sicut dixi, quod putane debent esse *apartate ;* ita Judei in certa parte ville. Et ita localiter debent separari. Item, personaliter a participatione et communicatione ipsorum, christiani abstineant, ut non intrent Juderiam, neque ad ponendum eis ignem in suis ollis, neque ad nutriendum filios Judeorum. Item, quod Judei non sint officiales inter christianos, neque physici, neque apothecarii *(pharmacopole)*, etc. Et ideo, rectores, provideatis ut stent apartati Judei, et tandem, quod nullus injuriet eos ; alias rex et regina petent a vobis, si malum recipient, etc.

« Tertium bellum quod habemus est cum demone », qui bellat violenter contra nos ; nam sicut leo stat expectando ad obviam, et cum videt agnum, vel ovem, vel aliam predam, violenter capit et onerat se cum ea, ita facit demon ; nam cum persona stat in orationibus, venit tentatio demonis, et onerat se ea quod nullum placitum, neque desiderium habebit in orando et bene faciendo. Et ideo habetur, 1, Pet. 5 : « Adversarius vester diabolus tanquam leo, etc., fortes in fide ».

Et contra hoc bellum demonis vicit beatus Antonius. Et ecce quomodo. Nam cum staret solus in sua cella, apparuit ei quidam demon

Digitized by Google

et multi alii cum eo, dicentes : Antoni, exeas et relinque nobis montem, nam nostrum est, et vade ad villam a qua existi. Et respondit beatus Antonius quod nolebat exire, imo ibi stare. Et tunc ingressi sunt demones et paliaverunt *(percusserunt)* eum cum fustibus, et ipse dicebat : Jesus ! et dimiserunt eum ibi in terra quasi mortuum. Et cum quidam bonus homo venisset per illas partes, ingressus cellam reperit beatum Antonium, credens ipsum esse mortuum ; et portavit eum ad domum suam, ut faceret eum sepelire. Et cum illa nocte vigilaretur per multos et mulieres, cum dormirent, bono modo cum silentio recessit et rediit ad cellam. Et cum fuit ibi, clamavit demonibus dicendo : Demones, venite si estis fortes, quia in campo sum ; nam non credatis me *desamparare* campum. Et tunc, ecce demones qui intrant per cellam in forma bestiarum, et unus ut bos feriendo eum cum cornibus. Et ipse dicebat : Jesus ! Et alius ut leo *raspando (lacerando)* eum. Et alius ut lupus, mordendo eum. Et alius ut ursus lacerando eum in terra ; et semper dicebat : Jesus ! Et stando sic, ipse vidit magnum clarorem intrantem in cellam, et cogitavit quod erat Jesus ; et dixit : O bone Jesu ! et ubi eras ? Et respondit Jesus Christus sibi, ut habetur in vita : Antoni, hic eram, sed expectabam certamen tuum. Et tunc incontinenti sanus surrexit, quasi si numquam aliquid sustinuisset : ergo « certamen forte, etc. vinceret. » Et post certamen istud, gavisus migravit ad gloriam ; sicut miles vincens bellum gavisus accedit ad palatium regis.

Et modo moraliter. Bona gens, vos vidistis, quod demones bellaverunt et tormentaverunt beatum Antonium cum bastonibus et cornibus, etc. Ita faciunt multi qui cum bastonibus, etc., percutiunt Deum, sc. eum jurando, et renegando, et blasphemando, etc. Et ita, rectores communitatis, debetis providere per punitiones, ut notorie nomen Dei non contemnatur, ut habetur Isaï., 52 : « Dominatores ejus inique agunt... blasphematur. » Et si hoc non evitatur, ira Dei est super communitatem. — Et si dicitis : Et quare si rectores nolunt punire, communitas tota punietur ? — Dico, quod ideo, quia omnes de communitate debetis clamare : *al traydor (ad traditorem !)* qui blasphemavit. Sicut si lupus intraret per villam, diceretis : Ad lupum ! — Ita contra Deum est tentatio, quam dant demones, sc. ludus taxillorum, qui sunt facti per septem principes demoniorum, sc. Leviathan, qui tentat de superbia, ut habetur, Job 3. Et ideo in quolibet taxillo, cum supra, et infra, semper sunt septem puncta ut per taxillos nomen Dei blasphemetur et renegetur, et faciant damnare multas animas. Et ideo, rectores, provideatis contra istam *roberiam* taxillorum, ut habetur Tob. 3 : « Tu scis, Domine, quia numquam cum ludentibus miscui me. » Et ideo, rectores communitatis, si vultis ut gratia Dei sit in hac villa et communitate, provideatis in sex que vobis dixi, duo in qualibet parte de die.

Digitized by Google

Dominico servando, et de non accedendo ad adivinos. In secunda, de putanis et Judeis comportandis, etc. In tertia parte de blasphemiis, et de taxillis. Et ista sex observando, Deus conservabit et rectores, et totam communitatem in bona prosperitate et sua gratia.

Et sic est adimpleta predicatio.

Et sciatis quod habemus *bona nova (notitiam)* quod omnes Judei et *Moros* sepe quotidie convertuntur in Valladolid. Et est ratio, Judei, nam, ut scitis, antequam mundus finiatur, omnes leges tres debent venire ad unam. Et una lex est bestialis, sc. Mahometi ; alia est terrenalis, sc. Moysi, quia solum terrena promittebat ; alia est spiritualis, sc. Christus, quia promittit celum. Et ideo ratio cogit quod alie due veniant ad istam meliorem. Et ideo tot Judei et Mauri convertuntur, etc. Et ita faciatis vos similiter. Deo Gratias.

Il est évident que ce sermon fut composé uniquement en vue d'un auditoire spécial (nous savons qu'il prêchait à Tordecillas, en Castille). Les compilateurs des recueils imprimés ont généralisé, et non sans raison, d'après des sources différentes. Nous ne reproduisons que les variantes de quelque intérêt. (Le ms de Toulouse n'a de particulier que les mots catalans : Ictus *de stock, esgarrant, descargat, leyda* (contributions), etc.)

De sancto Antonio, confessore

(Recueil imprimé)

Certamen forte dedit illi, ut vinceret.
(Sap. 10.)

Sciendum quod est scriptura literalis, et etiam hoc declarat experientia sensualis, quod presens vita non est nisi campus prelii, et quantum ad corpus, et quantum ad animam.

Primo quantum ad corpus, quia homo statim natus a die nativitatis usque ad finem est in prelio, quia quatuor qualitates intra corpus continue bellant, sc. calor cum frigiditate, et siccitas cum humiditate, quousque interficiant hominem, semper bellant corrumpendo, alterando, et contradicendo ad invicem, ac si teneret in utero quatuor serpentes inter se bellantes, mordentes, etc. Ita potestis cogitare de quatuor qualitatibus intra corpus humanum. Item ad extra corpus est in prelio et miseria sudorum, frigidorum, periculorum, infirmitatum, paupertatum,

Digitized by Google

tristitiarum, etc. Item cum proximis ad invicem vel lingua, vel manu, vel opere, intantum quod David de isto prelio corporis facit unum psalmum dicens : « Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo. » Hoc quantum ad prelium cum proximis : « Tota die impugnans tribulavit me. Conculcaverunt me inimici mei », sc. quatuor qualitates elementorum tota die, quoniam multi bellantes adversum me, quantum ad miserias. (Psal. ult.)

Secundo quantum ad animam quod est prelium periculosius, quia anima est melior corpore. Istud prelium potestis intelligere per talem similitudinem, ac si in isto campo esset una domicella nobilis et delicata et impugnaretur a tribus militibus armatis. Quorum unus venit ante cum ense evaginato, alius a dextris cum balista et sagitta, etc., alius a sinistris cum lancea, et ipsa stat innixa ad parietem. Bene talis domicella esset in magno prelio et periculo, gratia Dei esset quod evaderet, quia nullum habet defensorium nisi parietem ubi sustinetur. Ita est de anima cujuslibet nostrum, que est domicella nobilis, quia nullum habet patrem nisi Deum, qui eam creavit ad imaginem suam, et stat innixa ad parietem, sc. fidem christianam, quia sicut paries sustinet et impedit visum, ita fides christiana est appodiamentum christiani. Item fides est de his que homo non videt. Ideo apostolus diffiniens fidem dicit : Est enim fides substantia sperandarum rerum. » Ecce fundamentum. Argumentum non apparentium, sc. de his que non videntur. (Hebr. 11.) Ad istam parietem armatur anima christiana, quia alias jam capta esset, mortua, et destructa. Et impugnatur a tribus militibus. Ante venit mundus ense evaginato, sc. cum negotiis, curis superfluis, injustitiis, etc. A dextris autem caro cum sagittis malarum inclinationum, luxurie, etc. A sinistris autem diabolus cum lancea tentationum diversarum rerum. De istis militibus dicit Petrus apostolus : « Militant adversus animam. » (1 Pet. 2.)

Ipse erat quasi viginti annorum, et remansit heres multarum possessionum, et reddituum, et cujusdam magni olivarii. Tunc mundus incepit pugnare contra eum, dicens imaginationi modos mundi : Antoni, tu es modo dominus domus et divitiarum, etc., et poteris ducere uxorem, et eris de majoribus civitatis, et in regimine, etc. Et si vis mutuare decem pro duodecim, poteris valde ditari, vel mutuare super possessiones, et interim recipere fructus, vel emere minoris pro parata pecunia, etc., vel vendere pluris ratione expectationis, etc. Ecce tentationem mundi. Sed cum beatus Antonius fuisset assuetus audire missam et sermones, quia tales raro faciunt malum finem, dum semel audiret missam, audivit consilium evangelii : « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia que habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo, et veni et sequere me. » (Mat. 19.) O ! dixit beatus Antonius : Habeo modo

Digitized by Google

scutum, cum isto potero me cooperire ab ictibus mundi, etc. Dicatur quomodo statim post missam dedit bona sua ad vendendum servitoribus. Quibus venditis pecuniam distribuit in piis causis, et personis pauperibus.

Hoc facto, secutus est Christum in vita spirituali, dimittens mundum, ivit ad desertum, et sic evasit a primo ictu mundi, sc. penitendo super eum. Sed iterum mundus invasit eum, quia aliquoties quando homo non potest percutere inimicum ad caput, ducit gladium per transversum, etc.; ita voluit facere mundus beato Antonio, quando enim fuit in deserto, et in sua paupertate serviret Deo, ecce quod mundus per transversum et a latere percussit, dicens imaginationi : Modo, Antoni, tu es in deserto. Nunquid bonum fuisset reservare tibi aliquid de quo fecisses unam cellam, altare, oratorium, lectulum, tabulam, et hujusmodi? Cunque sic cogitando incederet per desertum, invenit unam platam argenteam pulchram. Cogitate quomodo statim sensualitas dixit : Antoni, de hoc poteris facere cellam, etc., et non audebat eam tangere, sed admirans intra se dicebat : Et quomodo est hoc cum hic non sit via? Ecce quomodo percussit a latere. Sed tunc est remedium, sc. retrahere pedem. Et ita fecit beatus Antonius, dicendo : Jesus! retraxit se, et scutella disparuit ut fumus. Et potuit dicere beatus Antonius : « Elongavi fugiens, et mansi in solitudine. » (Psal. 54.) Istud est bonum remedium ne homo vincatur, etc.

Sed iterum mundus voluit sibi dare unum ictum juxta cor. Cum enim semel staret in cella in deserto, dixit mundus imaginationi : Antoni, tu es hic modo, et cui proficies? Deus fecit te hominem, qui est animal sociale per naturam, et tu facis te animal. Contra illud David : « Homo comparatus est jumentis insipientibus. » (Psal. 48.) Si fuisses in civitate, potuisses multis proficere tractando paces, dando consilia, corrigendo, et hujusmodi ; vel ad minus si fecisses unum monasterium hic pro te et aliis qui vellent fugere occasiones mundi. — Dum sic cogitaret, exivit cellam, et invenit massam sive pomum auri. Statim sensualitas stulta locuta est : O Antoni, de isto auro posses adhuc construere hic monasterium. Ecce ictum ad cor, ut perderet amorem paupertatis que in corde consistit. Sed beatus Antonius induit se de una *pensera,* sc. una autoritate scripture dicens : « Beatus homo qui post aurum non abiit. » (Eccl. 3.) Forte dixit ipse : Posset esse tentatio, et dixit signando se : Jesus! et aurum evanuit ut fumus. Ecce quomodo beatus Antonius vicit primum militem, id est mundum contra eum bellantem. Ideo thema dicit : « Certamen forte dedit illi... »

Moraliter iste mundus triplici ictu bellans multos interficit, quia nesciunt se defendere, nec ab ictu se munire. Primo ad caput superius vulnerat laicos, eos inclinans ad usuras, furta, rapinas, calumnias, et

Digitized by Google

hujusmodi. — Dicatur contra hoc juxta audientium qualitates. O modernis temporibus, et quot interficiuntur isto vulnere ! Secundo per transversum mundus vulnerat religiosos, qui per paupertatem evangelicam vel apostolicam evaserunt ab ictu superiori, sc. ad caput, sed per transversum, ne meritorie possint ad paradisum ambulare per proprietatem, congregando bona, divitias, etc. Tertio de daga, qua vulnerat et interficit prelatos et curatos, quia spiritualia sacramenta que habent ministrare propter honorem Dei et salvationem animarum, modo jam non sic, nisi ratione pecunie, omnia sacramenta vendunt aliquomodo. Alii etiam, ne habeant solvere *laudes (?)*, impositiones, et hujusmodi jura, faciunt falsa juramenta, tales occiduntur per dagam feriendo. Propter hoc Christus avisando nos dicebat : Cavete ab omni avaritia. Nota ab omni, sc. his tribus modis, contra avaritiam laicorum, proprietatem religiosorum, et symoniam clericorum, « quia non in abundantia cujusquam vita ejus ex his que possidet ». (Luc. 12.)

Caro diversimode ipsum impugnavit, modo vigilando, modo dormiendo, quia personis carnalibus non displicent talia somnia sive motus. — O ! dixit beatus Antonius : Ego indigeo medicina. Qui enim vult curari a vulnere sagitte, oportet expellere sagittam. Deinde apponere tyriacam contra venenum quod remanet intus. Ita fecit beatus Antonius. Primo expellebat sagittas, sc. tentationes, statim mutando imaginationem, cogitando passionem Christi, vel penas inferni, et similia. Secundo contra venenum sagitte recipiebat tyriacam abstinentie a Spiritu Sancto confectam. Abstinebat a somno, solum per duas vel tres horas dormiendo super terram. Item portabat asperum cilicium, desuper mantellum, et opere manuum suarum vivebat, operabatur cisteletas, et hujusmodi ; et cum ista tiriaca conservabat se contra venenum luxurie, tenens consilium apostoli : « Fugite fornicationem... Portate Deum in corpore vestro. » (1 ad Corint. 6.) Ecce primum remedium, sc. expellere venenum, sc. primos motus. — Ecce secundum remedium de abstinentia. Item : « Mortificate membra vestra... ejus qui creavit eum. » (Col. 3.) Sed iterum : Non ! dixit caro, quia fortius sagittabitur sagitta de pennulis ornata. — Dicatur quomodo diabolus venit ad eum in specie pulcherrime mulieris, et prima facie non cognovit demonem fuisse. De quo Antonius admirans ait cum spiritu : Et qualis estis vos hic ? — Respondit : Audita fama vestre sanctitatis vellem servire Deo, et volo consilium a vobis quomodo et in quo loco possem facere penitentiam, et hujusmodi, et servire Deo. — Statim caro dixit : Antoni, ecce ista mulier juvenis est, et pulchra, et sola ; si peccares cum ea nullus sciret, non perderes famam. — Ideo videns beatus Antonius quod caro calefiebat : O ! dixit ipse, unus ignis expellet alium, expecta modicum. — Elevatis fimbriis a tergo, posuit se in igne, dicens mulieri : Si vis habere mecum placitum,

Digitized by Google

venias huc, etc. Et disparuit diabolus. Et Deus fecit gratiam beato Antonio quod in igne sedens non fuit combustus, sed fugavit tentationem tam fortem, et poterat dicere cum David : « Probasti cor meum... non est inventa in me iniquitas. » (Psal. 16.)

Moraliter habemus hic exemplum castitatis servande nos religiosi, qui habemus votum expressum, et clerici annexum, fugiendi occasiones, vitandi mulierum familiaritates, et locutiones, et oportunitates. Dicebat Hieronymus ad rusticum monarchum : Feminam quam bene conversantem didiceris, mente dilige, non corporali presentia. — Et ille : Quid de matre mea ? — Respondet Hieronymus : Matrem tuam ita videas ne per illam alias videre cogaris. Habet enim famulas, habet pedissequas, et quanto melior earum conditio, tanto facilior ruina. In isto prelio complures interficiuntur, quia nesciunt expellere sagittas tentationis, nec recipere medicinam abstinentie.

Sed hic per questionem intrabimus ad moralitatem. Et queritur quare Deus voluit quod beatus Antonius haberet tam magnum prelium cum demonibus, etiam visibiliter sibi apparentibus, quia invisibiliter etiam multi impugnantur ab eis, sed sic visibiliter non legitur nisi de beato Antonio. — Responsio, quia primus heremita in novo testamento notorius post Christum fuit beatus Antonius. In veteri autem testamento leguntur aliqui tenuisse vitam heremiticam, sicut Helias, Heliseus, Joannes Baptista. In novo autem testamento Christus fuit primus, deinde beatus Paulus, sed erat secretus et incognitus. Sed beatus Antonius fuit manifestus. Ideo videntes demones quod beatus Antonius ostendebat multis eum sequentibus in futurum viam paradisi quantum in eis fuit, voluerunt ipsum occidere, sed Deus non permisit, et quia communiter in preliis ille qui portat vexillum magis impugnatur, ut ceteri sequentes devient et succumbant. Et quia Antonius fuit primus et princeps hujus vite, Deus sibi promisit quod ipsum faceret in toto orbe nominari.

Moraliter : Illi qui incipiunt bonam vitam, portant vexillum salvationis, dando bonum exemplum aliis. Sic etiam illi qui incipiunt malam vitam, vel vanitatem in indumentis vel ornamentis, portant vexillum damnationis. Dicunt mulieres : Bene cognoscimus vanitates et superfluitates quas facimus, quia faciunt nos et viros nostros damnari, sed que incipiet dimittere ? quia si una inciperet, etiam omnes dimitteremus. Hoc vult dicere, quis portabit vexillum ? vel quis lucrabitur coronam ? quia licet omnes martyres habeant coronam glorie, singularius tamen beatus Stephanus, qui fuit primus. Item licet omnes penitentes salventur, et habeant coronam, specialius tamen beata Maria Magdalena. Ideo David : « Omnis qui percusserit Jebuseum, id est diabolum, in primis

Digitized by Google

erit princeps et dux. » (Paral. 11.) Ita dicit Christus : Omnis qui habet victoriam de diabolo, erit princeps et rex in paradiso, sed principaliter incipientes bonam vitam, et eam continuantes. Virtus enim boni operis perseverantia est, ut dicit Gregorius. Et quia beatus Antonius incepit, continuavit et perfecit bonam vitam, virtuosam, et sanctam, ideo quando fuit XCIX annorum, receptis sacramentis, et vale a discipulis, ac si deberet ire ultra mare, eos osculando, leta facie videns angelos sanctos ad se venientes, remisit animam suam sanctam, et statim coronata fuit gloria. Et sicut in hoc mundo nominatur ex singulari sanctitate, ita etiam in celo nominatur ex magna dignitate. Et potest dicere : « Bonum certamen certavi, quantum ad primum militem. Cursum consummavi, quantum ad secundum. Fidem servavi, quantum ad tertium. Ideo in celo reposita est mihi corona justitie », sc. gloria eterna. (2 ad Thimoth. 4.) — Deus concedat nobis istas victorias. Amen.

Digitized by Google

De beato Sebastiano

(Canevas autographe)

Posuit me quasi signum ad sagittam.
(Thre. 3.)

Ad litteram beatus Sebastianus, qui pro fide Christi fuit ab infidelibus sagittatus, potest veraciter dicere verbum istud, in quo tria sunt notanda de eo.

Vita virtuosa ibi : posuit me.

Doctrina generosa ibi : quasi signum.

Passio dolorosa ibi : ad sagittam.

De primo : Quilibet ponit in suo jardino electas arbores fructuosas, sic Christus in jardino Ecclesie non vult nisi personas virtutibus fructificantes. Joan. 15 : « Ego elegi vos, et posui », etc. — Nota ergo de beato Sebastiano quomodo pollebat virtutibus universis : propter quod a fidelibus et infidelibus amabatur.

De secundo : Verba divine doctrine sunt signa fidei quam homo tenet in corde, et ostendere debet in opere. Deut. 6 : « Erunt verba hec... in manu tua. » — Nota qualiter beatus Sebastianus Christianos in tormentis confortabat et etiam infideles per suam doctrinam convertebat.

De tertio : Dolorosa est valde passio sagittis circumfigi. Job. 6 : « Verba mea dolore sunt plena, quia sagitte », etc. — Ps. 37 : « Quoniam sagitte tue infixe sunt mihi. » — Nota hic ejus martyrium per sagittationes et fustigationes.

Moraliter incipientes devote vivere, sagittantur irrisionibus et detractionibus malorum, sed non sunt timende, quia « Sagitte parvulorum », etc. (Ps. 63.) Item fustigantur et temptationibus, sed « per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum celorum ». (Act. 14.)

De sancto Sebastiano

(Recueil imprimé)

Posuit me quasi signum ad sagittam.
(Habetur verbum istud originaliter in libro Threnorum vel Lamentationum, 3 cap.)

Licet hoc festum sit duorum beatorum martyrum, tamen de beato Fabiano non habemus in sua historia nisi quod fuit papa sanctus et

Digitized by Google

bonus, et post modum fuit martyr. Sed in vita sancti Sebastiani legimus multas virtutes, de quibus poterimus recipere ad gubernandum vitam nostram. Sed prius salutetur virgo Maria, etc.

Pro brevi declaratione thematis sciendum quod doctrina est generalis, in sancta theologia, quod Deus non solum est ratio, causa, principium, et autor bonorum omnium, imo etiam est ratio, causa, principium, et autor omnium malorum, non tamen culpe, nisi permissive, quia mala culpe a libero arbitrio hominis procedunt, quod Deus non impedit, quia hanc libertatem Deus non aufert viatori. Sed mala pene non solum a Deo permittuntur, imo etiam ab ipso infliguntur, sicut dolores, infirmitates et similia. Ratio est, quia omnia mala penalia licet carni sint dolorosa et aliquoties verecundiosa, sunt tamen anime medicinalia, et proficuosa, quemadmodum medicus quando amputat vulnera, dat purgationem, dat cauteria, talia licet sint dolorosa, tamen sunt medicinalia, quia dantur pro sanitate consequenda. Idem est de malis penalibus. Sunt enim multi qui in sanitate vel prosperitate non curant de Deo, vivunt in peccatis, totam animam habent vulneratam, et graviter infirmam. O ! dicit Deus, ut bonus medicus : iste vel isti indigent medicina curativa ; et infligit dolores, infirmitates, miserias, paupertates ; et tunc isti convertuntur ad Deum, confitentur, satisfaciunt, remittunt, et hujusmodi. Ideo David dicens : « Multiplicate sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt », sc. converti ad Deum. (Psal. 15.)

Vel sunt aliquoties ut medicina preservativa, quia licet homo non sit in peccato, Deus tamen qui omnia videt, scit omnia, quando homo habet aliquam magnam gratiam, proprietatem, vel virtutem, superbiret, vel alias caderet in peccatum. Deus autem ut bonus medicus dat medicinam preservativam, sc. adversitatem aliquam, vel hujusmodi, ut patet in Paulo, qui de se dicit : « Ne magnitudo revelationum... in me virtus Christi.» (2 Corinth.12.) Vel ut medicina nutritiva, ut sc. augmentetur in virtutibus, quando Deus immittit mala penalia alicui, non pro peccatis ad puniendum, sed ad merita et virtutes ad augmentandum, ut patet in Job, qui post omnia mala illa fuit sanctior, cui non dedit illam medicinam ut ipsum curaret, quia non habebat peccata, sed ut preservaret a peccato, et nutriret in virtutibus. Autoritas : « Ego Dominus, formans lucem... faciens omnia hec. » (Esa. 45.) Nota : formans lucem, sc. intellectus in claritate scientie per scientiam acquisitam vel infusam, vel propter ingenii subtilitatem, ad cognoscendum Deum et diligendum. Et creans tenebras, sc. ignorantie et ruditatis, quia est malum pene et medicina preservativa, quia multi sunt qui si haberent scientiam, superbirent. Ideo ut sint humiles, non datur eis scientia. Item faciens pacem ut sibi serviatur, et creans malum, sc. guerras, ut gentes corrigantur, quia cives

Digitized by Google

et milites tempore pacis quando nihil habent facere, dant guerras mulieribus, eas impetendo, quando autem sunt in guerra, non curant, confitentur, et timent Deum. — Item alia autoritas : « Bona et mala... a Deo sunt. » (Eccl. 11.) — Item alia autoritas : « Si erit malum, sc. pene, in civitate quod Dominus non fecerit ? » quasi dicat : non. (Amos 3.) — Ergo conclusio est vera, quod omnia mala penalia sunt a Deo. Ideo beatus Sebastianus sciens illam doctrinam, sive malum pene, sc. sagittarum, attribuit Deo dicens : Posuit me, sc. Deus, etc., quia imperator et alii sagittantes solum fuerunt ministri. Patet thema.

In ejus autem vita notavi tres excellentias sive perfectiones.

Primo vitam virtuosam : ibi, posuit me.

Secundo doctrinam gratiosam : ibi, quasi signum.

Tertio passionem dolorosam : ibi, quia ad sagittam.

Quantum ad primum, quod notatur : Posuit me, sc. Deus. Jam scitis quoniam ille qui facit pulchrum viridarium, perquirit arbores bonas et fructuosas, et plantat in suo viridario. Istum modum tenuit Christus, qui fecit unum viridarium, sc. sanctam Ecclesiam christianam, ubi vult habere personas virtutibus fructificantes. Ideo de nemore hujus mundi elegit beatum Sebastianum ut arborem fructiferam, et plantavit in viridario suo, ideo dicitur : Posuit me. Et ad hoc est autoritas : « Ego elegi vos, et posui », etc. (Joan. 5.) Nota ut eatis. Vadunt enim arbores per tres dietas, sc. producendo flores, folia, et fructus. Ita quilibet bonus Christianus debet facere istas tres dietas, etc., quia non ponitur in viridario Ecclesie ut sit ociosus. Ideo dicit : ut fructum. — Dicatur hic fructus beati Sebastiani, de quo dicit legenda, quod erat vir totius prudentie, et universa morum honestate preclarus. Et necesse erat ut quem Deus perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Si ergo dico vobis aliquas virtutes suas, non possum errare, cum in omni morum honestate fuerit preclarus. Virtutes enim sue erant in triplici gradu, quia alique virtutes ordinant hominem erga Deum, alique erga seipsum, et alique erga proximum. Istas virtutes debent habere milites et divites, qui non habent propriis manibus laborare.

Prima virtus ordinans hominem erga Deum, est devotio, quam habuerat sanctus iste Sebastianus, quia fuerat primo civis Narbone, deinde Mediolani, postmodum Rome fuit officialis imperatoris. Et quotidie regratiabatur Deo, quia dederat sibi vitam opulentam, et quia propriis manibus non oportebat eum laborare : et ergo illud tempus quod expendisset in temporalium acquisitione, expendebat in devota oratione. Surgens ante auroram ad orationem, et facta die ibat ad missam quam audiebat devote et cum silentio. Post missam autem ibat ad negotia vel consilia imperatoris, etc. De sero iterum orabat, et exa-

Digitized by Google

minabat vitam illius diei, si in aliquo defecerat, confitebatur, et communicabat in omni die dominico. Et ista debet esse vita divitum et militum erga Deum. Sed hodie divites parum curant de Deo. Si sint pauperes laborant pro vita, et bene. Si autem sunt divites, nunquam est finis in acquirendo pecunias. Unde de hoc dicit scriptura : « Qui argentum thesaurizant... non est finis acquisitionis eorum. » (Baruch 2.)

Secunda virtus ordinans hominem erga seipsum est abstinentia a superfluis. Hanc habuit sanctus iste. Quia fuit bene ordinatus erga seipsum. Primo in cibo non faciebat excessum, quia servabat jejunia Ecclesie. Item in vestitu satis honorabiliter secundum suum statum, quod non faciebat superfluitates vel vanitates in manicis, vel in scissuris, quia milites debent portare vestem non nimis longam, nec nimis brevem, sed medio modo se habentem, et honorabilem. Item in scutiferis juxta suum gradum, et dabat eis salarium, non sustinebat quod essent lusores vel ruffiani, sicut multi faciunt modo, nec erat expediens quod ipsi jurarent, alias ipse puniebat eos. Melius est habere paucos et bonos, quam multos et malos. Non placebat sibi audire *truffas* de mulieribus, etc. Et sic custodiebat seipsum secundum Dei preceptum, quia scriptura dicit cuilibet hominum: « Custodi temetipsum », etc. (Deut. 4.)

Tertia virtus ordinans hominem erga proximum est providentia. Et hanc habuit sanctus iste, quia bene ordinatus fuit erga proximum, quia omnibus amabilem se exhibebat ex sua sapientia et bono regimine. Dicit historia, quod imperatoribus Diocletiano et Maximiano valde charus fuit, et a tota eorum curia valde venerebatur. Erat enim in consilio providus, et non sustinebat quod alicui fieret injuria. Et ex misericordia quam summe habebat, defendebat causas viduarum et pupillorum ut suas, et pacificabat discordantes. Et istud est officium militum, sed modo divites seu milites decipiunt juvenculas et viduas, ut sint eorum putane. Idem dicendum est de monialibus, quia omnes faciunt meretrices. De redditibus suis etiam expendebat certum quid pro victu, et certum quid pro vestitu, et certum quid pro animalibus, et certum quid pro anima in eleemosynis. Ita debent facere milites, sed hodie milites nullam regulam servant, deberent enim ita ordinare sua facta, hoc modo cogitando : Ego habeo mille vel duo millia florenorum in redditibus, tot expendam pro servitio corporis, et tantum pro anima ; restringere se deberent de vanitatibus, et tunc non facerent illas rapinas, vel exactiones a subditis, et possent facere eleemosynas. Ideo dicit scriptura: « Deus mandavit unicuique de proximo suo. » (Eccl. 17.) Ita faciebat beatus Sebastianus. Ideo etiam si non fuisset martyr, fuisset excellentissimus confessor. Ideo possumus dicere de eo : « Quasi vas auri solidum propter charitatem, ornatum omni lapide precioso » (Eccl. 50), sc. virtutibus multis.

Digitized by Google

Quantum ad secundum, notatur doctrina gratiosa : ibi, quasi signum. Et hoc sequitur ad primum, quia si primo homo vellet habere doctrinam, secundo vitam, etc., esset ordo preposterus. Verba enim sunt signa vite hominis et ejus conditionis. Ideo dicit, quasi signum. V. gr.: Qui loquitur de honoribus, vanitatibus, et pompis, in hoc cognoscitur conditio illius creature, quia signum est superbie. Si autem loquatur de negotiis, feriis, etc., signum est avaritie. Si autem loquatur de mulieribus, et immundis, etc., signum est luxurie. Si loquatur malum de proximis, etc., signum est invidie. Sunt ergo ea que sunt in voce earum que sunt in anima passionum vel conceptionum note, id est signa. (Primo Perihermenias.) Idem alibi: Qualis unusquisque est, talia loquitur et operatur. Idem patet in theologia. Dixit ille magnus theologus Jesus Christus dominus noster : « Ex abundantia cordis os loquitur ». (Math. 12.) Item Deut. 6 : « Erunt hec verba que... quasi signum in manu tua. » Ideo dicit, quasi signum. In quo ostenditur doctrina gratiosa beati Sebastiani. Non intelligatis quod predicaret in cathedra, sed dabat bonas doctrinas, sicut tenetur facere quilibet bonus christianus particulariter instruendo vel corrigendo.

Dicatur quomodo in illo tempore ab imperatoribus fuit facta maxima persecutio christianorum et christianis, intantum quod Sebastianus cum mantello occultabat se esse christianum, non timore, sed ut posset christianos in carceribus visitare, et ad constantiam animare, ne deficerent in fide, et Deus confirmabat doctrinam suam miraculis. — Dicatur hic miraculum de illo magno domino infideli infirmo, qui audiens famam et miraculum beati Sebastiani, vocavit eum ad se, et rogans eum ut ipsum curaret sicut curavit talem et talem. Respondit quod non erat medicus, nec faciebat miracula nisi secundum hominum devotionem. Si ergo habes devotionem ad Christum, projiciendo idola a domo tua, Christus dabit tibi sanitatem. Qui statim projecit omnia idola, et in Christum credidit, et curatus fuit. Ecce testimonium quod Deus dedit doctrine sue. — Moraliter nota hic quod ille qui vult habere sanitatem in domo sua, vel persona, non debet sustinere idola, sc. sortilegia, vel putanas, vel ludum taxillorum, ubi negatur Deus, quod est majus peccatum in christiano quam idolatria in infideli, quia de illis, sc. de bestiis, modicum curat Deus, sed de christiano sive de christianis pro quibus tot fecit, reputat sibi gravem factam ex his injuriam. Ideo foras projicite hujusmodi idola, ut possitis dicere : « Non est idolum in Jacob. » (Num. 22.)

Dicatur cum semel beatus Sebastianus iret per Romam, et videret duos honorabiles cives Rome, Marcellianum et Marcum, fratres carnales et christianos, in tormentis positos, ut videlicet abnegarent fidem, vel morerentur, ad quos venerunt uxores nobiles, et filii flentes, parentes

Digitized by Google

et amici, ut animos illorum emollirent. Cum jam incepissent deficere, ita ut fidem vellent negare, tunc : O ! dixit beatus Sebastianus, modo oportet ut meipsum manifestem. Et in medium se objiciens, dixit : O fortissimi milites, o divini prelii bellatores, per nimiam virtutem pervenistis ad palmam, et nunc per misera blandimenta coronas deponitis sempiternas. — Dicatur hic quomodo beatus Sebastianus confortavit eos ; et ex hoc non solum ipsi, sed etiam uxores eorum, filii, parentes, et amici eorum omnes fuerunt martyres effecti. Ideo de eo possumus dicere : « Perfectio tua... in tentatione. » (Deut. 33.) Sed hodie alia doctrina predicatur, et particulariter docetur de sortilegiis et vanitatibus, etc.

Quantum ad tertium, notatur passio dolorosa, quia ad sagittam. Non dicitur bombardam que statim occidit, sed sagittam, que majorem dolorem infligit, quia positus est quasi pro signo inter alias martyrum mortes, et ita fuit magis dolorosa. Ideo Job volens ostendere suos dolores, dixit : « Verba mea dolore sunt plena, quia sagitte », etc. (Job. 6.) — Ad practicam dicatur ejus martyrium. Postquam confortavit illos, dictum fuit imperatori quod erat christianus effectus. Qui imperator furibundus vocavit beatum Sebastianum dicens : Dicitur de te quod christianus es. — Cui respondit : Ita est, et volo esse. — Cui imperator ait : O proditor, decepisti me ! — Respondit beatus Sebastianus : Dicatis quod ego fuerim fidelis Jesu Christo et vobis, pro quo oravi semper, sed ex peccatis vestris estis indignus ut Christus audiat orationes meas. — Tunc cogitavit imperator quomodo posset majorem penam sibi infligere, et precepit ipsum assagittari, promittens sibi remissionem si vellet Christum abnegare.

Dicatur practica de assagittatione, in qualibet ictu dicebat : Jesus ! et dicit historia quod fecit eum quasi hericium impleri sagittis, ita ut mortuus ab omnibus reputaretur. De nocte autem devoti Christiani volentes eum sepelire ipsum vivum invenerunt, et secrete portaverunt eum ad quamdam domum. — Dicatur de magno ejus dolore in extrahendo sagittas a mulieribus, et ponebant unguentum in vulneribus in nomine Jesu Christi, et curatus fuit. Modo cogitate quando dicebatur sibi a christianis quod fugeret, respondit : Et qualis miles essem si fugerem ? Et nunquid Christus obviam venit crucifixoribus dicens : Quem queritis ? — Ergo bene poterat dicere : « Quoniam sagitte tue, quia pro Christo eas recepi, infixe sunt mihi ». (Psal. 37.) Deinde cum Diocletianus et Maximianus irent adorare idola, fuit eis obvius. Quibus admirantibus de eo dixit eis : Deus suscitavit me, ut reprehendam vestram malitiam. Tunc precepto imperatoris fustigatus in hippodromo coronam martyrii suscepit. Unde de eo congrue dicitur illud : « Beatus vir qui suffert tentationem, accipiet coronam vite. » (Jac. 1.)

Digitized by Google

Moraliter si volumus coronam glorie obtinere, oportet hic nos sagittari et fustigari. Nam incipientes devote vivere, sagittantur, et fustigantur. Unde apostolus : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. » (2 Timo. 3.) — Dicatur de quolibet statu. Statim enim sagittantur irrisionibus et detractionibus malorum, et multi timent istas sagittas intantum quod non audent incipere, sed non sunt timende quia debiles sunt. Unde dicit David : « Sagitte parvulorum », etc. (Psal. 63.) — Dicatur de balistis puerorum sagittantibus muscas, etc. Secundo fustigantur primo a diabolo per varias tentationes, secus de illis qui vivunt in solatiis. Unde Gregorius : « Eos tentare negligit quos quieto jure se possidere sentit. » Tertio a carne per infirmitates et dolores, sed « per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ». (Act. 14.)

Le ms de Valence est sensiblement inférieur à l'imprimé ; nous ne lui empruntons que quelques détails.

... Culpam peccatorum non facit Deus. Et hoc probatur per regulam beati Augustini : « Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem eternam. » Et ita Deus non est causa, neque ratio culpe et peccati : nam facere secundum voluntatem Dei, non est peccatum, imo meritum et virtus ; ut in multis casibus ab eo permissis, quod alias esset peccatum ; ut puta peccatum est furari ; sed quando Deus dixit Judeis, ut quod possent furarentur ab Egyptiis, non erat peccatum sed virtus. Item, occidere peccatum est ; tamen Abraham si occidisset filium suum Isaac, non peccasset, quia Deus volebat, et ita virtus esset. Item, occidere seipsum, peccatum est, sed Samson non peccavit occidendo seipsum, sed fecit virtutem, quia Deus voluit. Item : facere luxuriam, peccatum est ; et tamen non peccavit Oseas, quando accessit ad lupanar, quia juxta voluntatem Dei fecit. Et ad hoc habetur autoritas Abacuc 1 : « Mundi sunt oculi tui, etc... iniquitatem non poteris. »

... Deus dat infirmitatem superbo, ut cognoscat se, et humilietur ; item, mulieri superbe et vane dat *perlam (albuginem)* in oculo, et facit eam claudam ut de vanitate veniat ad devotionem. Et hec questio probatur, ut habetur, Isaïe 45 : « Ego, Dominus... faciens omnia hec. » Beatus Sebastianus dat causam et rationem de Deo dicendo : « Posuit me Dominus quasi signum ad sagittam ». Quasi dicat, et respondeat mihi querenti : « Beate Sebastiane, quomodo est quod vos sustinuistis tanta mala ? — Respondet verbum thematis : « Posuit me quasi signum ad sagittam. »

Natus in civitate Narbone ; et nutritus in civitate de *Milan* in Lom-

Digitized by Google

bardia ; et sua passio et finis in civitate Rome. Et in istis tribus civitatibus apparet sua vita tota virtuosa.

In civitate Mediolani, quia ipse erat nobilis, et de nobili genere, et ita erat sufficiens ad bellandum in *batallis* que ibi fiebant tunc.

Et cum beatus Sebastianus venit ad Romam, tanta erat fama bona de ipso, quod fuit receptus in magno amore duorum imperatorum, qui tunc regnabant Rome, sc. Diocletiani et Maximiani. Et fecerunt eum majorem de sua curia. Et erat prudens multum, et in sermone verax, et in judicio, justus ; et in consiliio, providus ; et in commisso fidelis, hominum famosorum honestate preclarus.

Sed hic venit modo una questio : An quilibet vivendo moraliter possit salvari in sua lege, credens et cogitans, quod sua lex sit bona ? Ego dico quod est hoc error et heresis dicere et credere. Nam ille, qui peccat cum pedibus, vel manibus, vel cum ore, et ita cum parte minori vel mediana, vel superiori corporis, damnabitur ; non est dubium quia peccavit : ergo a fortiori damnabitur, qui peccat cum intellectu que est maxima, et magis alta pars totius corporis hominis ; nam omnes qui non credunt veram legem, peccant per intellectum falsam legem credendo. — Sed dicent modo Judei et Moros : Quomodo nobis constat certissime que sit vera lex ? Nam si sciremus clariter, illam teneremus et crederemus. — Et dico quod istud poteritis cognoscere clariter ; et poteritis cognoscere per quandam parabolam de quodam homine, qui habebat tres filios et tenebat unum lapidem pretiosum, et quilibet filius desiderabat eum. Et finaliter ipse dimisit illum filio medio. Sed ut non esset discordia inter ipsos, fecit fieri per lapidarium alios duos de vitro, et similabantur vero lapidi pretioso. Et mortuo patre, quilibet credebat tenere et habere verum lapidem. Et finaliter accesserunt ad lapidarium, qui cognovit lapidem verum perpensum, quia magis ponderabat aliis vitreis.

Ita modo Judei et Mauri possunt, ponderando leges tres, que sit vera et magis ponderosa cognoscere. — Et populus judaïcus est filius primogenitus ; et christianus, medius ; et Mauri, minor. Et sic videamus que lex ponderet magis. Et primo videamus de personis, qui dederunt leges. Et non est dubium, quod Moyses fuit peccator et Mahomet ; sed Christus, mundus ab omni peccato, ut habetur Isaïe 53 : « Eo quod iniquitatem, etc... in ore ejus. » Et secundo, videamus de sacrificiis. Et dico, quod lex Moysi sacrificabat immundum sacrificium, sc. animalia, oves et boves *descoriando*. Et Mauri sacrificant in sua mesquita, versus parietem inclinando caput, et elevando clunes ; sed christiani, hostiam puram et mundam, in qua est Christus. Et de hoc fuit prophetisatum ut habetur in Psalm. 109 : « Juravit Dominus, etc... ordinem Melchisedech », qui offerebat panem et vinum. Et habetur Malach. 1 : « Non est mihi voluntas in vobis, etc... oblatio munda. »

Digitized by Google

Moraliter si volumus coronam glorie obtinere, oportet hic nos sagittari et fustigari. Nam incipientes devote vivere, sagittantur, et fustigantur. Unde apostolus : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. » (2 Timo. 3.) — Dicatur de quolibet statu. Statim enim sagittantur irrisionibus et detractionibus malorum, et multi timent istas sagittas intantum quod non audent incipere, sed non sunt timende quia debiles sunt. Unde dicit David : « Sagitte parvulorum », etc. (Psal. 63.) — Dicatur de balistis puerorum sagittantibus muscas, etc. Secundo fustigantur primo a diabolo per varias tentationes, secus de illis qui vivunt in solatiis. Unde Gregorius : « Eos tentare negligit quos quieto jure se possidere sentit. » Tertio a carne per infirmitates et dolores, sed « per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ». (Act. 14.)

Le ms de Valence est sensiblement inférieur à l'imprimé ; nous ne lui empruntons que quelques détails.

... Culpam peccatorum non facit Deus. Et hoc probatur per regulam beati Augustini : « Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem eternam. » Et ita Deus non est causa, neque ratio culpe et peccati : nam facere secundum voluntatem Dei, non est peccatum, imo meritum et virtus ; ut in multis casibus ab eo permissis, quod alias esset peccatum ; ut puta peccatum est furari ; sed quando Deus dixit Judeis, ut quod possent furarentur ab Egyptiis, non erat peccatum sed virtus. Item, occidere peccatum est ; tamen Abraham si occidisset filium suum Isaac, non peccasset, quia Deus volebat, et ita virtus esset. Item, occidere seipsum, peccatum est, sed Samson non peccavit occidendo seipsum, sed fecit virtutem, quia Deus voluit. Item : facere luxuriam, peccatum est ; et tamen non peccavit Oseas, quando accessit ad lupanar, quia juxta voluntatem Dei fecit. Et ad hoc habetur autoritas Abacuc 1 : « Mundi sunt oculi tui, etc... iniquitatem non poteris. »

... Deus dat infirmitatem superbo, ut cognoscat se, et humilietur ; item, mulieri superbe et vane dat *perlam (albuginem)* in oculo, et facit eam claudam ut de vanitate veniat ad devotionem. Et hec questio probatur, ut habetur, Isaïe 45 : « Ego, Dominus... faciens omnia hec. » Beatus Sebastianus dat causam et rationem de Deo dicendo : « Posuit me Dominus quasi signum ad sagittam ». Quasi dicat, et respondeat mihi querenti : « Beate Sebastiane, quomodo est quod vos sustinuistis tanta mala ? — Respondet verbum thematis : « Posuit me quasi signum ad sagittam. »

Natus in civitate Narbone ; et nutritus in civitate de *Milan* in Lom-

Digitized by Google

bardia ; et sua passio et finis in civitate Rome. Et in istis tribus civitatibus apparet sua vita tota virtuosa.

In civitate Mediolani, quia ipse erat nobilis, et de nobili genere, et ita erat sufficiens ad bellandum in *batallis* que ibi fiebant tunc.

Et cum beatus Sebastianus venit ad Romam, tanta erat fama bona de ipso, quod fuit receptus in magno amore duorum imperatorum, qui tunc regnabant Rome, sc. Diocletiani et Maximiani. Et fecerunt eum majorem de sua curia. Et erat prudens multum, et in sermone verax, et in judicio, justus ; et in consiliio, providus ; et in commisso fidelis, hominum famosorum honestate preclarus.

Sed hic venit modo una questio : An quilibet vivendo moraliter possit salvari in sua lege, credens et cogitans, quod sua lex sit bona ? Ego dico quod est hoc error et heresis dicere et credere. Nam ille, qui peccat cum pedibus, vel manibus, vel cum ore, et ita cum parte minori vel mediana, vel superiori corporis, damnabitur ; non est dubium quia peccavit : ergo a fortiori damnabitur, qui peccat cum intellectu que est maxima, et magis alta pars totius corporis hominis ; nam omnes qui non credunt veram legem, peccant per intellectum falsam legem credendo. — Sed dicent modo Judei et Moros : Quomodo nobis constat certissime que sit vera lex ? Nam si sciremus clariter, illam teneremus et crederemus. — Et dico quod istud poteritis cognoscere clariter ; et poteritis cognoscere per quandam parabolam de quodam homine, qui habebat tres filios et tenebat unum lapidem pretiosum, et quilibet filius desiderabat eum. Et finaliter ipse dimisit illum filio medio. Sed ut non esset discordia inter ipsos, fecit fieri per lapidarium alios duos de vitro, et similabantur vero lapidi pretioso. Et mortuo patre, quilibet credebat tenere et habere verum lapidem. Et finaliter accesserunt ad lapidarium, qui cognovit lapidem verum perpensum, quia magis ponderabat aliis vitreis.

Ita modo Judei et Mauri possunt, ponderando leges tres, que sit vera et magis ponderosa cognoscere. — Et populus judaïcus est filius primogenitus ; et christianus, medius ; et Mauri, minor. Et sic videamus que lex ponderet magis. Et primo videamus de personis, qui dederunt leges. Et non est dubium, quod Moyses fuit peccator et Mahomet ; sed Christus, mundus ab omni peccato, ut habetur Isaïe 53 : « Eo quod iniquitatem, etc... in ore ejus. » Et secundo, videamus de sacrificiis. Et dico, quod lex Moysi sacrificabat immundum sacrificium, sc. animalia, oves et boves *descoriando*. Et Mauri sacrificant in sua mesquita, versus parietem inclinando caput, et elevando clunes ; sed christiani, hostiam puram et mundam, in qua est Christus. Et de hoc fuit prophetisatum ut habetur in Psalm. 109 : « Juravit Dominus, etc... ordinem Melchisedech », qui offerebat panem et vinum. Et habetur Malach. 1 : « Non est mihi voluntas in vobis, etc... oblatio munda. »

Digitized by Google

Et tertio, videamus de promissionibus legum. Et lex Moysi non promittit nisi terrena et vanitatem. Et lex Mahometi bestialitatem, luxuriam, etc. Sed lex Christi promittit celestia, ut habetur Mat. 7 : « Qui facit voluntatem Patris mei, etc... regnum celorum. » Et ideo David adhuc petebat legem hanc, ut habetur Psalm. 118 : « Legem pone mihi, Domine, etc... exquiram eam semper. »

Et finaliter convertit prefectum, curando ipsum ab infirmitate ; sed cum fuerunt conversi multi, infirmitas rediit prefecto. Et ita dixit beato Sebastiano, quod non erat perfecte curatus ; et ideo, quod rogaret Deum Christum, quem predicabat. Et tunc dixit beatus Sebastianus : vos debetis tenere idolum in domo vestra ? Et respondit prefectus : quod sic. Et finaliter dixit beatus Sebastianus, quod non curaretur ab infirmitate donec idolum ejiceretur de domo. Et fregit, et destruxit eum beatus Sebastianus ; et tunc Prefectus fuit plene liberatus.

Et sic notetis qualiter prefectus non fuit curatus donec idolum tenuit in domo. Et ideo Judei et Mauri non convertuntur, nec sanantur ab infirmitate, quia habent idola, sc. Judei duos, ut habetur in Talmud ; et unus vocabatur Bardocham, qui fuit occisus a Judeis, quia per odoratum non sentiebat inimicos. Et alius Bencothan, qui similiter fuit a Judeis occisus, quia cum genu non recipiebat lapides missos ab inimicis. — Et tertium idolum habuerunt, quando demon, ut Messias, decepit eos insula de Candia, alias de Creta, mare dividendo, et in medio suffocando, etc. Item, quando taborla sonabatur, credebant esse ipsum Messiam. Item, nunc expectant Hog et Magog, id est antichristum, etc. Et ita, Judei, ut ceci ambulatis propter peccatum non recipiendi Christum Messiam. Ut prophetia habetur Sophonie 1 : « Et ambulabunt ut ceci, etc. peccaverunt », etc. Ita removeatis idola a vobis de tot Messias.

Et Mauri habent idolum unum, sc. Mahomet, quem dicunt prophetam Dei. O qualis propheta luxuriosus ! Et ideo convertimini, ut habetur 1, Reg. 7 : « Preparate corda vestra, etc... manu Philistiim. »

Ad tertium *de sua morte dolorosa,* (dic ut in sermone antecedenti) (*sic*).

Sed volo dicere modicum pro Judeis ; nam multi sunt, qui impediunt conversionem Judeorum sagittando eos, ex quo sunt conversi, dicendo ; *marrano, retajado*, et *perro*, etc. (1). Quod non deberitis facere : quia Deus Christus fuit circumcisus, et beata Maria, Judea, etc.

(1) *Marrano*, idem quod neophitus ; *retajado*, idem quod circumcisus ; et *perro*, canis.

Digitized by Google

De beata Agnete

(Canevas autographe)

Collaudabo te, Deum salvatorem meum.
(Eccl. 51.)

Dupliciter est laudandus a nobis Deus propter dona misericordie sue, sc. mente, affectuose recogitando. Ratio est propter duplicem naturam, sc. spiritualem et corporalem, in nobis. Secus est de angelis et beatis animabus. Is. 63 : « Miserationum Dei recordabor. » Ecce laus mentalis « Laudem Domini » : ecce vocalis ; « super omnibus », etc. — Propter plurima ergo dona divine misericordie accepta dicit beata Agnes : « Collaudabo » id est simul corde et ore laudabo, « te Deum salvatorem meum ».

Nota septem dona Dei in ea.

Divinam caritatem : patet quoniam noluit amorem filii regis, nec ejus dona recipere.

Veram fidelitatem : patet quando nec blanditiis nec terroribus prefecti Christum voluit relinquere.

Puram virginitatem : patet quoniam filius prefecti volens eam contingere suffocatus statim est.

Dignam honestatem : patet quoniam primo per capillos, secundo per vestem candidam induta est.

Claram sanctitatem : patet quoniam suffocatum a dyabolo suis precibus suscitavit.

Firmam stabilitatem : patet quoniam inter flammas intrepida, tandem gladio martyrium consummavit.

Eternam felicitatem : patet quoniam parentibus ad ejus sepulcrum vigilantibus ne flerent imperavit.

De sancta Agnete, virgine

(Recueil imprimé)

Collaudabo te, Deum salvatorem meum.
(Eccl. 51.)

Hoc festum beate Agnetis positum est inter duos martyres, sc. beatum Sebastianum et beatum Vincentium, quia optime convenit una rosa alba per virginalem puritatem inter duas rubeas per martyrii acer-

Digitized by Google

bitatem. Et de ipsa erit sermo, et habebimus multas bonas doctrinas pro vite gubernatione. Sed primo salutetur virgo Maria.

Thema propositum in persona beate Agnetis Christo loquentis, de beneficiis receptis sibi regratiantis, dicit : « Collaudabo te, Deum », etc. Pro cujus declaratione et materie introductione, sciendum quod in sacra scriptura inveniuntur due species laudis, ut dicit sanctus Thomas : sc. laus mentalis, et laus vocalis.

Laus enim mentalis est, quando homo actualiter sive mentaliter cogitat gratias et beneficia a Deo recepta cum cordis affectione cogitando. O quot gratias fecit mihi Deus ! Primo, quia me creavit creaturam rationalem ad imaginem et similitudinem suam, cum potuisset me fecisse lapidem, vel lignum, vel animal brutum. Ergo, Domine, et tantum teneor vobis ! Item quia de christianis et inter christianos fecit me nasci, quia si in infidelibus et inter infideles fuissem natus, etiam fuissem damnatus, et fuissem infidelis ut ipsi. Item quia me redemit. Voluit enim suspendi in ligno crucis, ne aliquis sibi credens et obediens suspendatur in ligno inferni. Item quia ad sanctum baptismum me perduxit. O quot sunt filii christianorum qui moriuntur sine baptismo ! Item de peccatis que ego feci non me statim punit, imo dulciter ad penitentiam expectat. Istam gratiam, Domine, angelis peccantibus non concessistis. Et sic de aliis beneficiis. Talibus cogitationibus mentis, absque vocali expressione Deum laudamus. Et iste sunt laudes mentales que multum placent Deo. Isto modo sancti angeli et beati qui sunt in celo laudant Deum mentaliter. De ista laude David dicit : « Laudate Dominum de celis, laudate eum in excelsis. » (Psal. 148.)

Secunda laus est vocalis, quando predicta beneficia a Deo accepta non solum contemplantur mente, sed etiam proferuntur ore dicendo : O Domine ! quot gratias mihi fecistis ! Primo in creatione, etc. Isto duplici modo tenemur Deum laudare. Ratio quia essentia humana in duobus consistit, sc. in anima et corpore, quia non est homo disjunctum sive divisum, sed totum compositum facit hominem, sc. anima et corpus, ideo tenemur ad duplicem laudem, sc. ad mentalem que est principalis, et placet Deo, et ad vocalem. Prima correspondet anime. Secunda corpori. Prima non est perfecta sine secunda, nec secunda sine prima, quia corpus sine anima non est homo. Ideo apostolus : « Offeramus hostiam laudis semper Deo », id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. (Heb. ult.) Et ideo pro anima vult Deus cogitationem, et pro corpore colloquium. Et ideo de angelis spiritualibus non vult nisi affectuosam cogitationem, quia non habent corpus. Item de avibus et bestiis non vult nisi colloquium, quia corporales sunt ut habetur Dan. 3 : « Benedicite, omnes volucres... et pecora Domino. »

Digitized by Google

Propter plurima ergo dona a divina misericordia recepta dicit beata Agnes : « Collaudabo », id est, semper mente, vel corde, vel ore laudabo, sc. in qualibet specie laudis, « te, Deum salvatorem meum ». Patet thema.

Nota septem dona magna que Deus dedit beate Agneti, sc. primum est :

Sancta charitas ;
Vera fidelitas ;
Digna honestas ;
Perfecta puritas ;
Clara sanctitas ;
Plena firmitas ;
Alta felicitas.

Dico primo quod beata Agnes recepit a Christo sanctam charitatem. Charitas enim est amor Dei, sui ipsius, et proximi ordinatus. Amor enim Dei debet esse in corde christiani sicut oleum in lampade natans super aquam, omnia mundana despiciens propter Deum. Istam charitatem habuit beata Agnes. Cum enim esset puella in civitate Rome valde nobilis et generosa, recepit tantum amorem et devotionem ad Christum, quod sicut crescebat corporaliter, ita etiam crescebat virtualiter in anima in Dei amore. Et ista est optima proportio. Unde cum esset duodecim annorum, erat devotissima in anima et in corpore. Ratio est, quia sicut lucerna cristalina de se est pulchra, pulchrior tamen est quando candela ardens in ea ponitur. Ita est de persona que est pulchra corpore, sed quando intra tenet candelam divine gratie, pulchrior efficitur. Cum autem secundum consuetudinem antiquam Romanorum puelle nobiles addiscerent artes liberales in certa schola, juvenes Romani semel voluerunt videre puellas a scholis redeuntes, et posuerunt se juxta portam schole. Inter quos erat filius prefecti, qui prefectus erat quasi rex, et secundus post Imperatorem, attendentes pulchritudinem puellarum. Lupi enim libenter vadunt ad cadavera. Inter alias puellas Agnes fuit judicata pulchrior. Et intantum filius prefecti adamavit eam, quod quasi rabidus effectus est pre amoris magnitudine. Et ut inclinaret eam ad consentiendum, ut esset uxor sua, obtulit Agneti jocalia que communiter placent mulieribus. Sicut piscator volens capere pisces ponit escam in hamo, quam scit piscibus placere. Beata autem Agnes videns suas stultas salutationes, noluit jocalia recipere, sed ad terram projecit jocalia, et pedibus calcavit dicens : « Discede a me, pabulum mortis, quia jam ab alio amatore preventa sum, quem cum amavero casta sum, cum accepero virgo sum, cum tetigero munda sum. » Et sic, eo despecto, recessit. Cogitate quid dixerunt alie puelle

Digitized by Google

et domicelle. O quid erit de ista superbiosa, et nunquid posset habere meliorem virum, etc.? Ecce quomodo habuit sanctam charitatem ad Christum, despiciens propter amorem Christi omnia mundana. Et poterat dicere : « Regnum mundi et omnem ornatum seculi centempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi », ut cantatur in Ecclesia.

Moraliter hic habent doctrinam omnes mulieres cujuslibet status, si volunt esse caste et bone, quod non recipiant dona a viris, quia que dona recipiunt vendunt sese. Sicut pisces capiuntur hamo, sic mulieres dono. Mulier pauper ut vidua, vel monialis seu puella, potest recipere eleemosynam a viro. Aliud enim est recipere eleemosynam, aliud jocale vel munus. Et hanc differentiam potest cognoscere ex parte dantis, ex parte dati, et ex modo dandi. Neque mirum si mulieres capiuntur et obligantur donis. Quia magni domini et sapientes, judices et advocati, qui volunt esse casti in justitia, caveant ne munera recipiant, quia et leges subvertunt, et excecant oculos judicum, et capiuntur, ideo dixit lex divina : « Non accipies personam... quam odit Dominus Deus tuus. » (Deut. 16.) Ideo antiquitus quando aliquod magnum negocium volebant committere alicui, perquirebant judices qui non reciperent dona. Sed modo non invenirentur hujusmodi.

Dico secundo quod secundum donum fuit vera fidelitas, quia valde fuit fidelis suo sponso Domino Jesu Christo, quia nec donis, nec promissis, aut minis voluit ipsum dimittere, cui per votum castitatis se dederat, ut patet in ejus legenda, ubi sic dicitur :

Postquam autem filius prefecti vidit se ab ea ita despectum, lecto prosternitur de febre amoris sive rabie. Et per alta suspiria amor a medicis aperitur, dicentibus patri : Filius vester nullum defectum corporalem patitur, sed patitur febrem amoris. Et ideo, vos qui estis pater ejus, secrete queratis causam istius. Cum autem pater interrogasset causam hujus, aperuit filius cor suum patri, sibi referens qualiter Agnes, filia talis nobilis, ipsum despexit. Et nisi haberet ipsam uxorem, quod moreretur. Respondit pater : Fili, non dubites, habeas bonam spem, quia ipsa erit uxor tua, vel concubina. Et statim prefectus misit pro ea. Et beata Agnes cum parentibus et amicis venit coram prefecto. Qui primo affabiliter dixit, quomodo dii fecerunt sibi magnam gratiam quod esset uxor futura filii sui, qui tamen poterat ducere filiam regis in uxorem, et similia verba. Cui respondit beata Agnes : « Jam ab alio preventa sum. Ipsi enim sum desponsata cui angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. » Tunc prefectus novit ipsam esse christianam, et voluit eam terroribus inclinare quia tunc erat maxima persecutio christianorum sive contra christianos, dicens : Filia, oportet unum ex duobus

Digitized by Google

eligere, vel quod sis uxor filii mei, vel tormentis interire. Sed ipsa terrentem sicut blandientem deridebat dicens, nunquam se ducturam hominem mortalem in virum. Ecce hic vera fidelitas ad sponsum suum. De quo dicebat : « Anulo suo subarravit me Dominus meus Jesus Christus, et tanquam sponsam decoravit me corona. Posuit signum in faciem meam, ut nullum preter eum amatorem admittam. » — Nota : Anulo suo. Anulus est fides christiana figure circularis, quia volvitur in duodecim articulis. Lapis preciosus est meritum fidei. Signum in facie est character quem recepit in baptismo.

Moraliter hic habent exemplum mulieres maritate, seu moniales que receperunt Christum in sponsum. Ex quo enim se dederunt uni, non recipiant alium, alias essent infideles non servando promissum. Beata autem Agnes licet secrete Christum in sponsum recepit per votum castitatis, non tamen fuit excommunicata propter sententiam de clandestinis. Dicatur hic contra hoc quia multe clandestine desponsantur, et post propter timorem parentum non audentes revelare, contrahunt cum aliis, et nihil faciunt, vel si revelatur contradicunt, et male. Sed optima punitio esset quod pater non daret sibi dotem, ex quo sine scitu suo desponsaverit sibi virum. De his dicit scriptura : « Hic autem qui in matrimonio... uxorem non dimittat. » (1. Cor. 7.)

Dico tertio quod tertium bonum est digna honestas, quia Deus voluit eam honestissime conservare. — Ad practicam dicatur ex legenda.

Videns ergo prefectus, quod nec amore nec timore voluerit desponsari cum filio suo, qui moriebatur amore sui, opposuit sibi titulum christianitatis, et dedit sententiam contra eam, sc. ut duceretur ad lupanar, premisso precone dicente, quod omnes juvenes qui vellent cum tali domicella habere placentiam, ibi convenirent, quousque moreretur. — O qualis judex iste fuit ! Hoc fecit ut ejus filius ad minus videret eam nudam, etc. Ista sententia fuit sibi durior quam sententia mortis. Tunc ipsa elevatis oculis in celum ad suum sponsum Jesum Christum flens oravit dicens : O Domine, non placeat vobis, et non sustineatis tantam confusionem quod isti infideles videant me nudam, et, ne corpus meum polluatur ; tamen quia vos, Domine, nudus fuistis in cruce, parata sum sustinere sicut vobis placuerit. — Dicatur quomodo cum denudaretur, tunc visibiliter angeli submiserunt ejus capillos in tanta densitate, quod ita perfecte fuit cooperta, ac si esset veste induta, ita quod nihil videbatur de ejus corpore. Et sicut debuerant converti viso hoc miraculo, ita dixerunt quod erat incantatio, et arte magica hoc factum fuisse. Et tunc precepit prefectus ut ad lupanar duceretur. Ducebatur autem ad lupanar ut ovis ad macellum, et introduxerunt eam in domum cujusdam meretricis, et ibi invenit angelum circundantem eam tanto lumine, ut nullus

Digitized by Google

eam pre splendore videret, induens eam veste candidissima, quam sponsus sibi misit : quam induit, gratias agens Deo, et poterat dicere : « Gaudens gaudebo... vestimentis salutis. » (Esa. 61.)

Nota de vestimentis, sc. capillorum densitate, secundo veste candida. Ecce dignitas honesta. Ideo dicit : Collaudabo, etc. — Moraliter : Duplici veste honestatis induere nos debemus exemplo beate Agnetis, sc. capillorum densitate. Capilli enim sunt volatiles, et signant cogitationes volatiles et diversas, quas induere debemus per honestatem, nihil inhonestum cogitare in corde. Secundo in corpore induamur veste candida honeste conversationis, cavendo ab opere immunditie carnalis. Iste vestes sunt nobis necessarie, alias quando anima sine istis apparet coram Christo et sanctis, est ita abominabilis quod statim mittitur ad infernum. Ideo dicit Jo.: « Beatus qui vigilat... turpitudinem ejus. » (Apo. 16.)

Dixi quarto quod quartum donum est alta et perfecta puritas. Triplex est gradus puritatis, sc. conjugalis, vidualis et virginalis. Unde dicit Beda : Bona est castitas conjugalis, melior est continentia vidualis, optima est perfectio virginalis. Magnam gratiam fecit creature Deus quam conservat in puritate virginitatis, cum sit vitro debilior. Vitrum enim non frangitur nisi tangatur, virginitas autem solo visu concupiscentie leditur, non tamen perditur nisi per opus quis voluntarie delectationem illam veneream fuerit expertus, ut dicit doctor sanctus Thomas... Beata autem Agnes fuit a Deo in puritate conservata. — Unde cum esset in dicta domo meretricis, et multi juvenes essent ibi congregati, et aliqui intrassent ad eam, videntes tantum lumen, timebant et egrediebantur. Interim venit prefecti filius cum sodalibus suis, deridens alios, ingressus est audacter, et videns tantum lumen circa virginem, et irruens in eam in ipso lumine, priusquam eam manu tangeret, cecidit in faciem suam, et suffocatus a diabolo expiravit. Videns autem unus quod moram faceret, credens ipsum cum ea delectari, ingressus est ad juvenem, et invenit eum mortuum, et exclamavit dicens : Piissimi Romani, succurrite ! meretrix ista magicis artibus prefecti filium interfecit. — Prefectus autem audiens, venit illuc, et videns filium unigenitum suum mortuum, dicit beate Agneti : Crudelissima feminarum, in meo filio voluisti tuam magicam artem demonstrare ! — Respondit beata Agnes : Ille cujus voluntatem volebat perficere, in eum potestatem accepit.

Patet ergo alta puritas beate Agnetis ex dictis, quia nec cogitatione nec opere virginitatem amisit. Ideo apostolus dicit virginibus : « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » (2. Cor. 11.)

Nota cum dicitur virginem castam. Multe persone sunt caste sine virginitate, ut ille que fuerunt de matrimonio, vel alias, sed post vivunt

Digitized by Google

caste. Alie autem sunt virgines sine castitate, quia nunquam fecerunt actum, sed sustinent tactus, amplexus et oscula. Talis virginitas modicum valet. De talibus Hieremias fecit planctum dicens : « Virgines Syon squallide, id est, inverecunde et impudentes, et ipsa, supple virginitas, oppressa amaritudine. » (Threnorum 1.) Virginitas enim non solum consistit cavendo ab actu, sed etiam oportet cavere ab actu et cogitationibus malis ; imo etiam virgines omnes sensus corporales debent habere castos, ut, sc. nolint videre vilitates, nec audire nec loqui de materia carnali, qu'a alias est virginitas fetens.

Dico quinto quod quintum donum est clara sanctitas. Aliqui enim habent sanctitatem, sed non claram in mundo, imo obscura est, et abscondita, quia abscondunt eam timore vane glorie, et benefaciunt juxta Christi consilium : « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis », etc. (Mat. 6.). Sed alia est sanctitas aliquorum, quam Deus publicat et clarificat etiam miraculorum testimonio ad laudem Dei, et dicit Christus istis : Sic luceat lux vestra, etc. (Mat. 5.) Talem sanctitatem claram habuit beata Agnes. Unde cum prefectus genibus flexis et flendo supplicaret sibi dicendo : In hoc apparebit quod non magica arte ista fecisti, si deprecata fueris angelum tuum, et restituas mihi filium. — Respondit beata Agnes : Quia tempus est ut virtus Domini mei Jesu Christi manifestetur, egredimini foras. Orante ergo beata Agnete apparuit ei angelus Domini, et elevavit eam flentem, et juvenem suscitavit. — Cogitate qualiter petiit veniam a beata Agnete. Qui egressus foras cepit clamare : Unus est Deus in celo, et in terra, et in mari, qui est Deus christianorum. — O ! dixerunt sibi aliqui, quid dicitis ? — Respondebat : Ego scio quid dico. — Cogitate quomodo dixit multa de alio mundo, de inferno, in quo fuerat, de purgatorio, de paradiso, quia damnati possunt beatos videre in gloria usque ad diem judicii. Etiam multi ex hoc fuerunt conversi.

Dicatur contra illos qui dicunt quod nullus venit de alio mundo ; imo multi venerunt. Nunquid Christus, et Lazarus, et quam plures alii, et iste filius prefecti ? Ideo Christus : « Qui credit in me, opera que ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet. » (Jo. 14.) Tunc fuit completa ista promissio in beata Agnete. Queritur in glosa Aug. que sunt ista majora quam mortuos suscitare, cecos illuminare, et leprosos curare ? Et dicit ipse quod majus est de impio justum facere, quam celum et terram creare. Et hoc etiam dicit doctor Thomas. — In hoc miraculo nota duas resurrectiones magnas : Unam corporis, quia divina virtute anima que erat in inferno fuit reunita corpori orationibus beate Agnetis. Secunda fuit resurrectio anime, quia de infidelitate et mala vita ad fidem Christi et bonam vitam fuit conversus, hoc est majus quam

Digitized by Google

suscitare corpus. Sed aliqui plus admirantur de miraculis corporalibus quam de spiritualibus, que sunt majora. Dicunt aliqui : O si modo fierent ista miracula ! — Dico quod majora fiunt. Magnum miraculum esset suscitare aliquem, qui jam per mensem vel per annum fuit mortuus. Majus miraculum esset suscitare Christianos peccatores in anima mortuos ex peccatis, qui fuerunt mortui v ou x annis. Item magnum miraculum est cecum illuminare, majus est illuminare infideles cecos in fide. Item magnum miraculum est leprosos curare, sed majus est miraculum luxuriosum et corruptum corrigere et emendare. Item magnum miraculum est contractum curare, majus acidiosum, ut vadat ad missam, et ambulet per bona opera. Item de mutis, quia modo loquuntur confitentes peccata sua. Item orando devote. Item de surdis, sed modo audiunt sermones. Ecce quare dicit : et majora horum facient. Item magnum miraculum esset si homo mortuus membratim divisus suscitaretur, sed majus miraculum est quando corpus mixtum, sc. domus, villa, civitas, vel regnum, quod est divisum, unitur et vivificatur in uno, sc. Spiritu Sancto in bona pace et concordia. Homines autem carnales solum attendunt ad miracula carnalia, quibus dicit David : « Venite et videte opera Domini. » Nota quod prodigium est miraculum quod sit supra naturam, quod intellectus vix potest capere vel intelligere.

Dixi sexto quod sextum donum est plena firmitas, sc. in martyrio, cum esset tenera et delicata, XIII annorum. Viso miraculo prefectus de filii sui suscitatione, voluit ipsam liberare, sed templorum pontifices timentes perdere lucrum, si populus ad Christum converteretur, commoverunt et turbaverunt totum populum. Prefectus autem hoc videns, obmutuit, sed ne videretur contra templorum pontifices aliquid dicere, vicarium derelinquens, recessit cum filio tristis, quia eam liberare non potuit. Tunc vicarius Aspasius igne copioso accenso jussit eam jactari in medium, quod cum fuisset factum, flamma in duas partes divisa est, ipsamque in nullo contingebat incendium, sed ministros exurebat.—Tunc beata Agnes orationem fecit dicens : « Omnipotens, adorande, colende, tremende pater Domini mei Jesu Christi, benedico te quia per filium tuum evasi minas impiorum, et spurcitias diaboli impolluto calle transivi, et inter flammas intrepidam ad te pervenire, bone Jesu, permittis. » Videntes hoc gentiles multi convertebantur, alii autem contradicebant. Aspasius autem populi seditionem non ferens, gladium in ejus gutture immergi fecit. Et sic migravit ad Christum. Patet ergo ejus plena firmitas. Unde scriptura dicit : « Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo. » (Prover. ulti.) — Moraliter hic habemus exemplum in beata Agnete perseverandi in bona vita incepta, non desistendi timore verborum detrahentium, nec tentationibus diaboli, nec

Digitized by Google

occasionibus mundi. Ideo dicit apostolus : « Itaque, fratres mei, stabiles estote... in Domino. » (1. Cor. 15.)

Dico septimo, alta felicitas. Licet enim sit doctrina firma quod martyres sunt in felicitate paradisi, singulariter tamen fuit ostensum de beata Agnete. Fuit enim ejus corpus sepultum honorabiliter, et cum juxta patrie illius consuetudinem parentes ejus flentes vigilarent ad ejus sepulchrum, viderunt exercitum virginum pretereuntem cum ingenti lumine, que omnes erant indute cycladibus auro textis, et palme in manibus earum in signum victorie. Inter quas viderunt beatam Agnetem, et ad dexteram ejus agnum nive candidiorem ; que stans dixit eis : Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete, quia cum his omnibus lucidissimas sedes accepi et pertransivi. — Ex isto miraculo fit festum Agnetis secundo.

Moraliter dicatur hic contra illos qui indiscrete flent illos, de quibus sunt certi, quod sunt in paradiso, sicut sunt pueri innocentes, ideo non sunt flendi nisi parum, satisfaciendo nature. Sicut si rex duceret secum filium vestrum, ut ipsum, faceret magnum Dominum, et de hoc ploraretis. Idem in proposito, etc. Ideo dicit apostolus : « Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent. » (1. ad. Thes. 4.) Flendi autem sunt mortui qui damnantur.

Le ms de Valence n'offre que des nuances d'idiome et de style ; le fond est absolument le même : *affectuoso pensamiento de corazon ; sonorozo faulamiento de boca. — Scultetis bene, mes filles. — Aljofar grossum : Esquivate joyels. — Afalafando*, etc.

... Cum ipsa esset de Roma, de magno genere, juvenis etate XIII annorum, erat multum pulchra et formosa corpore, non solum anima, et relucebat quia lumen gracie Dei erat intra eam, et faciebat eam pulchriorem quam esset de seipsa...

Et cum vidit eam, appropinquavit se ad eam, dando ei annulum auri, et ipsa convertit faciem versus alias puellas, contemnendo illud... Et juvenis credens quod de majoribus jocalibus et donis volebat, recepit altera die lapides preciosos ut sibi daret ; et cum in manu ostendisset, appropinquando se ad eam, cum manu dedit sibi, et vertit in terra.

Et tunc dixit pater : Bene es stultus ! surge et comede, nam ego tibi faciam habere a *dos partidos,* vel pro uxore, vel pro concubina. — Et modo hic faciamus punctum *(sic : un point, c'est tout).* — Ex quo cum parentes ejus starent ad sepeliendum eam flentes, ecce quod ipsa apparuit eis cum aliis multis virginibus, processione facta cum veste alba et luminibus.

Digitized by Google

De beato Vincentio

(Canevas autographe)

Beatus vir qui in sapientia morabitur.
(Eccl. 14.)

Nota quintuplicem sapientiam in beato Vincentio.
Philosophicam in addiscendo veritatem ;
Theologicam in docendo sanctitatem ;
Apostolicam in sufferendo adversitatem ;
Angelicam in preferendo deitatem ;
Et heroicam in consequendo felicitatem.

De prima, vera philosophantis sapientia fuit, propter adquirendam notitiam veritatis, a negociis hujus mundi, peccatis et delectabilibus corporis abstinere, sicut volens ditari se temperat ab expensis. Eccl. 2 : « Cogitavi in corde meo abstrahere », etc. — Nota hic quomodo sanctus Vincentius a pueritia studiis litterarum traditus, etc.

De secunda, sapientia theologica est verbo et exemplo docere homines tenere sanctitatem, sicut pictor docet discipulum et verbis loquendo, et coram eo lineas protrahendo. Eccl. 39 : « Tanquam imbres mittet eloquia sapientie... et faciet disciplinam doctrine. » — Nota hic quomodo sanctitate quoque insignis diaconi arce suscepta, vices pontificis diligenter explevit.

De tertia, sapientia apostolica est propter salutem proximorum sustinere adversa, sicut naute maris pericula navigando sustinent propter lucrum. Eph. 5 : « Videte, fratres, quomodo caute ambuletis. » — Nota hic tormenta que sustinuit propter fideles. II Thim. 2 : « Omnia sustineo propter electos, ut et ipsi », etc.

De quarta, angelica sapientia fuit Deum omnibus preferre, cum Lucifer et sui seipsos vellent extollere, sicut miles fidelis honorem sui regis sibi proponit. Sap. 9 : « Per sapientiam sanati sunt, sc. a peccabilitate, quicumque », etc. — Nota hic quomodo beatus Dei athleta Vincentius horrendo clausus ergastulo, etc.

De quinta, sapientia divina invincibiliter operatur ad finem quem intendit ; sic sapiens artifex perficit opus suum. Sap. 7 et 8 : « Sapientiam non vicit malitia. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter », etc. — Nota hic felicem transitum beati Vincentii. Mat. 10 : « Qui perseveraverit », etc.

Digitized by Google

De sancto Vincentio

(Recueil imprimé)

Beatus vir qui in sapientia morabitur.
(Habetur verbum istud originaliter, Eccl. 14.)

Per totum mundum inter christianos fit hodie festum beati Vincentii, de quo erit sermo noster. Sed primo salutetur virgo Maria, etc.

« Beatus vir, sc. hic per gratiam, et in futuro per gloriam, qui in sapientia morabitur. »

Pro declaratione hujus, et introductione materie, sciendum quod questio fuit inter antiquos philosophos, imo etiam inter theologos, que differentia est inter sapientiam et scientiam, quia sancta scriptura loquens de sapientia, dicit quod salvat creaturam, sc. occasionaliter, et etiam dicit quia scientia inflat. (1 Cor. 8.) Modo autem dimittendo opiniones philosophorum et theologorum, in textu Biblie ostenditur quid est vera sapientia, dicente: « Sapientia doctrine... ad conspectum Dei. » (Eccl. 6.) Nota « secundum nomen ejus », quia sapientia secundum nominis etymologiam idem est quod sapida scientia. Scientia enim dicit cognitionem veritatis de Deo et de creaturis. Sapientia autem plus dicit, sc. cognitionem de Deo et creaturis cum sapore devotionis. V. gr.: in theologia multi sunt qui habent scientiam theologie in intellectum ad disputandum, arguendum, respondendum, legendum et predicandum, sed in corde non sentiunt saporem spiritualis devotionis et dulcedinis, tales habent scientiam, sed non sapientiam. Tu enim scis legendo, predicando et studendo quod est unus Deus in essentia, et trinus in personis. Et quod filius Dei fuit incarnatus, natus, mortuus et passus. In istis sentis tu saporem amoris et devotionis? — Si dicas quod sic, tunc habes sapientiam. Si dicas quod non, tunc habes scientiam solum. — Idem si volumus loqui de jure canonico vel civili, quando vos, domine doctor, legitis vel disputatis, quando cogitatis divinam providentiam, quod isto modo Deus regit mundum, sc. quod homines sapientes regunt alios, vel ut habeant meritum justitie per eos ad administrandum per ordinationes, et malorum punitiones, si in his sentitis saporem, sapientiam habetis, sin alias, scientiam tantum, debetis dici sciens, et non sapiens. Idem de magnis philosophis et medicis, scientibus cursum celi et stellarum constellationes, et virtutes herbarum, lapidum et stellarum. In tali scientia si sentitis in corde devotionem, dicendo: O benedictus Deus! et qualiter disposuit et ordinavit ut ista inferiora regantur a superioribus corporibus! etc., tunc habetis sapientiam, alias scientiam. Ecce quare dicit: « Sapientia secundum nomen ejus », etc.

Sed heu! cum sequitur: « Et non est multis manifesta », quia licet

Digitized by Google

multi habeant scientiam, pauci tamen habent sapientiam. Habent enim magnam scientiam, et malam conscientiam. Ideo apostolus loquens de illis magnis philosophis dicit : « Quia cum cognovissent Deum... stulti facti sunt. « (Rom. 1.) « Quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei. » Ideo dicit thema : « Beatus vir, sc. beatitudine vite, et post beatitudine patrie, qui in sapientia morabitur. »

Appropriando autem thema ad beatum Vincentium, invenio quod in mundo habuit quinque sapientias, et non sunt plures, sc.:

Prima sapientia physica.
Secunda sapientia theologica.
Tertia sapientia apostolica.
Quarta sapientia angelica.
Quinta sapientia heroica.

Istis quinque sapientiis Deus in hoc mundo dotavit Vincentium. Ideo de eo appropriate dicit thema : « Beatus vir », id est virtuosus « qui in sapientia », etc.

Dico primo quod beatus Vincentius habuit scientiam physicam. Sapientia enim antiquorum virorum philosophorum in hoc erat, sc. ut haberent cognitionem veritatis de prima causa, et de aliis. Et abstinebant se ab omnibus delectationibus, maxime luxurie, que hebetat et obscurat intellectum. Vitabant enim negocia, ut haberent intellectum recollectivum, quia virtus unita fortior est seipsa dispersa, et cavebant a peccatis. Ideo Salomon magnus philosophus de se dicit : « Cogitavi in corde meo... transferrem ad sapientiam. » (Eccl. 2.) Vinum enim signat illa tria. Primo luxuriam, quia hebetat. Ideo apostolus Eph. 5 : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. » Secundo negocia temporalia, quia dant fumositates. Tertio delectationes, que impediunt profectum sapientie, quia vinum letificat cor hominis. (Psal. 133). Et ideo beatus Hieronymus refert de quodam philosopho qui cum transisset mare et accederet ad studium, amore scientie acquirende cum magno sacco nummorum pro expendendo ; et de nocte de nave imaginaretur in celo, et stellis, et constellationibus, et elementis, quam virtutem haberent, et quem cursum facerent, cogitabat in nummis ne furarentur per nautas : et ita non poterat quieto corde studere, sed imaginare in predictis. Quare deliberavit saccum nummorum projicere in mare ; et projiciens dixit talia verba : « Abite in profundum, male cupiditates : ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. » — Et ecce de alio philosopho reperitur, qui quando volebat studere, per visum turbabat se, sc. videndo volare avem, vel equum currentem et similia ; et ideo extraxit sibi oculos, ut non turbaretur per visum a studio. Item philosophi se segregabant de placitis carnalibus, sc. luxuria. Et ideo reperitur quod magnus philo-

Digitized by Google

sophus Plato semper fuit virgo ; et hoc solum propter amorem scientie, non autem propter amorem Dei et glorie ; quia ad illam, etc. Item, de placitis carnalibus se abstinebant, non multum comedendo, et bibendo, sed abstinebant, et jejunabant ; et ideo qui vult acquirere scientiam, sequatur in hoc philosophos. Istam sapientiam habuit beatus Vincentius.

Dicatur cum esset Arragonensis, de civitate Hostiensi, de nobili genere, et in domo patris esset occasio peccatorum, negotiorum, et delectationum, et beatus Vincentius vellet habere sapientiam, dimissa domo patris, ivit versus Augustam, ubi tunc erat studium generale de philosophia, et tantum profecit quod infra breve tempus omnes alios precessit. Tenebat istum modum quod summe vitabat peccata. — Dicatur hoc ad correctionem studentium, ne expendant in vanum pecunias parentum, etc. — Ista peccata vitabat beatus Vincentius, qui virginem se conservavit, sciens illud : « In malevolam animam... subdito peccatis.» (Sap. 1.) Nota : in malevolam animam per invidiam, vindictam, etc., non introibit sapientia, licet intret scientia. Ideo beatus Vincentius conservabat se jejunando, orando, et habebat intellectum clarum, et tenebat portam apertam. Item vitabat negotia mundana, que spargunt cor hominis, nec potest comprehendere. Ideo oportet quod sit vacuum negotiis. Ideo dicit sapiens : « Sapientiam scribe... sapientia replebitur. » (Eccl. 38.)

Tertio vitabat omnes delectationes carnis, imo macerabat corpus, ut ad sapientiam elevaret intellectum, sciens illud : « Omnis sapientia a Domino Deo est. » (Eccl. 1.) Non solum occupabat se in libris temporalibus philosophorum, sed etiam in libro spiritualis amoris, et devotionis Dei, quia sicut aqua descendit de alto fonte ad hortum, ita sapientia descendit ab illo fonte, de quo Eccl. 1 : « Fons sapientie Verbum Dei in excelsis. » Ideo si vultis quod descendat ad hortum cordis vestri sive intellectus, ponatis canale orationis et devotionis. Juxta consilium beati Jacobi apostoli : « Qui indiget sapientia, postulet a Deo. » (Jac. 1.) Ita faciebat beatus Vincentius, ideo habuit magnam scientiam physicam, ideo in laudem Dei et honorem beati Vincentii cantat Ecclesia : « Sanctus Vincentius a pueritia studiis literarum traditus, superna sibi providente clementia, gemina scientia efficacissime claruit. » — Nota gemina scientia. Philosophi ponunt duplicem scientiam, speculativam, sc. et practicam, quam dicunt praxim, quando scientia speculativa descendit in cor per devotionem et saporem, et in vita per sanctam conversationem. Sed modo solum curatur de scientia speculativa ut appareant. Quedam persone sunt que non habent scientiam speculativam neque practicam, sed sunt bestie ; quia etiam nesciunt quid habent credere, neque quid facere ; sc. non sciunt *Credo in Deum,* nec signare se. Et tales personas vocat David bestias, ut habetur Psal. 48 :

Digitized by Google

« Homo, cum in honore esset, etc., factus est illis. » Et nota, quod David bis replicat istum versum in hoc psalmo ; et primo dicit illum, propter scientiam speculativam ; secundo, propter scientiam practicam. Et ita sicut bestie non accedunt ad paradisum, nec etiam iste tales persone bestiales ; quia solum reguntur secundum inclinationem carnis.

Istam scientiam speculativam tantum habent Judei et Mauri, non autem scientiam practicam. Nam Judei intelligunt veritatem per prophetias claras, quod Christus Messias venit ; et ita habent scientiam speculativam, sed non habent practicam, quia nolunt converti, et ut christiani, vivere moraliter, timendo perdere honorem ipsorum. Et ita habent multam scientiam et modicam conscientiam. Idem de Mauris, qui intelligunt quod sua lex est bestialis, et volunt eam observare. Nota : efficacissime claruit, in superlativo, quia tres sunt gradus philosophice scientie, ut dicit Hieronymus ad Paulinum caput 6 : rationalis, naturalis et moralis. Rationalis autem ostendit modum ratiocinandi, disputandi, etc., ut grammatica, logica et rhetorica Et in isto gradu claruit beatus Vincentius. Naturalis est cognoscere motus celorum et stellarum, naturas elementorum, et similia, et in ista efficacius claruit beatus Vincentius. Moralis autem docet quomodo est vivendum secundum quatuor virtutes morales erga seipsum, et erga proximum suum tam in prosperitate quam in adversitate. Et in ista beatus Vincentius excellentissime claruit. Ideo dicit thema : Beatus vir in virtute, sc. meritoria, qui in sapientia, etc.

Moraliter modo est totum oppositum. Nam multi curant de philosophia rationali, disputando, arguendo et legendo, etc. Alii autem de naturali, scientes motus, et naturas, mutationes, generationes, corruptiones, et alterationes rerum, et astrologiam. Sed de tertio gradu philosophie et principali nullus curat modo ordinare vitam suam. Multi sunt qui habent intellectum plenum questionibus et sophismatibus, et voluntatem infectam, et plenam corruptionibus, et vitam plenam dissolutionibus. Melius esset habere ignorantiam, quia ignorantia que non est affectata excusat aliqualiter. Ideo dicit Dominus Jesus Christus : « Ille servus qui cognovit... plagis vapulabit paucis. » (Luc. 12.) Ergo melius esset nescire, quam scire et malam vitam tenere. Ideo dicitur de beato Vincentio : Efficacissime claruit.

Dico secundo quod habuit sapientiam theologicam, que major est quam physica ; que in hoc consistit, quod ex quo creatura tenet bonam vitam quam habet, et cum hoc ostendit aliis veritatem creatoris et creaturarum, non solum verbo docendo, sed etiam exemplo opere adimplendo, ita quod non solum dicat : vadatis ad paradisum ! sed : veniatis, sequimini opera mea ! quia sicut bonus pictor non solum instruit puerum

Digitized by Google

ore loquendo, sed etiam manibus operando, et lineando, etc. Ita est de bono theologo. Ideo de eo dicitur: Ipse tanquam imbres mittet, etc. (Eccl. 39.) Nota: ipse, sc. predicator theologus, tanquam imbres, quia predicatio tanquam aqua divinarum doctrinarum refrigerat ardorem superbie in superbis, avaritie in avaris, luxurie in luxuriosis, et sic de aliis. Et sicut pluvia facit fructificare in bonis operibus et meritis. Nota: ipse palam faciet, etc., ne dicat: Iste frater dicit et loquitur multa bona de humilitate, sed ipse est superbus. Pulchros sermones facit de misericordia et liberalitate, sed ipse est avarus. Multum commendat castitatem, sed ipse est luxuriosus, et sic de aliis. Istam sapientiam habuit beatus Vincentius excellenter. Ex quo enim habuit primam sapientiam, sc. physicam, dedit se ad studendum bibliam, et postquam in ea fuit bene instructus, incepit predicare, non solum verbo, sed etiam opere.

Postquam enim sua fama divulgata erat quod esset devotior, sanctior, et aptior aliis, episcopus Cesaraugustanus, Valerius nomine, volens providere ovibus suis de predicationis pastura, vocavit beatum Vincentium, et ordinavit eum usque ad diaconum. Et quum episcopus erat senex, ideo commisit sibi officium predicationis, per totam diocesim. Nam predicare officium est episcopale, ut patet in primis episcopis, sc. apostolis, ut dixit Petrus de se et de aliis: « Nos vero orationi, quantum ad missam, quia est principalis oratio, et ministerio verbi instantes erimus. » (Act. 6.) Ideo quando episcopus consecratur, in ejus dorso ponitur evangeliarium apertum, et dicitur sibi: Vade, predica verbum Dei, ut dicit Decretalis.

Hoc officium fuit principale filii Dei in hoc mundo, quare ait: « Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi predicem. Ad hoc enim veni. » (Mar. 1.) Tunc beatus Vincentius cogitavit imitari majorem predicatorem, sc. Christum, quia cepit facere et docere. Incepit ferventer predicare non solum verbo, sed etiam exemplo et opere. Primo enim fundavit suam vitam in magna humilitate, in tantum quod nec genere, nec scientia, nec dignitate superbiebat. Ideo poterat predicare contra superbiam. Item despiciebat pro Deo omnia bona temporalia. Ideo predicabat contra avaritiam, usuram, rapinam, furta, etc. Item quia conservavit se in virginitate, poterat predicare contra luxuriam, reprehendendo homines, mulieres, clericos, et religiosos, quia habebat faciem ferream sive carneam de ferro, etc. Item quia erat fundatus in charitate, predicabat contra rancores, malas voluntates. Quia erat abstinens, audaciter poterat predicare contra gulosos, et ebrios, et jejuniorum fractores. Et quia erat patiens, predicabat contra iracundos. Item quia erat diligens, nunquam erat otiosus, sed laborabat in operibus spiritualibus. Ideo poterat reprehendere otiosos, qui perdunt tempus eis a Deo concessum ad penitentiam. Prelatis predicabat, ut magis curarent de animabus quam de

Digitized by Google

redditibus. Clericis, quod haberent devotionem. Religiosis, obedientiam. Dominis villarum et communitatum rectoribus, ut facerent justitiam et vitarent peccata notaria. Subditis, fidelitatem. Divitibus, misericordiam. Pauperibus et tribulatis, patientiam.

Sed modo hic venit bene una questio : nam dicent Mauri : « Quomodo est, frater, quod dixistis, quod beatus Vincentius predicabat Judeis, et de Sarracenis nihil dixistis : cum Cesarauguste, et in illis partibus satis sint Mauri ? » Et respondeo, quod ideo non feci mentionem, quod beatus Vincentius predicaret Mauris, sed Judeis, quia tunc tempore beati Vincentii adhuc non erant Mauri, sed Judei. Nam Mauri sunt ab octingentis annis usque huc : nam ante octingentos annos, omnes erant christiani. Et ideo tempore beati Augustini, adhuc non erant Mauri, quia ipse fuit episcopus de Hippona. Et ideo Mauri nihil aliud sunt, quam Christiani renegati. Et ecce quomodo fuerunt renegati, et habuerunt principium deceptive. Nam cum quidam monachus niger, appellatus frater Sergius, tunc non posset attingere quandam dignitatem a Papa (et habebat magnam scientiam speculativam, sed non practicam, quia malam conscientiam habebat), transivit ultra mare, et ibi fecit, cum Mahomet homine incantatore et subtili, quod ipse se faceret prophetam Dei, et ipse Sergius predicaret illud esse verum ; et tenuerunt hunc modum : mittendo columbam comedentem in aurem Mahometi, etc.; et ita inde crediderunt erroribus suis. Et de hoc fuit prophetatum Jude, v. 18 et 19 : « In novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus », etc.

Ecce quomodo beatus Vincentius habuit sapientiam theologicam. Ideo de eo cantat Ecclesia : « Sanctitate quoque insignis archidiaconatum suscepit, et vices pontificis diligenter exequebatur » : quo modo tam gloriosum officium predicationis debet exequi, cum diligentia sive diligenter.

Et quod peccatum est illorum qui solum ore curant exequi officium predicationis, et non opere ! Vultis intelligere quod peccatum est ? — Ac si aliquis iret ad papam vel regem pro aliqua dignitate seu beneficio obtinendo, et rex vel papa de hoc fecit ei literam vel bullam optime scriptam, tamen ille non curat de sigillo, nihil obtineret quando vellet intrare possessionem dignitatis, quia non adhiberetur ei fides. Ita est de predicatoribus, quibus Deus promittit magnam dignitatem et beneficium in celis : « Qui fecerit, sc. opera bona, et docuerit alios ore ut faciant, hic magnus vocabitur in regno celorum. » (Math. 5.) Si ergo nos de isto beneficio volumus habere literam seu bullam, id est sermonem optime ordinatum, colore rhetorico adornatum, cum magnis autoritatibus originalibus, realibus, et vocalibus, sed si ibi non est sigillum bone vite, non datur fides verbis, non penetrant corda gentium ut convertantur, et corrigantur. Ideo necessarium est sigillum quod dat autori-

Digitized by Google

tatem doctrine. Ideo ex sigilli defectu multi amittunt beneficium a Christo promissum, dicente Christo : « Qui, sc. ille qui habet predicare, solverit unum... in regno celorum. » (Math. 5.) Minimus, id est nullus, quia nunquam intrabit in illud. Ideo dicebat apostolus universalis predicator : « Non audeo aliquid loqui... in virtute Spiritus Sancti.» (Rom. 15.)

Dico tertio quod tertia sapientia est sapientia apostolica, que in hoc consistit, sc. predicando verbo, et opere, et cum hoc propter honorem Dei et salvationem animarum laborando, per mundum discurrendo de villa in villam, etc., exemplo Christi de precepto : « Euntes in mundum universum. » (Math. ult.) Quemadmodum mercatores per terram, et marinarii per mare laborant cum magnis periculis pro modico lucro, ita apostoli et predicatores apostolici laborant per mundum ut Christum lucrifaciant. O quod lucrum portabunt in judicio Paulus, et Petrus, et alii ! Ideo predicatoribus apostolicis dicit apostolus : « Videte, fratres, quomodo... quoniam dies mali sunt. »(Ad Ephes. 5.) Istam sapientiam habuit beatus Vincentius, quia non solum in civitate Cesarauguste laborabat predicando, sed per villas et castra cum magnis periculis propter infideles. Tunc enim temporis fuit maxima persecutio christianorum : Imperantibus Diocletiano et Maximiano, qui miserunt unum gubernatorem, qui tormentis cruciabat et occidebat christianos qui nolebant fidem Christi abnegare. Crudelis dominus, sed crudelior minister. Et fuit sibi dictum quomodo beatus Vincentius fuit captus ex precepto Daciani, qui ipsum captum, cathenatum et pedestrem misit ad Valentiam, ubi sunt diete multe, ad quas ivit oneratus cathenis et ferro. Quale fuit istud tormentum ! Et hoc fuit primum tormentum, sed cogitans onus Christi quod Christus portavit quando ducebant ad crucifigendum, patienter portavit attendens ad verbum Christi dicentis : « Si quis vult... et sequatur me. » (Math. 16.)

Secundum tormentum fuit, quia Dacianus noluit quod statim presentaretur sibi, ut magis timeret, et mansuesceret, et precepit ut poneretur in carcere sine cibo et potu tribus diebus. Et cum corpore esset ibi detentus, anima ibat per plateas paradisi contemplando, et cum ista confortatione transivit. Cogitate quomodo oneratus ferro dormiebat in terra et erat sine cibo, et poterat dicere recte cum apostolo : « Nostra conversatio in celis est », quantum ad animam ; et ulterius dicitur : « Unde etiam salvatorem expectamus... subjicere sibi omnia. » (Phil. 3.) — Tertium tormentum fuit quando illa die fuit Daciano presentatus, et videns ipsum pulchrum juvenem et rubicundum, et in nullo alteratum, credens quod custodes ei ministrassent cibaria, voluit eos occidere. Et dixit beatus Vincentius : Non occidas eos, quia bene tenuerunt tuum crudele preceptum. Tunc dixit sibi Dacianus quod abnegaret fidem

Digitized by Google

Christi, alias omnia tormenta expenderentur in eum. Respondit beatus Vincentius : « Scito nepharium esse apud christianos deitatis cultum abnegare. Tormenta tua non timemus, quia per ipsa deducimur ad coronam, et per mortem ad vitam. Insurge ergo, miser, et toto malignitatis spiritu debacchare. Videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quam possis ipse qui torques ». O qualis Christi miles intrepidus ! Et statim denudaverunt eum. — Quartum tormentum fuit, quia statim positus in eculeo, sed cogitans penam Christi in cruce pendentis, patienter sustinuit illud tormentum. Cui dixit Dacianus : O miser ! miserere tui, etc. Beatus autem Vincentius alacri vultum respondit : Hoc est quod modis omnibus exquisivi. — Quintum tormentum fuit, quando cum falcastris ferreis ejus caro crudeliter lacerabatur ; ipso autem dicente : Non sunt condigne passiones hujus temporis, sustinuit patienter. — Sextum tormentum fuit de laminis ferreis ignitis ad ejus latera applicatis, ipso dicente : Probasti cor meum et visitasti nocte, sc. tribulationis, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. — Etiam sustinuit septimum tormentum, quando depositus de eculeo positus fuit in craticula, ut beatus Laurentius. De hoc cantat Ecclesia : « Assumptus ex eculeo levita Vincentius, atque ad patibulum raptus, moras carnificum arguendo ad penam alacriter properabat. »

Dicatur cum fuit in craticula ferrea, volvebant eum projicientes sal in ignem, Christi miles preciosus levita Vincentius ut tribunal sponte rogum, id est focum conscendit intrepidus, cujus salis crepitantis per corpus minutie sparsim ibant, atque prune vernabantur sanguine. — Octavum tormentum fuit quod amotus de craticula positus fuit in carcere tenebroso, pedibus constrictis ligno ; et tunc sternuntur fragmenta testarum, ut quomodocunque se verteret, vulnera ipsa inveniant. Privatur omni consortio humano, ut si non moreretur, darentur sibi alia nova tormenta ; sed adsunt angeli, lux refulget in carcere, laxantur ligna a pedibus, testarum asperitas vertitur in florum mollitiem, dantur laudes Deo, et angelice vocis suavitas procul diffunditur. Evigilantes custodes et hec videntes cum multis aliis cernentibus ad dominum convertuntur.— Ecce principalia tormenta que beatus Vincentius sustinuit in Dei honorem, et in animarum salvationem. Ecce hic sapientia apostolica. Et poterat dicere cum apostolo : « Omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur. » (Timo. 2.) Igitur : Beatus vir qui in sapientia, etc.

Moraliter : Melius forum possumus nos habere de paradiso. Contemplamini hic quomodo chare vendidit Christus suis amicis, ideo faciamus penitentiam, et laboremus in bonis operibus. De illis qui nolunt laborare dicit David : « In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur. » Glosa : sed cum demonibus in inferno.

Digitized by Google

Dico quarto quod quarta sapientia est sapientia angelica, que in hoc consistit, sc. in omnibus angelorum operibus. Ipsi preferunt et preponunt honorem Dei et gloriam super omnia. Hoc declaratur sic : In principio enim mundi, antequam Deus creasset hominem, Deus creavit angelos, inter quos Lucifer erat major et sanctior, ut dicit Gregorius. Qui voluit Deo parificari, et revelavit hoc aliis angelis, et multi consenserunt, dicendo quod esset bonum, velut adulatores, cupientes dominis complacere. Boni autem angeli ut Michael, Gabriel et Raphael, non consenserunt, immo contradixerunt, preferentes et preponentes honorem Dei, et ejus gloriam. Ecce sapientia angelorum, ideo confirmati sunt in gratia. « Per sapientiam sanati sunt... a principio. » (Sap. 9.) Nota : Per sapientiam sanati sunt ab infirmitate, sc. creaturarum, que est peccabilitas, quia omnes creature erant peccabiles, sed sancti tunc fuerunt sanati angeli, quia confirmati fuerunt sancti in gratia et in gloria quam tunc habuerunt. — Et de hac creatione angelorum non habent Judei : nam Moyses in principio Biblie nos curabat facere mentionem de gloria, sed de terra, faciendo mentionem de bestiis, non de angelis glorie : ideo quia loquebatur populo judaico rudo, et dure cervicis, qui non intelligebant nisi terrena. Et ideo nostra Lex nova facit mentionem de angelis. Istam sapientiam habuit, sc. Vincentius, quia in nullo tormentorum mortuus fuit, ut Dacianus confunderetur, et Deus haberet gloriam et honorem. Quoniam enim Dacianus audivit miraculum de his que in carcere visa sunt, et audita conversione multorum dixit : Victi sumus. Et insaniens dixit : Reponatur in lecti mollitie, ut post renovetur iterum ad tormenta. Et habuit medicos, et fingens se ipsum dimisisse, permisit ut christiani curarent de eo, ut cito fortificatus duriora tormenta sibi daret. Quod cum fieret piis credentium manibus, Christo spiritum reddidit, ut Deus haberet gloriam et honorem, quia nullus potest aliquem interficere nisi Deus velit permittere. Et poterat dicere cum apostolo : « Magnificabitur Christus... et mori lucrum. » (Phil. 1.) Nota : Mihi autem vivere Christus est, quia supernaturaliter et miraculose vixit in tam asperis tormentis, et mori inter christianos receptis ecclesiasticis sacramentis lucrum.

Moraliter istam sapientiam debemus nos habere. In omnibus dictis et factis nostris preferamus Dei honorem et gloriam, non mentiendo, nec proximum decipiendo, nec jurando, nec renegando, nec blasphemando.« In omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria et imperium in secula seculorum amen.» (1 Pe. 4.)

Dico quinto quod habuit scientiam heroicam. Sapientia heroica, id est divina, ita est aliis major, que in hoc consistit quod Deus obtinet de creatura finem quem ipse intendit infallibiliter, quia nulla causa

Digitized by Google

potest impedire quin eveniat quod ipse ordinavit de creatura, imo contra regulas logicales. Dicit enim logicus, quod ex puris negativis non sequitur conclusio affirmativa. Sed Deus ex negativis concludit affirmativam ut sibi placet. Philosophus autem dicit : Ex contrariis non producitur contrarium, immo Deus ex contrariis producit effectum contrarium, ut patet in Joseph, de quo ordinavit quod esset dominus fratrum suorum : quod intelligentes fratres sui ipsum vendiderunt, ut esset captivus, et non dominus eorum. Et ex illius venditione secutum fuit quod Joseph fuit dominus eorum. Ecce quomodo ex contrariis Deus concludit suum propositum. Ad hoc autoritas : « Sapientiam, supple divinam, non vincit malitia, supple creaturarum... et disponit omnia suaviter. » (Sap. 7 et 8.) Istam sapientiam habuit beatus Vincentius ex Dei voluntate, quia eam, sc. sapientiam, comunicavit. Ideo dicitur Vincentius, quasi vincens Dacianum, quia Dacianus ordinavit quod moreretur in tormentis. Et quando audivit quod mortuus fuerat in lecto, dixit : Victi sumus.

Sed ex quo in vita non potuit ipsum vincere, in morte cogitavit habere victoriam de corpore. Ecce malitia. Et mandavit ejus corpus projici in campum a feris et avibus consumendum. Sed affuit corvus, qui aves cum feris abigebat, et creditur fuisse angelus. Quod revelatum fuit Daciano, quia fecit corpus projici in mare cum mola funibus collo ligata, ut ex quo in terra non poterat eum vincere, ad minus in mari vinceret eum. Sed non erat ita, quia sapientia divina aliter ordinavit. Et dum submersores redirent ad denunciandum quomodo projecissent corpus in mari, Dei virtute corpus delatum est ad littus quoddam, et facta revelatione super hoc cuidam viro fideli, et cuidam vidue, concurrentibus illuc fidelibus, repertum corpus sepultum est ab eis in quadam parva basilica ibi prope. Cessante vero rabie persecutionis, devotio fidelium honorabilius eum extra muros civitatis Valentie sepelivit. Ideo cantamus : « Vincentem mundum adoremus Dominum, in quo pressuram mundi martyr vicit Vincentius.» — Ergo beatus vir qui in sapientia, sc. divina, morabitur.

Les passages intéressants du ms de Valence ont été incorporés. Le ms de Toulouse est identique.

Digitized by Google

De conversione beati Pauli apostoli

(Canevas autographe)

Volo huic novissimo dare, sicut et tibi.
(Mat. 20.)

Inter apostolos Christi sicut Petrus fuit primus, ita Paulus novissimus, nam Christo jam residente in dextera Patris, vocatus est ad apostolatum. Et ideo in bullis papalibus, Paulus ponitur ad dexteram, Petrus vero ad sinistram. Cor. 15 : « Novissimo omnium tanquam abortivo », etc. — Unde Christus quasi loquens Petro de Paulo dixit : « Volo huic novissimo dare, sicut et tibi. »

Nota novem sibi data hodie in ejus conversione, que concurrunt in cujuslibet peccatoris perfecta conversione :

1° Alta illustratio cum ad terram prosternens. — Ecce peccati cognitio humilians. Jer. 2 : « Vide vias tuas in convalle », etc.

2° Dura reprehensio. — Ecce cordis compunctio respectu Dei. Job 42 : « Auditu audivi te, nec oculus », etc.

3° Recta intentio quando dixit : « Domine, quid me vis facere ? » — Ecce bonum propositum in futurum. Ps. 118 : « Paratus sum et non sum turbatus », etc.

4° Aperta injunctio : « Surge et ingredere civitatem », etc. — Ecce sacramentalis confessio. Math. 8 : « Vade, ostende te sacerdotibus », etc.

5° Certa directio, quia apertis oculis nil videns, ad manus aliorum est tractus. — Ecce simplicis credentie receptio duorum testamentorum testimonio. Joan. 9 : « In judicium ego in hunc mundum veni ; si ceci essetis », etc.

6° Condigna emendatio, quia tribus diebus non comedit neque bibit, sed orabat. — Ecce operis satisfactio. Luc 3 : « Facite fructum dignum penitentie. »

7° Visus clarificatio. — Ecce offensorum remissio. Ps. 12 : « Illumina oculos meos », etc.

8° Baptismi susceptio. — Ecce eleemosinarum largitio. Luc. 11 : « Quod superest, date eleemosynam. »

9° Per cibum confortatio.— Ecce Eucharistie communio. III Reg. 19 : « Surge, comede, grandis enim tibi restat via ».

Digitized by Google

De Conversione sancti Pauli apostoli

(Recueil imprimé)

Vas electionis est mihi iste.
(Habetur verbum istud in Actibus apostolorum, cap. 9.)

Hodie fit festum in Ecclesia de conversione sancti Pauli. De nullo sancto fit festum conversionis nisi de beato Paulo apostolo. Non solum ratione sui, quia fuit miraculosa, sed etiam ratione nostri, quia fuit peccatoribus proficuosa, quia in sua conversione ostenditur quomodo peccator debet ad Christum converti. Sed primo salutetur virgo Maria.

Pro brevi declaratione et materie introductione sciendum, quod principale fundamentum et principium salvationis hominum est electio Dei eterna. Antequam Deus crearet celum et terram, aut aliquid, jam in secreto consistorio Trinitatis facta fuit electio de salvandis, tali modo. Tot domini, imperatores, reges, duces, comites, etc., erunt in mundo : De istis, dixit Pater, Filius et Spiritus Sanctus : tot salvabuntur amore justitie, quam facient in subditorum correctionem. Item tot prelati, pape, cardinales, patriarche, archiepiscopi et episcopi, etc., erunt in mundo ; de istis tot salvabuntur virtute charitatis et diligentie suarum ovium. Item tot religiosi erunt, de quibus tot salvabuntur virtute obedientie, suum ordinem servando. Item tot clerici, virtute devotionis. Item tot divites, virtute misericordie. Tot pauperes, virtute patientie. Item tot mulieres, virtute honestatis et continentie. Ita quod ista electio est primum fundamentum et principale, et principium salvationis hominum ac mulierum. Autoritas : Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate, qui predestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum Dominum nostrum (Ad Ephe. 1). Et ista electio dicitur predestinatio. Et quia beatus Paulus fuit a Deo eternaliter electus, ut esset de majoribus sanctis paradisi, de eo dicit Christus in themate : Vas electionis, id est electum passive, est mihi, sc. Paulus. Sed quia divina electio facta in eternitate habet executionem in tempore, dicam vobis practicam executionis electionis beati Pauli, prout in epistola hodierna continetur.

Dicatur historia, prout dicit Lucas in epistola hodierna. (Act. 9.) Quomodo persequebatur christianos ut lupus oves, intantum quod multi christiani fugerent de Hierusalem, ideo dicit ipse : Ergo sequar eos. Dicatur quomodo furiis infectus ibat Damascum, etc. « Saule, Saule, quid me persequeris. » Nota : non dicit : cur persequeris meos servitores ? quia tantus est amor Christi ad suos servitores, quod illorum persecutionem reputabat suam. Sicut enim bonum quod fit suis servitoribus amore sui, recipit in personam suam, ita et malum. Ideo dicet in judicio universali :

Digitized by Google

« Esurivi eum, et dedistis mihi manducare, etc. Tunc dicent : Quando, Domine, vidimus te esurientem, et pavimus te », etc. Quibus dicet : « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » (Math. 25.) Hic patet quomodo homo debet cavere ne displiceat servitoribus Dei, quia ipse recipit in persona sua, quemadmodum rex recipit in se quando offenditur miles, vel ejus officialis. Et propter hoc tantum timetur ne offendatur regis officialis. Ideo dicit Christus : Saule ! — sic enim vocabatur ante ejus conversionem,— Saule, quid me persequeris ? Ecce amor Christi ad nos. Et Paulus timens ac stupens dixit : Quis es, domine ? Respondit Jesus : « Ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare ». Nota quod Paulus ante conversionem suam habebat quatuor falsas credentias, seu opiniones, et errores contra Dominum nostrum Jesum Christum. Prima quod non credebat ipsum esse Deum, sed purum hominem. Secunda quod non fuit salvator mundi, sed deceptor. Tertia quod non resurrexit a mortuis. Quarta quod non erat judex bonorum, et malorum. Sed Christus in responsione quando dixit : « Ego sum Jesus Nazarenus », etc., fugavit omnes errores.

Et primo quando dixit : Ego sum, quod est nomen divinitatis, quia Deus proprie habet esse. Nostrum autem esse est nobis a Deo datum, ideo non debet dici esse. Sicut nullus debet dici dives de pecuniis mutuo receptis. Totum enim nostrum esse mutuatum est nobis a Deo. Ideo proprie loquendo nullus habet esse nisi solus Deus. Ideo legimus Exo. 3, quod quando Deus voluit mittere Moysen ut liberaret populum Israel de Egypto, dixit sibi Moyses : « Si dixerint mihi, quod est nomen Dei, quid dicam eis ? Respondit Dominus ad Moysen : Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : « Qui est, misit me ad vos. » (Exo. 3.) — Ecce quare respondit Paulo : Ego sum. Et dixit Augustinus, quod Christus ostendit tunc Paulo divinam essentiam.

Contra secundum errorem dixit : « Jesus », quod idem est quod salvator, ostendens sibi clare quod nullus potest intrare paradisum, nec salvari nisi sibi credendo, et obediendo.

Contra tertium dixit : « Nazarenus », id est floridus, quia ejus corpus in resurrectione sua gloriosa floruit quatuor floribus. Primo impassibilitatis. Secundo levitatis. Tertio subtilitatis. Quarto claritatis. Ideo dixit Nazarenus.

Contra quartum errorem dixit : « Durum est tibi contra stimulum calcitrare. » Stimulus est sententia dura, quam dabit ut judex universalis bonorum et malorum, quando dicit malis : « Discedite a me, maledicti, in ignem eternum », etc. (Mat. 25.) Tunc Paulus tremens ac stupens dixit : Domine, quid me vis facere ? sc. ut possim salvus fieri ? Modo

Digitized by Google

enim video clare errores in quibus eram. Et ait Dominus ad eum : « Surge et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere. » Surrexit autem de terra, apertisque oculis nihil videbat. Tanta erat claritas que eum circumfulsit, quod perdidit visum, ac si homo diu respiceret solem, amitteret visum. Ad manus autem illum trahentes viri qui comitabantur cum illo, qui stabant stupefacti, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit neque bibit.

Dicunt doctores quod in his tribus diebus didicit et vidit in schola paradisi quicquid postmodum predicavit. Interim Christus apparuit cuidam discipulo suo in Damasco existenti, qui dicebatur Ananias, et dixit ei : « Anania. » — Et ille : Ecce ego, Domine.— Et ait : Surge et vade in vicum qui vocatur rectus, et quere in domo Judei Saulum nomine Tarsensem. Et timuit Ananias dicens : Domine, audivi a multis quoniam persequitur nomen vestrum, etc. Ideo, Domine, non mittatis me ad illum lupum, etc. — Tunc dixit Dominus ad eum : « Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus et filiis Israel. » Quia sicut in vase auri vel argenti presentatur fructus dominis, ita iste portabit nomen meum, etc. — Perficiatur historia epistole concludendo themate : Vas electionis est mihi iste. Ecce electio eterna.

Quantum ad secundum dico quod in conversione beati Pauli ostenditur modus conversionis peccatoris ad Deum. Ideo Ecclesia facit festum de ista conversione Pauli solum. Et sunt septem modi quibus peccator convertitur ad Deum, ut Paulus, qui sequuntur, sc.:

Illuminatio divinalis.
Humiliatio personalis.
Reprehensio fraternalis.
Ostensio judicialis.
Instructio doctrinalis.
Exemplificatio virtualis.
Afflictio penitentialis.

Primus modus est illuminatio divinalis, quando peccator convertitur ad Deum, ut Paulus, a Deo subito illuminatur, quia peccator quandiu existit in peccatis, est cecus. Cecus enim non videt periculum in quo est. Sicut ille qui transit per vicum, et modo cadit in lutum, modo inter lapides, modo inter vepres, cecus judicatur, quia vere ille est cecus. Ita de peccatore transeunte per viam hujus mundi vel vite, modo enim cadit in lutum fetentis luxurie, modo inter spinas pungentis avaricie, modo inter lapides iracundie et malicie. Ideo scriptura sancta tales judicat cecos : « Ambulabunt ut ceci, quia Domino peccaverunt. » (Sopho. 1.) Ideo necessaria est lux divina, illustrans mentem peccatoris. Ideo lumine

Digitized by Google

illuminatur peccator quando dicit : O miser, quot annis fui in luto luxurie, vel spinis avaritie ! Et sic de aliis : O miser, quid erit de me sive de anima mea ? Quando divinum lumen irradiat ejus conscientiam, cognoscit peccata, quia lux naturalis intellectus non sufficit, nec etiam lux scientie acquisite, sed lux divina est necessaria. Hoc ostenditur in conversione sancti Pauli, ubi dicitur : « Et cum iter faceret, subito circumfulsit eum lux de celo. » Nota lux de celo. (Act. 9.) Non de intellectu naturali seu ingenio humano. Iste modus conversionis est multum dulcis, quando Deus subito illuminat peccatorem in domo, camera, lecto, vel in via existentem, ut cognoscat peccata sua dicens : O miser, quid erit de me ? etc. Istud lumen petebat David dicens orando : « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte », etc.

Secundus modus est illuminatio personalis, vel dejectio. Quando enim persone pompose inflate, que non curant nisi de mundanis, dejiciuntur vel humiliantur, et hoc sic contingit, quia : O ! dicit Deus, isti alio remedio indigent. Et facit eos perdere bona temporalia, et amorem dominorum in quibus confidebant, et tunc convertuntur ad Deum, quia alias non curarent de eo. Ideo David : « Imple facies eorum ignominia, et querent nomen tuum, Domine. » Benedicta est adversitas, seu tribulatio paupertatis vel adversitatis, infirmitatis seu persecutionis dominorum, que convertit peccatorem ad Deum. Iste modus ostenditur in Paulo, qui ibat furiis infectus, dirumque toto pectore virus afflabat, et cadens in terram, ex persecutore factus est vas electionis dicens : « Domine, quid me vis facere ? » Ecce quomodo ex adversitate fuit conversus.

Tertius est reprehensio fraternalis. Sunt enim aliqui qui nec primo nec secundo modo convertuntur, quia Deus non exequitur in eis die prima, sed quando aliquis ut amicus, frater, socius, pater, vel vicinus, dulciter corrigit amicum suum vel filium dicens : Hoc dicitur de vobis. Jam gentes loquuntur de vobis ista. Ideo amore Dei corrigatis, etc. Isto modo multi convertuntur ad Christum. Ideo dicit Christus : « Si autem peccaverit in te frater tuus... » (Math. 18.) Iste modus ostenditur in Paulo, quando Christus corrigendo eum dixit ei : « Saule, Saule, quid me persequeris ? »

Quartus est ostensio judicialis, ut quando Deus per se invisibiliter, vel per os alicujus sancti et devoti hominis ostendit sibi rigorem justitie tali modo : Videamus si tu vis perseverare in ista mala vita, quid dices in judicio ? quid respondebis Christo dicenti : Quid fecisti pro me ? Ostendens vulnera, et dicens : Ecce quid ego feci pro te, cognoscis ista vulnera ? videamus quid tu fecisti pro me. — Quid dices tu, qui modo stas et vivis in peccatis et nihil boni facis ? Quomodo evades inferni penas ? Tales ostensiones judiciales faciunt convertere multos, confi-

Digitized by Google

enim video clare errores in quibus eram. Et ait Dominus ad eum : « Surge et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere. » Surrexit autem de terra, apertisque oculis nihil videbat. Tanta erat claritas que eum circumfulsit, quod perdidit visum, ac si homo diu respiceret solem, amitteret visum. Ad manus autem illum trahentes viri qui comitabantur cum illo, qui stabant stupefacti, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit neque bibit.

Dicunt doctores quod in his tribus diebus didicit et vidit in schola paradisi quicquid postmodum predicavit. Interim Christus apparuit cuidam discipulo suo in Damasco existenti, qui dicebatur Ananias, et dixit ei : « Anania. » — Et ille : Ecce ego, Domine.— Et ait : Surge et vade in vicum qui vocatur rectus, et quere in domo Judei Saulum nomine Tarsensem. Et timuit Ananias dicens : Domine, audivi a multis quoniam persequitur nomen vestrum, etc. Ideo, Domine, non mittatis me ad illum lupum, etc. — Tunc dixit Dominus ad eum : « Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus et filiis Israel. » Quia sicut in vase auri vel argenti presentatur fructus dominis, ita iste portabit nomen meum, etc. — Perficiatur historia epistole concludendo themate : Vas electionis est mihi iste. Ecce electio eterna.

Quantum ad secundum dico quod in conversione beati Pauli ostenditur modus conversionis peccatoris ad Deum. Ideo Ecclesia facit festum de ista conversione Pauli solum. Et sunt septem modi quibus peccator convertitur ad Deum, ut Paulus, qui sequuntur, sc.:

Illuminatio divinalis.
Humiliatio personalis.
Reprehensio fraternalis.
Ostensio judicialis.
Instructio doctrinalis.
Exemplificatio virtualis.
Afflictio penitentialis.

Primus modus est illuminatio divinalis, quando peccator convertitur ad Deum, ut Paulus, a Deo subito illuminatur, quia peccator quandiu existit in peccatis, est cecus. Cecus enim non videt periculum in quo est. Sicut ille qui transit per vicum, et modo cadit in lutum, modo inter lapides, modo inter vepres, cecus judicatur, quia vere ille est cecus. Ita de peccatore transeunte per viam hujus mundi vel vite, modo enim cadit in lutum fetentis luxurie, modo inter spinas pungentis avaricie, modo inter lapides iracundie et malicie. Ideo scriptura sancta tales judicat cecos : « Ambulabunt ut ceci, quia Domino peccaverunt. » (Sopho. 1.) Ideo necessaria est lux divina, illustrans mentem peccatoris. Ideo lumine

Digitized by Google

illuminatur peccator quando dicit : O miser, quot annis fui in luto luxurie, vel spinis avaritie ! Et sic de aliis : O miser, quid erit de me sive de anima mea ? Quando divinum lumen irradiat ejus conscientiam, cognoscit peccata, quia lux naturalis intellectus non sufficit, nec etiam lux scientie acquisite, sed lux divina est necessaria. Hoc ostenditur in conversione sancti Pauli, ubi dicitur : « Et cum iter faceret, subito circumfulsit eum lux de celo. » Nota lux de celo. (Act. 9.) Non de intellectu naturali seu ingenio humano. Iste modus conversionis est multum dulcis, quando Deus subito illuminat peccatorem in domo, camera, lecto, vel in via existentem, ut cognoscat peccata sua dicens : O miser, quid erit de me ? etc. Istud lumen petebat David dicens orando : « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte », etc.

Secundus modus est illuminatio personalis, vel dejectio. Quando enim persone pompose inflate, que non curant nisi de mundanis, dejiciuntur vel humiliantur, et hoc sic contingit, quia : O ! dicit Deus, isti alio remedio indigent. Et facit eos perdere bona temporalia, et amorem dominorum in quibus confidebant, et tunc convertuntur ad Deum, quia alias non curarent de eo. Ideo David : « Imple facies eorum ignominia, et querent nomen tuum, Domine. » Benedicta est adversitas, seu tribulatio paupertatis vel adversitatis, infirmitatis seu persecutionis dominorum, que convertit peccatorem ad Deum. Iste modus ostenditur in Paulo, qui ibat furiis infectus, dirumque toto pectore virus afflabat, et cadens in terram, ex persecutore factus est vas electionis dicens : « Domine, quid me vis facere ? » Ecce quomodo ex adversitate fuit conversus.

Tertius est reprehensio fraternalis. Sunt enim aliqui qui nec primo nec secundo modo convertuntur, quia Deus non exequitur in eis die prima, sed quando aliquis ut amicus, frater, socius, pater, vel vicinus, dulciter corrigit amicum suum vel filium dicens : Hoc dicitur de vobis. Jam gentes loquuntur de vobis ista. Ideo amore Dei corrigatis, etc. Isto modo multi convertuntur ad Christum. Ideo dicit Christus : « Si autem peccaverit in te frater tuus... » (Math. 18.) Iste modus ostenditur in Paulo, quando Christus corrigendo eum dixit ei : « Saule, Saule, quid me persequeris ? »

Quartus est ostensio judicialis, ut quando Deus per se invisibiliter, vel per os alicujus sancti et devoti hominis ostendit sibi rigorem justitie tali modo : Videamus si tu vis perseverare in ista mala vita, quid dices in judicio ? quid respondebis Christo dicenti : Quid fecisti pro me ? Ostendens vulnera, et dicens : Ecce quid ego feci pro te, cognoscis ista vulnera ? videamus quid tu fecisti pro me. — Quid dices tu, qui modo stas et vivis in peccatis et nihil boni facis ? Quomodo evades inferni penas ? Tales ostensiones judiciales faciunt convertere multos, confi-

Digitized by Google

tentur, et faciunt penitentiam, ut possint aliquid ostendere in judicio. Ideo David: « Cognoscetur Dominus judicia faciens... Convertantur peccatores in infernum, sc. per cogitationem. » (Psal. 9.) Iste modus ostenditur in Paulo, cui Cnristus ostendit se in forma judiciali, quemadmodum debet stare in die judicii, quando dixit sibi: « Durum est tibi contra stimulum calcitrare. » Et statim Paulus dixit: Domine, quid me vis facere?

Quintus est instructio doctrinalis, ut in predicatione, ad quam multi veniunt peccatores, et in magnis peccatis involuti, et redeunt conversi ad Deum, quia in predicatione, quando predicator predicat bonas doctrinas, peccatores cognoscunt suam vitam malam, et dicunt: O miser! secundum hoc in malo statu sum ego. — Et isto modo convertuntur plures quam aliis supradictis modis. Ideo dicebat apostolus: « Non erubesco evangelium. » (Rom. 1.) Nota, non erubesco evangelium, sicut illi qui magis curant de poetis quam de evangeliis. Doctrina poetarum neminem salvat. Ideo predicatores evangelice doctrine singularem coronam habent in paradiso. Iste modus conversionis ostensus fuit in Paulo cui dixit Christus: « Surge et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere. » Si voluisset dicere Paulus: Domine, ostendatis mihi, vos, quid habeo facere. Cur me ad alium remittitis? Dixisset Christus: Vade, quia in te do instructionem christianis ut quomodo tu ivisti, ita et ipsi faciant et instructionem habeant. Nota illa civitas ad quem Christus remisit Paulum dicens: Surge et ingredere civitatem, etc., dicebatur Damascus que interpretatur sanguinosa, et significat ecclesiam, ubi sanguis Christi conficitur et sumitur. Quando ergo dicit: Ingredere civitatem, id est ecclesiam ad audiendam missam et sermonem. Ibi enim dicetur tibi quid te opporteat facere. Iste est principalis modus conversionis peccatoris.

Sextus modus est exempli virtualis. Quando enim vident quod aliquis tenet bonam vitam et sanctam, etiam si non loquatur predicando, exemplo tamen illius multi convertuntur. Dicatur hic de conversione cujusdam principis latronum in quadam via ad depredandum existentis. Quidam autem sanctus abbas volens ipsum ad Christum convertere, ivit ad eum, et statim captus est ut eum denudaret, etc. Abbas vero interrogavit eum de quo viveret in tali heremo. — O! dixit abbas, in magno labore et periculo vivitis, si vultis mecum venire ad monasterium, ego providebo vobis opulenter. Ille timens de captione, non audebat ire, sed abbas ipsum assecuravit, et secutus est eum, et dedit illi optimam cameram, et unum monachum devotissimum in servitorem ut serviret sibi, dans ei et ministrans quicquid vellet, gallinas, perdices, capones, etc. Et postquam ipse erat pransus, frater ille servitor coram eo comedebat panem et aquam. Item quando ipse jacebat in lecto, frater orabat

Digitized by Google

genibus flexis cum lachrymis, etc. Post multos dies ille capitaneus dixit fratri : Et qualem vitam tenuistis vos in mundo, quia tantam penitentiam facitis? — Respondit frater : Quod fui valde peccator. — Et ille : Et dicatis mihi in quibus peccastis. — Et dixit frater : In multis, domine.— Et dicatis mihi si placet vobis.— Ego dicam : Risi excessive, et truffavi. Et sic de aliis venialibus.— Et capitaneus : O miser, et quid erit de me qui tot homines predatus sum et occidi, quia vos de tam parvis peccatis facitis tantam penitentiam ? De cetero volo vivere ut vos, non detis mihi lectum nec gallinas. — Et sic fuit exemplo illius conversus. Ideo dicit Gregorius : Plus movent exempla, quam verba ; exempla, sc. bone vite. Forte si centum annis aliquis predicasset illi, non convertisset eum, et in exemplo bone vite conversus est.

Legitur quod tempore beati Petri apostoli, quando ipse predicabat Rome, alique bone mulieres jam ad Christum converse habebant viros perversos convertere. Et eis ostendens istum modum dixit : « Mulieres, subdite sint viris », etc. (1 Pet. 3.) Iste modus ostensus fuit in Paulo, quando ad manus illum trahendo in civitatem introduxerunt. Manus signant opera, quia manibus operamur. Ideo dicit ad manus illum trahentes. In quo innuitur quod exemplo operum trahuntur peccatores ad Deum.

Septimus modus est afflictio penitentialis dicendo : Domine, licet sim malus et peccator, spero tamen quod ex ista penitentia extrahetis me de peccato, et convertetis ad bonam vitam. Ideo licet homo sentiat se in peccatis, non debet penitentiam dimittere, quia dispositiva est ad conversionem, et finaliter ad salvationem : « Penitentiam agite, appropinquabit eum regnum celorum. » (Math. 4.) Iste modus ostenditur in conversione beati Pauli apostoli, qui tribus diebus non manducavit, neque bibit. Qualis afflictio penitentialis ? Signum fuit quod ex penitentia Deus ducit peccatorem ad conversionem et salvationem. Ecce quare Ecclesia facit festum de conversione beati Pauli apostoli, quia non solum fuit miraculosa, sed etiam peccatoribus fuit proficuosa. Amen.

Digitized by Google

Die Purificationis beate Marie

(Canevas autographe)

Dies purgationis Marie.
(Luc. 2.)

Propter tres solempnes personas de quibus fit in officio Ecclesie mentio specialis, hoc festum tripliciter nominatur a doctoribus.

1° Propter beatam Virginem dicitur *purificatio.*

2° Propter ejus Filium dicitur *presentatio.*

3° Propter sanctum Symeonem dicitur *obviatio.*

Primum nomen est communius, quia festum proprie fit de Virgine, et de hoc thema dicit : « Dies purgationis Marie. »

Circa primum advertendum quod beata Virgo non indigebat purgatione, cum nullam haberet maculam, Cant. 4 : « Tota pulchra es », etc ; tamen ex humilitate voluit servare legem datam de mulieribus parientibus filium. Lev. 12 : « Mulier que suscepto semine », etc. — Ratio hujus legis que communiter ponitur ex parte matris et ex parte prolis ostendit beatam Virginem ad legem hujusmodi non teneri. Ideo Lucas dicens : « Dies purgationis Marie », statim adjunxit : « secundum legem Moysi », quasi dicat : non secundum se. — Humilitas ejus potest considerari, quando ingrediens templum elegit stare inter ignobiles, pauperes et corruptas, secundum Origenem ; Cant. 2 : « Sicut lilium inter spinas ». — Item in hoc quod offerendo sacrificium petivit sacerdotis intercessionem juxta ritum legis. (Lev. 12.) Ideo Cant. 1 : « Nigra sum », etc.

Circa secundum, in presentatione Christi hodierna duplex lex fuit observata. Prima Exodi 13 : « Sanctifica mihi omne primogenitum », etc. Moraliter : actus primus nostrorum operum, sc. intentio cordis, Deo est offerendus. 1 Cor. 10 : « Sive manducatis », etc. — Secunda, Numer. 18 : « Quicquid primum erumpit », etc. Fuit enim redemptus 5 siclis argenti ipse Redemptor. — Moraliter sacramentali confessione, penitentiali afflictione, spirituali oratione, misericordiali donatione et injuriali remissione peccator redimit animam suam. Eccl. 20 : « Est qui multa redimat ».

Circa tertium est consideranda devotio Symeonis in expectando et accipiendo Jesum ; secus de sacerdote qui expectabat et accepit potius turturem vel columbam. « Omnes enim que sua sunt querunt » (Philip. 2).

Digitized by Google

— Sed quare voluit accipere in manibus Jesum, cum sibi tantum fuisset promissa visio ejus? — Responsio juxta illud, Jac. 2 : « Quid proderit si fidem », etc. Et in signum hujus hodie portavimus candelas in manibus. 1 Cor. 6 : « Glorificate et portate », etc.

De Purificatione beate Marie

(Recueil imprimé)

Dies purgationis Marie.
(Luc. 2.)

Istud presens festum unum est de majoribus totius anni. Ratio, quia tres sunt sanctorum gradus, de quibus facimus festum.

Primus de persona eminenti, id est alta.

Secundus major, sc. de persona sancta et excellenti.

Tertius multo major de persona sancta transcendenti.

Dico primo quod de primo gradu fuit quilibet apostolorum, Petrus et Paulus, etc. Joannes Baptista, martyres, confessores, etc. Ideo eorum festa sunt magna. De secundo gradu est Virgo Maria, que non solum est sancta, sed habet excellentiam super omnes sanctos, ideo ejus festa sunt majora. In tertio gradu est solus Christus, qui transcendit omnem altitudinem creaturarum. Ideo ejus festa, ut nativitatis, epiphanie, presentationis, resurrectionis, etc. sunt multo majora. Istos tres gradus sanctorum invenio in festo hodierno, quia hodie fit festum

De Symeone sancto eminenter.

De Virgine sancta super omnes excellenter.

De Christo sanctissimo transcendenter,

Qui hodie fuit in templo presentatus a Virgine Maria, sicut modo mulieres post partum veniunt ad ecclesiam cum prole. Ideo istud festum habet tria nomina. Inquantum est Symeonis, dicitur dies obviationis Symeonis. Inquantum est Jesu Christi, dicitur dies presentationis. Inquantum vero est Virginis Marie, intitulatur dies purgationis Marie. Et quia specialius hodie fit festum de virgine Maria, ideo singulariter dicit thema : Dies purgationis, etc. Ideo primo loquitur de Virgine. Secundo de Christo. Tertio de sancto Symeone.

Quantum ad primum, et inquantum presens festum tangit Virginem, dicitur dies purgationis Marie. Non autem audiatis quod virgo Maria indigeret purgatione, quia nunquam peccavit aliquo modo, nec corde male cogitando, nec ore vane loquendo, nec corpore male operando,

Digitized by Google

imo fuit purior sole, intantum quod Spiritus Sanctus de ea philocaptus, de sua puritate fecit unam cantilenam dicens : « Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es ! » Et iterum : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. » (Can. 4.) Nota, « quam », est dictio admirantis. Et dicitur ter. Pulchra fuit in anima, quia nunquam habuit malam nec vanam cogitationem, secus de nobis. Secundo pulchra in ore, quia nunquam vane, seu ociose, vel indiscrete locuta fuit. Nos vero non habemus os pulchrum. Tertio pulchra in toto corpore, quia sine omni defectu et negligentia, temperata in cibo et potu, diligens in servitio Dei, secus de nobis. Quare ergo dicit thema : Dies purgationis Marie? Istam questionem declarat beatus Lucas in evangelio hodierno dicens: « Dies purgationis Marie », statim dixit secundum legem Moysi, et non dixit secundum personam suam, quia non indiguit.

Modo videamus que lex est Moysi quam dedit mulieribus parientibus masculos. Dicit enim lex : « Mulier si suscepto semine... « (Levi. 12.) Hoc ergo preceptum non tangebat Virginem Mariam, quia non peperit suscepto semine. Unde querit sanctus Thomas an convenienter mater Dei purganda ad templum Dei accesserit? Et respondet quod sic, quia sicut plenitudo gratie a Christo derivatur in matrem, ita decuit ut mater humilitati filii conformaretur. Humilibus enim Deus dat gratiam, ut dicitur Jaco. 4. Et ideo sicut Christus, licet legi non esset obnoxius, voluit tamen circuncisionem et alia legis onera subire, ad ostendendum humilitatis et obedientie exemplum, et ut approbaret legem, et ut calumnie occasionem Judeis tolleret, propter easdem rationes voluit matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia. Licet enim beata Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purificationis observantiam implere, non propter indigentiam, sed propter legis preceptum. Et ideo signanter evangelium dicit, quod impleti sunt dies purgationis Marie secundum legem Moysi. Ipsa enim de se purgatione non indigebat. Nam Levi. 12, dicitur : « Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit. » Ubi Moyses videtur fuisse locutus ad excipiendam matrem Dei ab immunditia, que non peperit suscepto semine, et ideo patet quod non obligabatur ad impletionem illius precepti, sed voluntarie purgationis observantiam implevit.

Sed hic est questio : Quare Deus ordinavit istam legem, nunquid est peccatum generare filios in statu matrimoniali? — Respondetur quod non, sed multe rationes assignantur a sanctis doctoribus, sed unam solam ego volo declarare. Ratio illius legis est, quia omnia precepta legis reducuntur, et includuntur in decem preceptis Decalogi, que franguntur quadrupliciter, sc. operatione, omissione, locutione et cogitatione. Et quaterdecies faciunt numerum quadragenarium. Mulieres autem in concipiendo, portando, pariendo et nutriendo, istis quatuor

Digitized by Google

modis peccant contra Dei precepta, ideo faciunt dies purgationis. Primo peccant in operatione concipiendo. Nam Deus ordinavit actum generationis ad conservationem humane nature. Et multotiens non moventur ad eam nisi sicut equus et mulus, canis vel porcus, secundum carnis sensualitatem, cum tamen deberent habere intentionem predicatoris, quia predicat ut convertat gentes ad Deum, ut paradisus impleatur filiis Dei, ita genitores debent habere intentionem generandi filios pro paradiso. Virgo autem Maria non peccavit operatione, quia non ab homine, sed a Spiritu Sancto concepit, qui formavit illud corpus Domini nostri Jesu Christi, ut formatur granum infra avellanam vel amigdalum. Ideo Ecclesia cantat : « Non ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum Dei factum est caro, fructusque ventris floruit. »

Secundo peccant mulieres omissione, portando, quia si primo faciebant penitentiam, sc. jejunia, orationes, peregrinationes, et hujusmodi, quando sunt gravide, totum omittunt. Et licet sint satis fastidiose, tamen ipse se faciunt plus fastidiosas, et magis delicatas se fingunt. Sed Virgo Maria in hoc non peccavit aliquid omittendo, quia dicit Bernardus, quod erat gravida sine gravamine, imo pregnatus portabat eam. Sicut de nube, que non potest elevari, sed quando radius solis tangit eam, elevatur, et est magis levis. Ita radius solis eterni in utero virginis existens. Ideo non dimittebat aliquid de suis devotionibus, imo amplius faciebat, quemadmodum sacerdos quando portat custodiam eucharistie est devotior. Ita Virgo, que custodia erat tunc corporis Christi.

Tertio mulieres peccant locutione parturiendo, quando enim sentiunt dolores partus, dicunt multa verba vana et indiscreta. Cum tamen deberent recurrere ad Christum dicendo : Jesus ! et ad Virginem Mariam, que sine dolore peperit, et ad sanctos Dei. Ipsarum tamen alique maledicunt Evam, alie viros, alia dicit : O si modo evadam, nunquam accedam ad virum. Sed Virgo in hoc non peccavit, quia sine dolore et miseria peperit. Sicut radius solis transit per fenestram vitream sine ruptura, imo pulchriorem reddit eam. Ideo Esa. : « Germinans germinabit... etc. (Esa. 35.)

Quarto mulieres peccant cogitatione nutriendo. Cogitant enim : Modo habeo heredem, modo sum domina, cum tamen in magno timore dicere deberent : O Domine, dedisti mihi filium, quid scio modo quod erit de filio meo, an erit malus homo taliter, ut me interficiat, vel quod faciat aliquod malum ut sit suspensus, et finaliter damnatus ? — Sed Virgo in hoc non peccavit, sciebat enim scripturas. Ideo quando in partu ipsa vidit mirabilia que facta fuerunt, cogitabat suam passionem. Ideo dicit beatus Lucas : « Maria autem conservabat omnia verba hec conferens in corde suo. » (Luc. 2.) Quando vidit puerum Jesum natum

Digitized by Google

et nudum, cogitavit in corde suo dicens : O ve ! sic filius meus erit nudus in cruce. Deinde pannis eum involvit, cogitans quod sic ejus corpus involveretur syndone in ejus sepultura. Deinde posuit eum in presepio in medio duorum animalium, cogitans quod sic suspenderetur in medio duorum latronum. Patet ergo quod Virgo Maria nullo modo peccavit, nec concipiendo operatione, nec portando omissione, nec pariendo locutione, nec nutriendo cogitatione, tamen voluit humiliari ad servandum legem Moysi, ac si esset immunda, et peccatrix ut cetere mulieres. Recte dicit Bernardus quod fuit similis filio suo, qui voluit circuncisionem recipere, ad quam non tenebatur, quia dabatur in signum peccati, ut scinduntur aures latroni in signum furti. Ita Virgo voluit servare istam legem, ad quam non tenebatur.

Dicatur practice hic et probabiliter quomodo fuit ab ea lex ista servata, quia in XL° die a nativitate filii sui, ut est dies hodierna, venit ad templum Domini, in quo seorsum stabant mulieres generose et divites, et seorsum simplices, et pauperes, et seorsum virgines. Et iste mos hodie a Judeis servatur. Virgo autem Maria in ingressu templi respexit, cogitans quibus se associaret, quia licet esset generosa et nobilis de genere David, tamen erat pauper et simpliciter induta, quia totum patrimonium dedit amore Dei, et totum aurum quod sibi obtulerunt reges orientis, et volebat vivere manibus propriis. Ideo si junxisset se mulieribus divitibus, potuissent sibi dicere: Vadatis ad locum vestrum ! Benedictus Deus ! uxor unius pauperis carpentarii vult se nobis sociare, etc. — Si cum virginibus, licet fuisset virgo, dixissent sibi : Et vos que habetis virum et filium venitis nobiscum ? et unde hoc ? etc. Ideo posuit se cum simplicibus et pauperibus mulieribus. Et fuit completa quedam prophetia quam predixit Spiritus Sanctus per os Salomonis dicens : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea, supple est, inter filias. » (Can. 2.) Habemus hic exemplum humilitatis, et tamen modo quilibet se ingerit, quia quilibet vult esse in capite in conviviis, etc. Et ideo Virgo Maria, regina paradisi, posuit se retro. Ideo dixit Maria : « Quia respexit humilitatem ancille sue », etc. Non dicit charitatem, nec virginitatem : « Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. » Et hec fuit prima humilitas quam hodie fecit in impletione legis.

Item nota aliam magnam humilitatem in Virgine Maria, quia dicit evangelium hodiernum ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Consuetudo enim legis erat, ut patet, Levi. 12, quod quando post partum in XL° die mulier veniebat ad templum, flexis genibus coram sacerdote dicebat : Ecce oblationem, offeratis pro me sacrificium, ut Deus remittat mihi peccata que commisi, concipiendo, portando, pariendo et nutriendo. Sacerdos autem, recepta oblatione, et facto sacrificio, dabat mulieri benedictionem, et recedebat mulier. Istam consuetudinem vo-

Digitized by Google

luit Virgo Maria hodie servare, veniens in templo, dicens sacerdoti, non Symeoni, quia non legitur ipsum fuisse sacerdotem, sed hominem sanctum: Hodie est quadragesima dies quod peperi istum filium, et octava die fuit circuncisus, et vocatus fuit Jesus. Et dedit sibi oblationem par turturum, aut duos pullos columbarum, dicens ut oraret pro ea. O maxima humilitas! sanctissima dicebat peccatori: Orate pro me. Et sacerdos non cognoscebat eam; melius cognoscebat eam Esaias dicens: « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emanuel. » (Esa. 7.) Tunc fuit completa prophetia Salomonis dicentis in persona virginis: « Nigra sum, sed formosa, filie Hierusalem », etc. (Cant. 1.) Virgo erat nigra oculis ignaris eam non cognoscentibus, sed erat formosa angelis Dei. « Nolite me considerare, supple despiciendo, quia decoloravit me sol », quia ardor divini amoris sic humiliari faciebat, supple incendendo. Ideo potest nobis dicere illud, Mat. 11: « Discite a me, quia mitis sum », etc.

Quantum ad secundum punctum, tunc hoc festum tangit Dominum nostrum Jesum Christum. Intitulatur enim dies presentationis Jesu Christi. Non intelligatis quod Christus indigeret presentatione, quia nunquam fuit elongatus a Deo Patre, nec unquam fuit absens, imo sicut sol mittit ad nos suum radium, et tamen semper est cum sole, ita de Christo. Nos autem peccatis elongamur a Deo, ideo indigemus presentatione. Christus autem semper fuit presens Patri, etiam in utero virginis existens de die, et etiam de nocte. Ideo dicebat Pater ad eum: « Tu, fili, semper mecum es ». (Luc. 15.) Licet miserim te in mundum ad illuminandum in fide evangelica, calefaciendum in amore Dei, et fructificandum in bonis operibus. Ideo hodierna Christi presentatio non fuit necessitatis, sed humilitatis, sicut Virginis matris purgatio. Voluit enim Christus servare legem presentationis, ut dicit sanctus Thomas: quod Christus voluit sub lege fieri, ut eos qui sub lege erant redimeret, et ut justificatio legis in suis membris spiritualiter impleretur. Et dicit quod propter hoc ipsum etiam voluit legales hostias pro se offerri, qui erat vera hostia, ut figura veritati congrueret, et per veritatem figura approbaretur. Et illud dictum est contra illos qui Deum legis negant a Christo fuisse in evangelio predicatum. Non enim putandum est, ut Origenes dicit, quod filium suum bonus Deus sub lege nasci fecerit, quam ipse non dederat.

Unde Christus voluit in templo hodie presentari propter quatuor. Primo propter legis impletionem. Et hoc tangit doctor, ubi dicit: De prole nata duplex preceptum in lege tradidur. Unum quidem generale quoad omnes, ut sc. completis diebus purgationis matris offerretur sacrificium pro filio sive pro filia, ut habetur Leviti. 12. Et hoc quidem

Digitized by Google

sacrificium erat, et ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta et nata, et etiam ad consecrationem quandam ipsius, quia primo presentabatur in templo, et ideo aliquid offerebatur in holocaustum, et aliquid pro precato. Aliud autem preceptum erat speciale in lege de primogenitis, tam in hominibus quam in jumentis. Sibi enim deputaverat omne primogenitum filiorum Israel pro eo quod ad liberationem populi Israel percusserat primogenita Egypti ab homine usque ad pecus, primogenitis filiorum Israel reservatis. Et hoc mandatum ponitur Exod. 13, in quo etiam prefigurabatur Christus qui est primogenitus in multis fratribus, ut dicitur ad Roma. 8. Quia igitur Christus ex muliere natus erat quasi primogenitus, ideo voluit fieri sub lege, et in templo offerri et presentari. Et hec duo circa Christum Lucas ostendit observata. Primo quidem id quod pertinet ad primogenitos, cum dicit : « Tulerunt illum in Hierusalem », etc. Secundo illud quod pertinet communiter ad omnes, cum dicit, ut darent hostiam, secundum quod dictum erat in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Secundo voluit Christus in templo offerri propter templi sanctificationem. Sicut dicit Gregorius Nazansenus : illud legis preceptum « Sanctifica mihi omne primogenitum », (Exod. 13.) in solo Deo incarnato singulariter, et ab aliis differenter impleri videtur. Ipse namque solus ineffabiliter conceptus, ac incomprehensibiliter editus, virginalem uterum aperuit, non antea connubio reseratum, conservans etiam post partum inviolabiliter signaculum castitatis. Unde cum dicit : Adaperiens vulvam, designat quod nihil antea intraverat vel exiverat. Per hoc etiam quod dicitur masculinum, significatur quia nihil de femineitate culpe portavit. Singulariter etiam sanctus dicitur, quia terrene contagia corruptele immaculati partus novitate non sensit, ideo non indigebat sanctificari in templo, sed potius templum debebat sanctificari per ipsum, qui erat et est sanctus sanctorum. Unde Aggei, 2 : « Adhuc unum modicum, et ego movebo », etc. Malach. 3. dicitur : « Statim veniet ad templum suum », etc.

Tertio voluit Christus in templo offerri propter nostram instructionem, quia sicut Dei filius non propter seipsum factus est homo, et circuncisus in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos, et ut spiritualiter circuncidamur, sic propter nos sistitur domino, ut discamus Deo presentare nosipsos. Et hoc post circuncisionem ejus factum est, ut ostendat neminem nisi circuncisum vitiis dignum esse divinis conspectibus.

Quarto voluit in templo offerri propter mysticam significationem. Nam Leviti, 12, precipitur, ut illi qui possent offerrent agnum simul et turturem, sive columbam pro filio aut filia, qui vero non sufficerent ad offerendum agnum, offerrent duos turtures, aut duos pullos columbarum. Christus ergo cum dives esset, propter nos egenus factus est,

Digitized by Google

ut illius inopia divites essemus, ut dicitur 2. Corint. 8. Pro se itaque pauperem hostiam offerri voluit, sicut et in nativitate pannis involvitur, reclinatur in presepio. Nihilominus tamen hujusmodi aves figure congruunt. Turtur enim, quia est animal et avis loquax, predicationem et confessionem fidei importat, quia vero est animal castum, signat castitatem, quia vero est animal solitarium, significat contemplationem. Columba vero est animal simplex et mansuetum, et signat mansuetudinem et simplicitatem. Est autem animal gregale, unde significat vitam activam, et hujus hostia significat perfectionem Christi, et membrorum ejus, utrumque autem propter consuetudinem gemendi presentes sanctorum luctus designat. Sed turtur, que est solitaria, significat orationum lachrymas. Columba vero que est gregalis, significat publicas orationes Ecclesie. Utrumque autem animal duplicatum offerebatur, ut sanctitas non solum sit in anima, sed etiam in corpore. Hec sanctus Thomas ibidem. Et propter hec quatuor Christus voluit in templo presentari.

Tamen etiam ex dictis patet ratio literalis, quare Christus sibi reservaverat omne primogenitum. Sed ratio moralis est ista. Sicut enim inter virum et uxorem fit matrimonium ad proles generandas, ita inter spiritum et carnem est quasi matrimonialis conjunctio ad generandum proles, sc. actus virtuosos, et opera meritoria, quia caro sine Spiritu nihil valet. Nam Spiritus movet carnem ad opera virtutum et meritorum exercenda, que proles dicuntur. Unde dicit David : « Filii tui sicut novele olivarum in circuitu mense tue. » De istis filiis, sc., actibus virtuosis, Deus vult primogenitum sibi offerri. Sed quis est ille primogenitus ? — Regula est philosophie, quod illud quod est ultimum in executione, est primum in intentione erga Deum. V. gr.: Si queratur, quare hodie venistis ad missam, que fuit vestra prima intentio ? Si dicitis propter honorem Dei et Virginis, et ex ordinatione Ecclesie, tunc bene statis in conscientia, quia intentio vestra bona est, quia propter Deum venistis. Si vero dicitis : Veni ad ecclesiam ut videam tantum mulieres, etc. tunc primogenitum offertis diabolo, et non Deo, quia vestra intentio mala est. Idem de eleemosyna, si datis eam intentione vane glorie, vel hujusmodi, primogenitus datur diabolo. Si autem datur ut Deus faciat vobis eleemosynam de gratia quam ab eo petitis, quando anima vestra veniet ad portam paradisi, pulsans et petens eleemosynam, quod Deus vobis faciat eleemosynam, tunc offertur primogenitus Deo. Ideo in quolibet opere virtuoso queratis inter vos cui datur et offertur primogenitus, ne meritum perdatur ex mala intentione, quia nihil valet opus virtuosum mala intentione factum, et multa et magna opera virtuosa perduntur ex mala intentione facta, quia primogenitus non offertur Deo. Ecce quare Deus precipit sibi offerri primogenita. Ideo dicit apostolus : « Sive ergo

Digitized by Google

manducatis... in gloriam Dei facite. » (1. Cor. 10.) Ideo Dominus noster Jesus Christus ut primogenitus et unigenitus Virginis Marie, voluit in templo presentari Deo patri, et in manibus sacerdotis offerri. Et quinque siclis, quasi quinque regalibus argenti, redimi juxta legem, que habetur Nu. 18, ubi dicit : « Quicquid primum erumpet a vulva, etc. » Et sic nisi redimeretur, erat sacerdotis, et serviebat in templo.

Dicatur practica presentationis. Virgo enim Maria obtulit filium suum Christum in manibus sacerdotis, et ille obtulit eum Domino. O quam fatuus sacerdos ! si cognovisset eum, ipsum adorasset. Deinde voluit eum retinere sacerdos, videns Virginem matrem pauperem. Et ait Virgo : Non retineatis eum. Ecce quinque siclos habeo. Hos paulatim congregavit, et recepit a labore suo proprio, forte minus comedens ut filium suum redimeret. Et aperuit bursam non de auro vel serico, et solvit quinque siclos secundum legis consuetudinem. — Questio est hic : Quare Christus voluit redimi quinque siclis cum esset mundi redemptor, et hac de causa fuerit missus a Deo patre ? — Nota duas ad hoc responsiones, unam allegoricam, aliam moralem. Allegorica est ista : Voluit enim quinque siclis redimi, quemadmodum ipse redempturus erat mundum quinque principalibus plagis, in quibus consistit tota nostra redemptio, sc. circuncisione, fuga in Egyptum, flagellatione, coronatione et crucifixione. Ideo David : « Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. »

Secunda ratio est moralis, dans nobis exemplum, ut quando homo est venditus diabolo ex peccato, quia peccare mortaliter est seipsum vendere diabolo. V. gr. : Qui facit pompam et vanitatem, precio superbie statim vendit se diabolo. Avarus recipiens usuram et precium quo venditur diabolo, et etiam per furtum, rapinam, et sic de aliis speciebus avaritie. Luxuriosus illa delectatione dat suam animam diabolo. Idem de aliis peccatis. Ideo oportet redimi quinque siclis, si volumus salvari, sc. operibus penitentie. Primum est contritio, cum proposito non redeundi ad peccata. Secundum est oris confessio. Tertium corporis afflictio. Quartum debitorum restitutio. Quintum injuriarum remissio. Et verificatur illud sacre scripture verbum : « Est qui multa redimat modico precio, restituens ea in septuplum. » (Eccle. 20.)

Quantum ad tertium, hoc festum in quantum tangit sanctum Symeonem, dicitur dies obviationis Symeonis. Dicatur practica. Nam tunc temporis quando Virgo peperit filium suum, omnes Judei apti et in lege eruditi pro certo habebant quod Messias erat natus, quia videbant tempus in prophetis assignatum, et completum, sed non cognoscebant eum. Et propter hoc dicit Joannes Baptista : « Medius vestrum stetit quem vos nescitis. » (Jo. 1.) Ideo multi orabant ut ostenderet se eis,

Digitized by Google

singulariter sanctus Symeon et justus. Et responsum accepit Symeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem nisi videret Christum Domini. Et sciens illam prophetiam : « Statim veniet ad templum », etc. (Mala. 3.) Propter hoc quolibet die veniebat ad templum. Et quando videbat aliquam mulierem portantem prolem, ipse petebat : Estne filius an filia ? — Et Spiritus Sanctus nihil sibi dicebat, usque in hodiernum diem in quo sibi dixit : Hodie obviabis in templo Messie regi, ipsumque videbis. Ideo post somnum bene mane surrexit, et ivit ad templum, mundans ipsum, et ornans, quia quando rex debet intrare domum, debet domus ornari. Ideo cantat Ecclesia : « Adorna thalamum tuum, Syon, et suscipe regem Christum. » Et cum magna devotione expectabat videre eum. Secus de sacerdote, qui expectabat eum ut acciperet potius oblationes, et haberet turturem et columbam : « Omnes enim que sua sunt querunt, non que Jesu Christi. » (Philip. 2.) Nam tres conditiones personarum sunt, que non attediantur de quibusdam negociis. Primo de ludo pueri. Secundo mulieres de chorizatione. Tertio sacerdotes de offertorio. Sed de illis que sunt Jesu Christi, statim attediantur. Cum autem Virgo cum Joseph intravit templum, Spiritus Sanctus dixit Symeoni : Symeon, ista est mater ejus, et filius ejus est rex et Messias in lege promissus. — Statim senex flens pre gaudio adoravit eum, et ipsum recipiens in ulnas suas incepit cantare unam cantilenam pulchram quatuor versuum : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace », etc. Ecce diem obviationis Symeonis. Ideo hodie cantat Ecclesia : « Cum inducerent puerum Jesum parentes, accepit eum Symeon in ulnas suas, et dixit : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. »

Queritur quare sanctus Symeon accepit eum in ulnis suis, quia hoc non fuerat sibi a Spiritu Sancto promissum, sed promissum fuit sibi quod non moreretur nisi prius videret Christum Domini. Unde ergo tanta presumptio quod ipsum accepit ? — Respondeo quod ad salvationem nostram non sufficit videre Christum per fidem, sed ipsum recipere oportet in manibus per bona opera. Ideo Mar. ult. : « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. » Diceret aliquis : Ego habeo istos oculos anime, sc. dextrum credendo Christi divinitatem, et sinistrum Christi humanitem : sic videtur Christus a nobis in via, quid ergo oportet me aliud facere ? — Dico sicut Symeon, quod accipiatur Christus in manibus per bona opera. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? Nunquid poterit fides salvare eum ? « Fides sine operibus mortua est. » (Jaco. 2.) In signum hujus portamus candelas accensas in manu, que significant tria que sunt in Christo. Cera mollis signat carnem Christi, quam habuit passibilem, que liquefacta fuit in passione. Ellyhnium album signat animam Christi purissi-

Digitized by Google

mam. Lumen vero signat Christi divinitatem immensam. Non enim sufficit videre lumen in altari, nec Christum per fidem, sed manibus per bona opera ipsum recipere. Ideo apostolus: « Glorificate et portate Deum in corpore vestro. » (1. ad Corint. 6.) Tunc enim portatur Christus a nobis quando ejus amore vitamus peccata.

Deo gratias.

Digitized by Google

De beato Blasio

(Canevas autographe)

Granum frumenti cadens in terram, mortuum.
(Joan. 12)

In beato Blasio quinque numeri edificatorii notari possunt juxta quinque dictiones thematis.

Humilitas virtuosa, quia *granum ;*
Sublimitas gratiosa, quia *frumenti ;*
Adversitas rigorosa, quia *cadens ;*
Acerbitas dolorosa, quia *in terram ;*
Felicitas pretiosa, quia *mortuum.*

De primo, dispositiones seu conditiones veri humilis possumus videre ex conditionibus grani contrariis ad paleam. I Cor. 15 : « Quod seminas... nudum granum » ; nudum, sc. a palea.— Nota quomodo beatus Blasius omni mansuetudine et sanctitate pollebat. — Hic dicatur deliberatione pueri morientis ex passione gutturis, et impetratione pro omnibus hujusmodi patientibus.

De secundo, quia frumentum precellit omnia blada, convenienter figurat sublimitatem prelationis. Zach. 9 : « Quid bonum ejus est », etc. — Nota quod christiani elegerunt eum sibi in episcopum Sebastis. — Hic dicatur de restitutione porcelli capti per lupum, et de consilio offerende candele annuatim in ecclesia sua.

De tertio, casus adversitatem importat. Ps. 117 : « Impulsus eversus sum ut caderem. » — Nota quomodo per rabiem persecutoris habuit stare solitarius in deserto, et de obsequio avium, et recursu bestiarum ad ipsum.

De quarto, juxta illud Isaie 22 : « Coronam coronabit te tribulis », etc. — Nota de ejus captione et tormentis acerrimis.

De quinto, juxta illud Ps. 115 : « Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum... » — Nota mortem ejus.

Digitized by Google

De sancto Blasio

(Recueil imprimé)

Granum frumenti cadens in terram, mortuum.
(Verbum istud habetur Joan 12.)

Sicut tota solennitas hodierna est beati Blasii episcopi et martyris gloriosissimi, ita erit et sermo, maxime quia in ejus bona vita sunt multe virtutes et exempla, de quibus poterimus recipere bonam instructionem pro bono vite nostre regimine. Sed prius salutetur Virgo Maria, etc.

Istud thema est responsio ad questionem querentem per aliquem ignorantem : Quis fuit iste sanctus Blasius, et cujus conditionis? Respondet thema : « Granum frumenti cadens in terram », etc. Verba sunt figurativa, secrete judicantia virtutes et excellentias juxta quinque verba thematis.

Prima virtus est humilitas virtuosa, quia granum et non palea.
Secunda est sublimitas gratiosa, quia frumenti et non hordei.
Tertia est adversitas rigorosa, quia cadens, sc. de dignitate.
Quarta est acerbitas dolorosa, quia in terram, sc. per tormenta.
Quinta est felicitas pretiosa vel gloriosa, quia mortuum.

Quantum ad primam, dico quod una virtus magna, et excellentia una beati Blasii fuit humilitas virtuosa. Licet enim esset plenus virtutibus, tamen eas conservabat in bursa humilitatis, alias enim perderentur. Qui virtutem sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat. Nota hic duplicem humilitatem.

Prima est virtuosa.
Secunda est vitiosa.

Virtuosa est, quando homo ex una parte cogitat Dei immensitatem, et ejus potentiam infinitam. Ex alia propriam sui parvitatem et defectus, et sic cor humiliatur. Et talis humilitas, que est respectu Dei, est virtuosa, et multum placet Deo, quia isto modo creatura nihil se reputat, nec presumit de se. Istam laudat beatus Jacobus dicens : « Humiliamini in conspectu Domini, non dicit hominum, et exaltabit vos. » (Jac. 4.)

Secunda humilitas est vitiosa, quando quis in conspectu hominum humiliatur, et tamen intus habet cor inflatum, ut venter mulieris gravide, et coram hominibus faciunt ut hypocrite. De illis dicit scriptura sancta : « Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. » (Eccl. 19.) Humilitas autem beati Blasii fuit virtuosa, quia humiliabatur in conspectu Domini, abscondebat enim sua opera, ut vitaret vanam gloriam. Pernoctabat enim orando, et contemplando, et secrete tenebat lectum penitentie, et portabat cilicium, et extra ibat honeste indutus,

Digitized by Google

jejunabat, et quantum poterat ex humilitate, abscondebat suam sanctitatem, sed Deus exaltavit eum. Autoritas : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. » (1 Pet. 5.) Item humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. (Jacobus 4), etc., quia Deus vult eam manifestare ad gloriam Dei, et bonum exemplum hominum. Nota : super illo verbo : Non potest civitas abscondi supra montem posita, dicit glosa Augustini : id est persona super ingentem vitam. Secus de hypocritis, qui appetunt videri et laudari, et ficte faciunt multa opera, et tales ut fumus transeunt totaliter, et non habent fundamentum in Deo, quia dicit scriptura : « Gaudium hypocrite ad instar puncti.» (Job 20.) Humilitas virtuosa beati Blasii notatur cum dicit : granum. Nam palea signat superbos. Ratio, quia plures sunt eorum quam humilium. Secundo etiam, quia palea est vana, et levis, et semper eminet, granum vero parvum, et semper subjicitur, sic humilis, etc. Juxta hoc dicit scriptura, quod futurum est, sc. persona sancta seminans, sc. in hoc mundo, sed nudum granum, sc. a vanitatibus. Ecce humilitas, 1 Cor. 15 : « Deus autem dat illi, » etc. Quantomagis beatus Blasius abscondebat suam sanctitatem, tanto magis publicabatur in miraculis que faciebat.

Dicatur quomodo erat de civitate Cappadocie, etc. Et dicatur miraculum de puero curato filio vidue, in cujus gutture spina piscis transversa suffocavit vel suffocabat, etc. Christus vero concessit sanitatem pro illo, et pro omnibus qui de malo gutture ipsum invocarent. Ex hoc hodie benedicitur in honorem beati Blasii, panis, vinum, et hujusmodi, et verificatur illud in beato Blasio, Luc 18 : « Omnis qui se humiliat, exaltabitur. » Nota qui se humiliat, sc. de humilitate vera, exaltabitur.

Dico secundo quod secunda virtus est sublimitas gratiosa, sc. in dignitate, quia fuit episcopus civitatis Sebaste, ideo dicitur *frumenti*, quia, sc. inter alia grana est melius. Ideo prelati, qui in populo sunt majores et nobiliores, significantur per frumentum. Zach. 9 : « Quid bonum ejus, sc. populi christiani, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, id est prelatorum? Et quia beatus Blasius fuit episcopus, ideo dicitur, frumenti. — Dicatur quomodo fuit electus non solum a canonicis, sed etiam ab omnibus laicis Sebaste orantibus, etc. Et subito inspiravit Deus in cordibus, sc. talium omnium, ut peterent Blasium in episcopum alta voce. Ipso autem contradicente omnino, fuit electus, et flens assumpsit. Ratio quare ipse flebat? Quia in judicio episcopi habent reddere rationem non solum de suis propriis animabus, sed etiam de omnibus sibi commissis. Ideo dicit scriptura : Judicium durissimum in his qui presunt fiet. « ... Tormenta patientur. » (Sap. 6.) Nota judicium durissimum. Tria enim judicia fiunt prelato.

Primum est quando intravit dignitatem. Utrum per portam, quando

Digitized by Google

sc. sine scitu eligitur, vel papa providet sine sui vel suorum requisitione. Si vero aliter intrat, fur est et latro, nec potest salvari nisi renuntiet. Unde scriptura de hoc dicit: « Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, sc. per literas vel per preces armatas, vel per dona, etc., ille fur est et latro. » (Joan. 10.) O durum judicium fiet ei!

Secundum erit durius judicium, quod ei fiet, sc. quomodo vixit postquam intravit, et quomodo redditus expendit, quia tres partes debet facere de eis, unam pro se, secundam pro sua familia, tertiam pro pauperibus.

Tertium erit, sc. judicium durissimum, quod fiet ei quando reddet computum de animabus damnatis ex sua negligentia. Nam cuilibet tali dicitur Ezechiel 33: Speculatorem te dedi domui Israel... animam tuam liberasti. » Jam videtis quomodo et qualiter curatur de animabus, quia parum. Ecce quare dicit: Judicium durissimum, etc. Ista considerantes antiqui sancti, cum maximo timore accipiebant onus episcopatus, et contradicebant, quousque sciebant Dei voluntatem, et tunc confitendo de auxilio divino accipiebant.

Dicatur quomodo beatus Blasius factus episcopus non mutavit statum suum, ut faciunt multi mali, statim enim faciunt vanitates in familia nimis magna, in equis et pompis, dicendo: Honores mutant mores, sc. in malis, et in bonis non est verum. Et quia beatus Blasius non dimissit suum statum, ergo nec Deus abstulit sibi gratiam miraculorum, imo augmentavit eam, quia non solum curabat homines, sed etiam animalia ferocissima, que etiam sibi obediebant. — Dicatur miraculum de muliere paupercula, habente unicum porcellum, qui a lupo fuit captus, que cum maxima festinatione accurrit ad beatum Blasium, ut preciperet lupo ut restitueret sibi porcum quem emerat, etc. Quod et fecit. Statim eum vivum prestitit sibi lupus.

Modo cogitate hic duo diligenter. Primo virtutem beati Blasii. Secundo duritiam nostram. Virtus enim erat beati Blasii, quia movit cor lupi ferocissimi ad restituendum carnes quas tantum ipse diligit, obediendo beato Blasio, quia erat amicus Dei, et Deo obediens. Sic etiam fuit in primo statu, quod quandiu Adam fuit Deo obediens, animalia obedierunt ei. Secundo considerate duritiam nostram. Lupus enim rapax ad preceptum beati Blasii restituit furtum, et tu, fur, latro, non ex precepto Blasii, sed Dei, non vis restituere furtum seu usuram! Pejores sumus quam bestie. O quot usurarii sunt qui mutuant decem florenos, et ponitur in instrumento quod sunt XII, vel emunt minoris pro precio parato, vel vendunt in plus propter pretium speratum, vel super possessiones, accommodant pecuniam, et interim recipiunt fructus, vel recipiunt a communitate, etc., vel retinent sibi solidatam servorum, vel bona

Digitized by Google

Ecclesie, ut decimas, vel primitias, vel bona defunctorum, tales non possunt salvari nisi restituant, non enim dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Regula est juristarum. Hic poteris dicere contra ipsos usurarios.

Dico tertio quod tertia virtus est adversitas rigorosa cum dicitur *cadens*, etc., sc. de dignitate episcopali. Cum enim fuisset diu in suo episcopatu, venit adversitas contra Christianos, vel quod abnegarent fidem Christi, vel quod morerentur. Propter quod beatus Blasius fuit depositus et exul a suo episcopatu a prefecto, et ivit in desertum ubi in quodam monte et in quadam spelunca vixit in maxima penitentia. Ecce quomodo potest dici cadens. Et poterat dicere cum David : « Impulsus eversus sum ut caderem et Dominus suscepit me », sc. de deserto. Et quia in tanta adversitate noluit eum deserere, nec Deus ipsum deseruit. Nam cum esset in deserto, nec haberet ac comedendum, confidens in Deo dixit : « Oculi omnium in te sperantium, Domine », etc., dicens suas horas devote ac si fuisset in civitate, et hora prandii exibat speluncam. Et dicit historia quod volucres veniebant ad eum portantes ei cibum de illo quod ipse aves comedebant. Portabant enim sibi hora prandii, sc. hora nona veniebant quinquaginta vel centum columbi cum granis tritici. Item tornellus cum olivo in rostro. Item corvi portabant ficus novas. Item falcones veniebant cum perdicibus. Et beatus Blasius dicebat versum et omnes aves erant in circuitu. Nota quod nullus episcopus nec rex habet tot servitores, et comedebat illud quod placebat, non carnes. Et post dividebat eis cibum, precipiens eis quod non litigarent.

Dicatur quomodo est confitendum de Deo. Qui enim bene serviunt Deo non oportet eos timere quod eis deficiat. Non dicat ergo religiosus : O miser ! unde habebo aliam cappam, quando ista erit rupta ? etc. Serviatis Deo diligenter quia nihil vobis deficiet. Nunquid dicit ipse Deus Jesus Christus, sc.: « Primum querite regnum Dei et justitiam ejus, et hec omnia adjicientur vobis. » (Math. 6.) Idem de clericis et laicis. Sed modo talis est vita multorum quod mirum est quomodo inveniunt aquam in fontibus, quia non sunt digni. Sed de illis qui serviunt Deo dicit Christus : « Nolite solliciti esse », etc. (Math. 6.)

Item non solum aves, sed etiam animalia ut leones, ursi, lupi, si aliquando infirmabantur quod habebant aliquid in gutture, etc., vel spinam, veniebant ad eum ostendentes ei vulnera, qui curabat ea in nomine Jesu, cum signo crucis facto super plagam dicens : De cetero caveatis, nulli noceatis, quia ex malicia vestra et ex culpa evenit vobis hoc malum, vel similia verba. Nota hic quod animalia irrationalia pro sanitate obtinenda recurrebant ad ipsum ; et vos, ad quem recurritis ? ad diabolum,

Digitized by Google

quia ad devinos vel sortilegos. Si dicatur: Hoc facimus, quia non habemus medicos, apothecarios nec medicinas, etc., dicatur de virtute hujus nominis Jesus. Juxta illud : « Homines et jumenta salvabis, Domine. » (Psal. 35.) Ideo David : « Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus. » (Psal 39.)

Quarta virtus est acerbitas dolorosa, sc. multorum tormentorum, quod innuitur cum dicitur *in terram,* quia de deserto ductus fuit ad terram suam ut ibi per martyrium coronam glorie acquireret. Esa. 22 : « Coronans coronabit te in tribulatione, quasi pilum mittet te in terram latam et spaciosam », id est de tormento in tormentum. Cum enim fuisset in deserto, ut dixi, in spelunca, Christus sibi apparuit dicens quod sibi offerret sacrificium : qui intellexit quod diceret missam, et surrexit, et interim venerunt ad eum aliqui homines missi a commissario imperatoris ut ipsum adducerent captum. Et tunc beatus Blasius intellexit quod Christus dicebat de sacrificio sui corporis in martyrio, et flexis genibus gratias egit Christo quod recordabatur de servo suo. Cum autem duceretur captus convertit multos videntes miracula que faciebat.

Cum autem adductus esset coram preside, dixit ei preses : Gaude, Blasi, amice deorum ! salutans eum dulciter. — Et ait Blasius : Non dicas deos, sed demones. — Tunc iratus preses dedit sibi quinque tormenta. Primum quia fecit eum fustibus cedi, et in quolibet ictu beatus Blasius dicebat : Jesus Christus ! Et virtute hujus nominis vivebat, quia alias mirum erat quomodo poterat vivere.

Secundum fuit captio carceris fetentis sine cibo et potu, sed licet corpus detineretur in carcere, anima tamen ipsius discurrebat per palatia paradisi, devote contemplando ordines angelorum. Fuit etiam confortatus a muliere cui lupus porcum restituerat. Que audiens beati Blasii captionem, portavit caput porci coctum, et panem et vinum cum lucerna accensa ad beatum Blasium. Que habita licentia a carcerario intravit carcerem. Ad quam dicit beatus Blasius : Filia, volo tibi solvere charitatem quam erga me fecisti. Noveris quod ego in brevi debeo martyrizari, et impetrabo tibi solutionem. Et quia, filia, tu es pauper, dabo tibi modum ditandi. Quolibet enim anno cum candela accensa venies ad ecclesiam meam. Et ita fecit. Et ditata est intra breve tempus. De nullo alio sancto legitur promisisse alicui divitias temporales.

Tertium tormentum fuit eculeus, in quo nudus et ferreis pectinibus dilaniatus fuit, intantum quod fluvius sanguinis decurrebat de corpore ejus. Ipso autem dicente : « Non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam. » (Rom. 8.) Non curavit hoc tormentum. Et iterum reducitur ad carcerem, ut interim pararentur fortiora tormenta. Septem autem mulieres que sanguinem martyris colligebant ex devotione capite truncantur.

Digitized by Google

Quartum tormentum fuit, quia preses jussit ipsum mitti in lacum, qui signatus ab eo stetit sicut arida, et ipse in medio. Cultores vero idolorum volentes ad eum venire, demersi sunt. Aqua enim sustinet levia, sed non gravia onera, peccatorum maxime.

Dico quinto quod quinta virtus est felicitas gloriosa, cum dicitur mortuum, nullum enim tormentum facit martyrem gloriosum nisi mors. Ideo ait David : « Preciosa in conspectu Domini, mors sanctorum ejus. » Sic ordinatum est a Christo, et nullus habet felicitatem glorie nisi per mortem, quia nec ipse Christus, nec ejus mater Virgo Maria aliter habuerunt. « Nonne sic oportuit pati, et Christum ita intrare in gloriam suam ? » (Luc. 24.) Ideo dicitur mortuum in thema.

Nota ejus martyrium. Cum enim fuisset in stagno, angelus Domini dixit ei : O gloriose, egredere, et suscipe coronam. Ipso autem egresso, apparuit lux magna ante faciem ejus. Et dixit presidi : ut cognoscas quia reputo mihi ad gloriam mori pro Christo, ecce me adhuc presento. Et quia multi convertebantur ex ejus miraculis, ideo dedit preses contra eum sententiam decapitationis. Cum autem beatus Blasius oraret, dicit ei Dominus : Omnem petitionem tuam implebo, promittens juvare omnes advocantes eum. Et hoc dicto capite cesus est.

Nota hic : sancti et amici Dei cum quanta penitentia habuerunt paradisum, et nos credimus illum habere sine penitentia ? Sed mentita est iniquitas sibi, etc. Ideo oportet nos facere penitentiam, sc. in corde per contritionem, in ore per confessionem, et in corpore per afflictionem. Ideo ait Christus : « Penitentiam agite quoniam appropinquabit regnum celorum. » (Math. 4.)

Digitized by Google

De beata Agatha

(Canevas autographe)

Similis est homini patrifamilias.
(Math. 13.)

Nota tres similitudines inter Deum et hominem :

Per substantialem creationem ;

Per humanalem incarnationem ;

Per virtualem imitationem.

Per primam homo factus est ad imaginem et similitudinem Dei, sc. secundum tres vires et unam essentiam anime. Gen. 1 : « Faciamus hominem », etc. Et hec non sufficit ad salutem. Imo dampnabile est tantam similitudinem divine imaginis indigne servare.

Per secundam, Deus factus est ad imaginem et similitudinem hominis, assumendo perfectam humanitatem in unitate persone. Phil. 2 : « Cum in forma Dei esset », etc. Et hec etiam non sufficit ad salutem. Imo consequenter arguatur dampnatio hominis indigne tractantis naturam quam Deus assumpsit.

Per tertiam, homo reficitur ad imaginem et similitudinem Dei : sicut ad exemplar omnium virtutum. Eph. 5 : « Estote imitatores Dei... », etc. Et hec similitudo sufficit ad salutem. Ideo juxta istam tertiam dicit thema de beata Agatha : « Similis est homini patrifamilias. » — Nota hujusmodi similitudinem, quantum ad sextum.

Quantum ad conversationem, quia cum esset nobilissima et ditissima, tamen pauperrime vivebat ut Christus.

Quantum ad predicationem, quia contra VII filias af° di^ne^ *(sic)* predicavit ut Christus contra septem peccata Judee.

Quantum ad disputationem, quia contra Quincianum multipliciter disputavit, ut Christus contra diabolum eum temptantem.

Quantum ad defunctionem, quia post multa tormenta, tandem voce magna clamans in carcere expiravit ut Christus in cruce.

Quantum ad tumulationem, quia conditum aromatibus corpus ejus gloriose fuit sepultum, ut Christus post mortem.

Quantum ad passionem, quia sanguinolenta et tribulata, confortata est in nocte per Petrum apostolum, ut Christus per angelum.

Digitized by Google

De sancta Agatha, virgine et martyre

(Recueil imprimé)

Similis est homini patrifamilias.
(Habetur verbum istud, Mat. 13.)

Sicut tota solemnitas et officium hodiernum est beate Agathe virginis preciosissime, et martyris, ita erit et sermo. Sed primo salutetur Virgo Maria.

Istud verbum secundum quod ego volo illud pertractare de presenti, habet talem intellectum, quod beata Agatha est similis homini patrifamilias. Queritur ergo quis est iste paterfamilias. — Dico quod nullus alius est nisi Christus. Unde ipse ait : « Patrem, sc. universalem, nolite vocare vobis super terram. » Unus est enim pater vester, sc. universalis qui in celis est. (Mat. 23.) Dicit ergo thema nostrum, quod beata Agatha est similis homini patrifamilias, sc. gentis christiane, quia genitivus singularis est secundum declinationem grecam. Sciendum autem quod in sacra scriptura inveniuntur clare tres similitudines inter Deum et hominem. Et sic videbimus de qua loquitur thema.

Prima est per essentialem vel substantialem creationem.

Secunda per humanalem incarnationem.

Tertia per virtualem imitationem.

Per primam homo factus est ad imaginem et similitudinem Dei. Quando enim Deus creat animam, imprimit in ea suam imaginem. Sicut tu quando imprimis sigillum cere, imprimis simul et imaginem sigilli, velut etiam mulieres sigillando panem in furno. Ita quando Deus creat animam, in ea imprimit suam imaginem. Cogita quod Deus sit ut sigillum unius essentie vel substantie, et trium personarum. Ita anima est unius essentie, et trium potentiarum. Prima est memoria, que est de preteritis. Secunda est intelligentia, sc. de presentibus. Et tertia est voluntas, de futuris. Nulla alia creatura hujus mundi habet istam similitudinem cum Deo, nisi homo ; non sol, licet sit tam pulchra creatura, nec luna, etc. Et sicut Deus est unus in toto mundo, et ipsum regit et gubernat, ita anima est una in toto corpore, et tota in toto corpore, et tota in qualibet parte, ut vult Philosophus. Et ex ista similitudine dixit Deus, quando voluit creare hominem : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » (Genes. 1.) Verbum est Dei Patris ad Filium et Spiritum Sanctum, qui possunt creare hominem, et non ad angelos, ut false dicunt Judei. Ista est prima similitudo inter Deum et hominem, sed ista similitudo sola non sufficit ad salvationem, quia omnes homines habent istam similitudinem cum Deo, et tamen non omnes salvantur. Ideo damnabile est totam similitudinem divine imaginis

Digitized by Google

De beata Agatha

(Canevas autographe)

Similis est homini patrifamilias.
(Math. 13.)

Nota tres similitudines inter Deum et hominem :

Per substantialem creationem ;

Per humanalem incarnationem ;

Per virtualem imitationem.

Per primam homo factus est ad imaginem et similitudinem Dei, sc. secundum tres vires et unam essentiam anime. Gen. 1 : « Faciamus hominem », etc. Et hec non sufficit ad salutem. Imo dampnabile est tantam similitudinem divine imaginis indigne servare.

Per secundam, Deus factus est ad imaginem et similitudinem hominis, assumendo perfectam humanitatem in unitate persone. Phil. 2 : « Cum in forma Dei esset », etc. Et hec etiam non sufficit ad salutem. Imo consequenter arguatur dampnatio hominis indigne tractantis naturam quam Deus assumpsit.

Per tertiam, homo reficitur ad imaginem et similitudinem Dei : sicut ad exemplar omnium virtutum. Eph. 5 : « Estote imitatores Dei... », etc. Et hec similitudo sufficit ad salutem. Ideo juxta istam tertiam dicit thema de beata Agatha : « Similis est homini patrifamilias. » — Nota hujusmodi similitudinem, quantum ad sextum.

Quantum ad conversationem, quia cum esset nobilissima et ditissima, tamen pauperrime vivebat ut Christus.

Quantum ad predicationem, quia contra VII filias af° di^ne^ *(sic)* predicavit ut Christus contra septem peccata Judee.

Quantum ad disputationem, quia contra Quincianum multipliciter disputavit, ut Christus contra diabolum eum temptantem.

Quantum ad defunctionem, quia post multa tormenta, tandem voce magna clamans in carcere expiravit ut Christus in cruce.

Quantum ad tumulationem, quia conditum aromatibus corpus ejus gloriose fuit sepultum, ut Christus post mortem.

Quantum ad passionem, quia sanguinolenta et tribulata, confortata est in nocte per Petrum apostolum, ut Christus per angelum.

Digitized by Google

De sancta Agatha, virgine et martyre

(Recueil imprimé)

Similis est homini patrifamilias.
(Habetur verbum istud, Mat. 13.)

Sicut tota solemnitas et officium hodiernum est beate Agathe virginis preciosissime, et martyris, ita erit et sermo. Sed primo salutetur Virgo Maria.

Istud verbum secundum quod ego volo illud pertractare de presenti, habet talem intellectum, quod beata Agatha est similis homini patrifamilias. Queritur ergo quis est iste paterfamilias. — Dico quod nullus alius est nisi Christus. Unde ipse ait : « Patrem, sc. universalem, nolite vocare vobis super terram. » Unus est enim pater vester, sc. universalis qui in celis est. (Mat. 23.) Dicit ergo thema nostrum, quod beata Agatha est similis homini patrifamilias, sc. gentis christiane, quia genitivus singularis est secundum declinationem grecam. Sciendum autem quod in sacra scriptura inveniuntur clare tres similitudines inter Deum et hominem. Et sic videbimus de qua loquitur thema.

Prima est per essentialem vel substantialem creationem.

Secunda per humanalem incarnationem.

Tertia per virtualem imitationem.

Per primam homo factus est ad imaginem et similitudinem Dei. Quando enim Deus creat animam, imprimit in ea suam imaginem. Sicut tu quando imprimis sigillum cere, imprimis simul et imaginem sigilli, velut etiam mulieres sigillando panem in furno. Ita quando Deus creat animam, in ea imprimit suam imaginem. Cogita quod Deus sit ut sigillum unius essentie vel substantie, et trium personarum. Ita anima est unius essentie, et trium potentiarum. Prima est memoria, que est de preteritis. Secunda est intelligentia, sc. de presentibus. Et tertia est voluntas, de futuris. Nulla alia creatura hujus mundi habet istam similitudinem cum Deo, nisi homo ; non sol, licet sit tam pulchra creatura, nec luna, etc. Et sicut Deus est unus in toto mundo, et ipsum regit et gubernat, ita anima est una in toto corpore, et tota in toto corpore, et tota in qualibet parte, ut vult Philosophus. Et ex ista similitudine dixit Deus, quando voluit creare hominem : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » (Genes. 1.) Verbum est Dei Patris ad Filium et Spiritum Sanctum, qui possunt creare hominem, et non ad angelos, ut false dicunt Judei. Ista est prima similitudo inter Deum et hominem, sed ista similitudo sola non sufficit ad salvationem. quia omnes homines habent istam similitudinem cum Deo, et tamen non omnes salvantur. Ideo damnabile est totam similitudinem divine imaginis

Digitized by Google

indigne servare. Magnum enim peccatum esset projicere imaginem crucifixi in lutum vel in ignem. Majus peccatum est illorum qui projiciunt animam quam fecit non faber lignarius vel argentarius, sed Deus ad imaginem suam. Et tu, avare, projicias eam in lutum avaritie ! Et tu, luxuriose, in igne luxurie ! Ideo conservanda est honestissime, ut reliquie ligni crucis vel Virginis Marie, quia preciosior est anima quam quecunque reliquie.

Secunda similitudo inter Deum et hominem est per humanalem incarnationem, quando Deus factus est ad imaginem et similitudinem hominis, assumens perfectam humanitatem in unitatem persone. Sicut enim in creatione homo factus fuit ad imaginem Dei, ita Deus factus est ad imaginem et similitudinem hominum. Hoc dicit scriptura : « Qui cum in forma Dei esset », etc. (Philip. 2.) Nec illa etiam similitudo sufficit ad salvationem, imo consequenter aggravatur damnatio hominis indigne tractantis naturam quam Deus assumpsit. Deus enim exaltavit humanitatem in gloria super angelos, et tu vituperas eam vivendo ut porcus luxuriose.

Tertia similitudo est per virtualem imitationem. Per hoc enim reficitur homo ad imaginem et similitudinem Dei sicut ad exemplar omnium virtutum. V. gr.: Sicut fuit misericors et liberalis contra avaritiam, noli esse avarus per usuram, furtum, vel fraudem, etc. Sicut Christus fuit castus et purus, etc., abstinens, charitativus, et plenus amore, ita et tu. Ista similitudo sufficit ad salvationem, presuppositis primis. Et ista est major et dat complementum aliis, quia sine ista alie similitudines non salvarent. Ideo dicit scriptura : « Estote imitatores Dei », etc. (Eph. 5.) Juxta istam similitudinem tertiam dicit thema de beata Agatha : « Similis est homini », non solum per virtualem imitationem.

Modo videamus similitudines virtuales majores ad Christum, et de quibus possumus recipere bonam instructionem pro regimine vite nostre. Et notavi sex in ejus vita. Fuit enim similis Christo :

Primo in virtuosa conversatione.
Secundo in fructuosa predicatione.
Tertio in luminosa disputatione.
Quarto in sua passione.
Quinto in sua defunctione.
Sexto in sua tumulatione.

Quantum ad primum, dico quod beata Agatha similis fuit Christo in conversatione virtuosa, quia ut recte Christus fuit conversatus in hoc mundo, ita voluit etiam beata Agatha conversari, quia sicut pictor vel mulieres que operantur de serico juxta exemplar depingunt imaginem, ta beata Agatha ad imaginem, sc. vite Christi, depingebat suam vitam

Digitized by Google

virtutibus et operibus bonis. Primo enim respiciebat faciem Christi, principium vite humane, quia cum esset altius in suo palatio paradisi cum Patre et Spiritu Sancto, cum suis baronibus, id est, angelis, voluit descendere et claudi in parva cella uteri virginalis. In quo beata Agatha notavit infinitam Christi humilitatem, et voluit ei in hoc assimilari, quia cum esset nobilior genere, pulchrior corpore, et famosior in bonitate civitatis Cathanensis, et mortuis parentibus, remansit heres illius magni palatii patris sui, que exemplo Christi dimisit palatium patris, et ornamenta, et vasa aurea et argentea, et restrinxit se in quadam parva domo, ut simplex persona. Ecce quomodo fuit similis Christo in humilitate.

Item sicut Christus in sua conversatione fuit purissimus et castus, quia nunquam gustavit de illa delectatione venerea, ita beata Agatha in hoc fuit sibi similis. Ecce quomodo ad Christi exemplum depingebat vitam suam. Vitabat familiaritates hominum, quia alias virginitas non potest bene conservari. Dicatur pro correctione beguinarum, ut vitent familiaritates, etc. Sicut etiam Christus in hoc mundo voluit ferre asperam vitam, quia ultra quadragesimam quam fecit, tota vita Christi fuit quadragesima. Dicit magister historiarum, quod nunquam comedit carnes, nisi forte de agno paschali, volens servare legem ; nunquam cenabat. Ita beata Agatha in hoc voluit sibi assimilari, jejunabat, dimisit carnes, quia virginitas cum abstinentia conservatur. Persona enim gulosa semper erit luxuriosa, et si ad extra ostendatur casta, secrete tunc faciet multas corruptiones nisi sit abstinens.

Item Christus in hoc mundo voluit esse pauper, cum tamen esset Dominus omnium rerum, quia « Domini est terra et plenitudo ejus ». Tamen XXXIII annis portavit eandem vestem, quam sibi fecit mater sua cum esset puer. Ita beata Agatha voluit indui pauperrime ut beguina, et dabat patrimonium pauperibus amore Dei, et vivebat propriis manibus, filavit, suit, et texuit, quia nullus potest continue orare, etc. Isto modo Virgo Maria providebat sibi, filio, et Joseph. O benedictus est qui sic dividit tempus, modo orando, modo operando, etc.

Item Christus fuit diligens laborando, predicando de villa in villam. Ita beata Agatha fuit diligens in operibus suis spiritualibus. Surgebat in media nocte ad orandum, etc., qualibet hebdomada confitebatur etiam cum lachrymis, et qualibet die dominica communicabat cum maxima devotione. Ecce quomodo fuit similis homini patrifamilias.

Moraliter, si non possumus ita esse similes Christo ut fuit virgo beata Agatha, ad minus quolibet die teneatis certam orationem mane et sero, cogitando quod videatis Christum presentem. Item post laborem sex dierum hebdomade, in dominica quiescatis ab omni opere temporali, non tangatis partem Domini, sed audiatis missam completam cum silentio. Aliud autem tempus sit tuum ad delectandum, ludendum, non ad

Digitized by Google

taxillos, etc., sed balistam, non pro pecunia et hujusmodi ; non eundo ad lupanar, vel ad furandum fructus vel aliud, quia si sic feceritis, melius esset fodere, etc., quia non esset tam magnum peccatum. Dicit enim Deus : « Memento ut diem sabbati sanctifices. » (Exo. 20.) Sabbatum quietis est dominica in qua Christus quievit ab opere nostre redemptionis. Sanctificatur enim àudiendo missam, sermones, etc. Item in quolibet anno communicare in pascha. Si istam regulam velletis servare, iretis ad paradisum absque purgatorio : « Omnia honeste, id est devote et secundum ordinem fiant in vobis. » (1 Cor. 14.)

Dico secundo quod beata Agatha fuit similis Christo in fructuosa predicatione. Modo videamus quomodo Christus in hoc mundo predicavit. Deinde videbimus quomodo beata Agatha predicavit. Christus predicavit solum in una domo, sc. Judeorum : « Non sum missus nisi ad oves, que perierunt domus Israel. » (Mat. 15.) Et nunquid venit Christus pro redemptione omnium ? etc., quare ergo dicit : Non sum missus, etc., — Sc. ad predicandum personaliter. Et predicabat contra septem peccata seu vitia in quibus ille populus stabat. Non predicabat philosophiam, nec poeticas, nec de astrologia, licet sciret omnia, sed ad correctionem vitiorum. In hoc sibi similis fuit beata Agatha, que predicavit in una domo contra septem peccata seu septem vitia.

Cum enim beata Agatha viveret simpliciter ut dixi, venit commissarius Imperatoris, Quintianus nomine, contra Christianos ut abnegarent Christum, vel interficerentur. Et fuit sibi dictum de vita et sanctitate beate Agathe, que erat nobilior et pulchrior et ditior aliis, et quomodo erat Christiana : ideo quod faceret eam abnegare, et posset eam ducere in uxorem. Et quia erat superbus, illud attendebat ut sonaret in auribus vulgi quod tantus esset quod posset nobiles subjugare. Et quia erat libidinosus ad aspectum virginis pulcherrime, suam concupiscentiam commovebat, et ut avarus ad suas divitias sive ad ejus facultates suspirabat. Et ut idolatra, Christi nomen audire non poterat.

Et volens beatam Agatham pervertere tradidit eam cuidam meretrici nomine Affrodisia, que habebat novem filias corpore pulchras, sed etiam meretrices, ut ejus animum immutarent. Mater venalis docet ut sit filia talis. Quelibet etiam illarum tenebat cameram suam ornatam in eadem domo ut peccando acquirerent magnas pecunias. et dabant se deliciis et placitis, et multis mulieribus auferebant viros, non curabant de Deo ; et coram beata Agatha faciebant dissolutiones, tactus, et oscula ut eam accenderent. Item inhonestas locutiones, ut possent eam inclinare ad commissarii voluntatem ut consentiret, ut esset ejus uxor, et esset magna domina ; aliquando cum minis. Beata Agata respondebat : Verba vestra non sunt nisi ventus, promissiones ut pluvia, mine vero quasi unde. Ego autem fundata in petra fortissima, sc. Christo,

Digitized by Google

non timeo aliquem. Filie vero Affrodisie cogitantes eam vanitatibus inclinare, ornabant se vestimentis aureis et sericis, dicentes Agathe quod ita posset ipsa ornari si vellet. Ipsa autem reprehendens eas dicebat : O misere, et tanti constabit ille ornatus in alia vita ! Et flebat. Item comedebant capones, perdices, etc., quia ignis luxurie lignis ciborum conservabatur. Agatha dicebat eis quod in inferno essent semper esurientes ; et ipsa comedebat panem et aquam. Ecce quomodo fuit similis patrifamilias in predicatione. Quia sicut Christus predicavit in domo illius meretricis, sc. Judaice, quia meretrix est uxor que dimisso viro recedit cum alio. Ita Judea, etc. Sic beata Agatha in domo illius meretricis Affrodisie. Igitur, etc.: « Similis est homini patrifamilias. »

Moraliter, illa meretrix Affrodisia cum filiabus suis corrumpebant totam illam civitatem. Quando enim meretrices sustinentur per vicos civitatis, corrumpunt totam civitatem. Ideo cives debent ad partem facere lupanar ante portas. Dicatur ergo contra illum errorem quod simplex fornicatio non sit peccatum mortale, sic dicendo : Ego sum liber et ipsa similiter, et placet sibi et mihi, cui ergo facio injuriam ? Ista ratione decipiuntur et damnantur multe anime. Respondeatur ad hoc per similitudinem de rege habente plures filias, et tu peccas cum aliqua filia sua, et sibi placet et tibi, et dicis, cui facio injuriam ? Nunquid domino tuo facis proditionem ? Item Christus rex tuus est pater omnium mulierum et jure creationis et redemptionis. Et quia eas genuit in regeneratione baptismali. Vel etiam si peccas cum captiva, nunquid Domino tuo facis injuriam ? Omnes mulieres sunt captive Christi, quia suo sanguine empte sunt. Ergo heresis est dicere quod simplex fornicatio non est peccatum mortale. Ideo dicit scriptura : « Abominatio facta est in Israel, id est Christianitate, et in Hierusalem a clericis, quia filiam Dei habuerunt alieni », sc. qui non erant ejus viri. (Malach. 2.) Si vero rex dat tibi filiam suam in uxorem, recipias eam et habeas placitum cum ipsa. Aliter non vult Deus quod fiat. Ideo Num. 5 : « Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Precipe filiis Israel ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit », sc. personas publice et notorie luxuriosas.

Dico tertio quod fuit similis Christo in sua disputatione. Christus disputavit solemniter cum diabolo. Postquam jejunavit XL diebus diabolus voluit ipsum inclinare ad peccatum gule primo, secundo vane glorie, tertio avaritie. Sed Christus habuit victoriam, ita beata Agatha disputavit cum diabolo, sc. Quintiano commissario in cujus ore diabolus loquebatur. Nam videns Affrodisia quod nihil faciebat, abiit ad Quintianum dicens ei : Facilius possent saxa emolliri quam ab intentione Christiana mens istius puelle revocari. Tunc Quintianus fecit eam ad se adduci ; tunc incepit disputatio. Quando autem Quintianus ut carnalis

Digitized by Google

taxillos, etc., sed balistam, non pro pecunia et hujusmodi; non eundo ad lupanar, vel ad furandum fructus vel aliud, quia si sic feceritis, melius esset fodere, etc., quia non esset tam magnum peccatum. Dicit enim Deus: « Memento ut diem sabbati sanctifices. » (Exo. 20.) Sabbatum quietis est dominica in qua Christus quievit ab opere nostre redemptionis. Sanctificatur enim àudiendo missam, sermones, etc. Item in quolibet anno communicare in pascha. Si istam regulam velletis servare, iretis ad paradisum absque purgatorio: « Omnia honeste, id est devote et secundum ordinem fiant in vobis. » (1 Cor. 14.)

Dico secundo quod beata Agatha fuit similis Christo in fructuosa predicatione. Modo videamus quomodo Christus in hoc mundo predicavit. Deinde videbimus quomodo beata Agatha predicavit. Christus predicavit solum in una domo, sc. Judeorum: « Non sum missus nisi ad oves, que perierunt domus Israel. » (Mat. 15.) Et nunquid venit Christus pro redemptione omnium? etc., quare ergo dicit: Non sum missus, etc., — Sc. ad predicandum personaliter. Et predicabat contra septem peccata seu vitia in quibus ille populus stabat. Non predicabat philosophiam, nec poeticas, nec de astrologia, licet sciret omnia, sed ad correctionem vitiorum. In hoc sibi similis fuit beata Agatha, que predicavit in una domo contra septem peccata seu septem vitia.

Cum enim beata Agatha viveret simpliciter ut dixi, venit commissarius Imperatoris, Quintianus nomine, contra Christianos ut abnegarent Christum, vel interficerentur. Et fuit sibi dictum de vita et sanctitate beate Agathe, que erat nobilior et pulchrior et ditior aliis, et quomodo erat Christiana: ideo quod faceret eam abnegare, et posset eam ducere in uxorem. Et quia erat superbus, illud attendebat ut sonaret in auribus vulgi quod tantus esset quod posset nobiles subjugare. Et quia erat libidinosus ad aspectum virginis pulcherrime, suam concupiscentiam commovebat, et ut avarus ad suas divitias sive ad ejus facultates suspirabat. Et ut idolatra, Christi nomen audire non poterat.

Et volens beatam Agatham pervertere tradidit eam cuidam meretrici nomine Affrodisia, que habebat novem filias corpore pulchras, sed etiam meretrices, ut ejus animum immutarent. Mater venalis docet ut sit filia talis. Quelibet etiam illarum tenebat cameram suam ornatam in eadem domo ut peccando acquirerent magnas pecunias. et dabant se deliciis et placitis, et multis mulieribus auferebant viros, non curabant de Deo; et coram beata Agatha faciebant dissolutiones, tactus, et oscula ut eam accenderent. Item inhonestas locutiones, ut possent eam inclinare ad commissarii voluntatem ut consentiret, ut esset ejus uxor, et esset magna domina; aliquando cum minis. Beata Agata respondebat: Verba vestra non sunt nisi ventus, promissiones ut pluvia, mine vero quasi unde. Ego autem fundata in petra fortissima, sc. Christo,

Digitized by Google

non timeo aliquem. Filie vero Affrodisie cogitantes eam vanitatibus inclinare, ornabant se vestimentis aureis et sericis, dicentes Agathe quod ita posset ipsa ornari si vellet. Ipsa autem reprehendens eas dicebat : O misere, et tanti constabit ille ornatus in alia vita ! Et flebat. Item comedebant capones, perdices, etc., quia ignis luxurie lignis ciborum conservabatur. Agatha dicebat eis quod in inferno essent semper esurientes ; et ipsa comedebat panem et aquam. Ecce quomodo fuit similis patrifamilias in predicatione. Quia sicut Christus predicavit in domo illius meretricis, sc. Judaice, quia meretrix est uxor que dimisso viro recedit cum alio. Ita Judea, etc. Sic beata Agatha in domo illius meretricis Affrodisie. Igitur, etc.: « Similis est homini patrifamilias. »

Moraliter, illa meretrix Affrodisia cum filiabus suis corrumpebant totam illam civitatem. Quando enim meretrices sustinentur per vicos civitatis, corrumpunt totam civitatem. Ideo cives debent ad partem facere lupanar ante portas. Dicatur ergo contra illum errorem quod simplex fornicatio non sit peccatum mortale, sic dicendo : Ego sum liber et ipsa similiter, et placet sibi et mihi, cui ergo facio injuriam ? Ista ratione decipiuntur et damnantur multe anime. Respondeatur ad hoc per similitudinem de rege habente plures filias, et tu peccas cum aliqua filia sua, et sibi placet et tibi, et dicis, cui facio injuriam ? Nunquid domino tuo facis proditionem ? Item Christus rex tuus est pater omnium mulierum et jure creationis et redemptionis. Et quia eas genuit in regeneratione baptismali. Vel etiam si peccas cum captiva, nunquid Domino tuo facis injuriam ? Omnes mulieres sunt captive Christi, quia suo sanguine empte sunt. Ergo heresis est dicere quod simplex fornicatio non est peccatum mortale. Ideo dicit scriptura : « Abominatio facta est in Israel, id est Christianitate, et in Hierusalem a clericis, quia filiam Dei habuerunt alieni », sc. qui non erant ejus viri. (Malach. 2.) Si vero rex dat tibi filiam suam in uxorem, recipias eam et habeas placitum cum ipsa. Aliter non vult Deus quod fiat. Ideo Num. 5 : « Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Precipe filiis Israel ut ejiciant de castris omnem leprosum, et qui semine fluit », sc. personas publice et notorie luxuriosas.

Dico tertio quod fuit similis Christo in sua disputatione. Christus disputavit solemniter cum diabolo. Postquam jejunavit XL diebus diabolus voluit ipsum inclinare ad peccatum gule primo, secundo vane glorie, tertio avaritie. Sed Christus habuit victoriam, ita beata Agatha disputavit cum diabolo, sc. Quintiano commissario in cujus ore diabolus loquebatur. Nam videns Affrodisia quod nihil faciebat, abiit ad Quintianum dicens ei : Facilius possent saxa emolliri quam ab intentione Christiana mens istius puelle revocari. Tunc Quintianus fecit eam ad se adduci ; tunc incepit disputatio. Quando autem Quintianus ut carnalis

Digitized by Google

expectabat videre Agatham ornatam, quia ita fuerat sibi laudata, quando vidit eam in habitu despecto, cum despectu dixit : Cujus conditionis es ? — Respondit Agatha : Ingenua sum et nobilis, et spectabilis genere, ut omnis parentela mea testatur. — Cui Quintianus : Quomodo ergo in habitu tali despecto incedis ? — Respondit Agatha : Quia ancilla Christi sum suo sanguine empta. Ideo me ostendo servilem personam. — Et Quintianus dixit : Contradicis tibiipsi, quia dicis te nobilem et captivam, sive servilem. — Et Agatha : Summa ingenuitas, id est nobilitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur. — Et sic fuit Quintianus victus de prima questione. Et quia non potuit replicare, minatus est ei dicens : Elige unum de duobus, aut diversas penas incurrere, aut diis sacrificare. Homines adorabant idolum Jovis. Et mulieres aliud quod dicebatur Venus. Agatha respondit : Sit uxor tua talis qualis est dea sua Venus, et tu talis qualis Deus tuus Juppiter. — Tunc Quintianus indignatus jussit eam alapis cedi. — Injuriam judicis noli garrire. Agatha autem cogitans quomodo Christus fuit etiam cesus, sustinuit patienter dicens Quintiano : Miror te virum prudentem, quia ideo imperator te commissarium suum instituit, ad tantam stultitiam devolutum ut illos dicas Deos, quorum vitam nec te nec uxorem tuam velis imitari. Si credis quod sint boni, bonum tibi oravi. Si vero mali, dimittas eos. Et sic fuit victus de secunda. Et jussit eam in carcerem mitti dicens : Cogita tecum ut possis evadere. — Ait illa : Tu minister Satane, cogita et penite ut possis evadere damnationem eternam.

Tertia disputatio fuit non rationibus, sed tormentis. Sequenti enim die fecit eam adduci coram se et ait : Quid tractasti circa salutem tuam ? — Agatha respondit : Salus mea Christus. — Et Quintianus : Cessabit ista responsio frivola, quia tormentis te affligam. — Agatha respondit : Si bestias promittis, audito nomine Christi mansuescunt. Si ignem, virtute Christi angeli rore celi extingunt. Gaudium meum est pati pro Christo. Nescis tu quia granum tritici non reponitur in granario usquequo excussum est a palea ? Ita nec anima mea quousque sit a corpore soluta per mortem, non poterit celum intrare. — Ecce qnomodo disputavit. Ideo similis est homini, etc.

Moraliter : Ita oportet personas bonas et devotas vincere tres disputationes. Prima est male loquentium illorum, sc. qui vadunt ad paradisum, tam inter religiosos quam inter clericos, quam etiam inter laicos. Ista disputatio vincitur cogitando verbum Christi dicentis : « Cum maledixerint vobis homines... copiosa est in celis. » (Mat. 5.) Secunda disputatio est carnis, sc. infirmitatum, dolorum, etc., vincitur enim talis cogitando verbum illud apostoli : « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » (Act. 14.) Tertia est diaboli per varias tentationes vel contra fidem : quis potest hoc sustinere ? etc.

Digitized by Google

Dico quarto quod fuit similis Christo in sua passione. Legitur de Christo, Luc. 23, quod in nocte passionis cum oraret, et tota passio fuit simul Christo presens, factus est sudor ejus ut gutte sanguinis decurrentis in terram, quia vene strinxerunt se, et sic sanguis abunde exivit. Statim affuit angelus de celo confortans eum, licet non indigeret, sed angelus exhibuit debitum famulatum domino suo. Ita fuit de beata Agatha, que in passione sua posita fuit in eculeo, et in mamillarum tortura, sc. in abscissione earum, ad quam dicebat : Modo habes quod optabas. Modo videamus an ille Jesus liberabit te de manibus meis, et an poterit ipse tantum quantum ego. — Agatha ex infinito dolore, quia mamilla est pars delicata et juxta cor, incepit clamare dicens : Adjuva me, Domine, in tortura mamillarum. — Tunc ille iniquus precepit abscindi ejus mamillas. Cogitate vulnera sive foramina que remanserunt, et rivos sanguinis defluentis ; et apposuit sibi manus, retinens sanguinem, et ait Quintiano : Impie, crudelis, et dire tyranne, non es confusus amputare in femina quod ipse in matre suxisti ? Ego habeo mamillas integras intus in anima mea, quas ab infantia Domino consecravi. — Et tota sanguinolenta iterum posita est in carcere. Et cum oraret, ecce circa mediam noctem senex quidam in forma medici, quem antecedebat luminis portator, qui creditur fuisse angelus, ferens diversa medicamenta, et illuminato carcere salutavit eam, et postea dixit : Cum te afflixit consularis, ibi eram et vidi quia potes curam recipere. Agatha dixit : Medicinam carnalem nunquam corpori meo exhibui, sed habui salvatorem Dominum Jesum Christum, qui solo verbo curat omnia. — Tunc subridens senior ait : Et ipse me misit ad te. Nam et ego apostolus ejus, sc. Petrus sum, et in nomine ejus scias te esse sanandam. Et hoc dicto disparuit. Tunc Agatha prostravit se in oratione, gratias agens, et finita oratione, in nomine Jesu Christi invenit se omnino sanatam. Per totam autem noctem lux refulsit in carcere. Quo viso custodes territi fugerunt, relicto carceris ostio aperto. Ipsa autem nolebat fugere, ne coronam martyrii amitteret, et custodes in tribulatione poneret. Ecce quomodo fuit similis Christo, quia confortata ab apostolo, ergo similis est homini, etc.

Moraliter : Agatha noluit fugere nec custodes in augustias ponere, cum tamen essent inimici sui. Habemus hic exemplum, ne velitis vindictam inimicorum, ne portetis eis malam voluntatem, quamdiu enim sumus in mala voluntate, sumus in ira Dei. Ideo oportet remittere. Aliter autem dixit Christus : « Pater meus celestis tradet vos tortoribus, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. » (Mat. 18.)

Dico quinto quod fuit similis Christo in sua defunctione. Christus enim post multa tormenta in cruce clamando : Pater in manus tuas commendo spiritum meum », et cum lachrymis mortuus fuit cum cla-

Digitized by Google

more valido, et lachrymis se obtulit Deo. (Heb. 5.) Ita recte beata Agatha post plurima tormenta. Nam postquam fuit curata, Quintianus fecit eam sibi presentari, cui admiranti de curatione, et querenti quis eam sanavit, Agatha respondit: Dominus Jesus qui est salus mea. — Indignatus Quintianus quia adhuc Jesum nominabat, de consilio duorum malorum hominum fecit eam super acutissimas testas et carbones volutari, ligatis pedibus et manibus ne se juvare posset. Crudelis Domiuus, et crudeliores consiliarii. Sed statim vindicta sequebatur, quia subito motus est locus ille, et pars parietis corruens oppressit consiliarios predictos, et omnis civitas exagitata est et commota contra judicem. Et cum concurrerent cives tumultuantes ad Quintianum, ipse jussit eam poni in carcerem, et fugit. Beata autem Agatha cum in carcere rogaret Dominum ut acciperet spiritum ejus, regratiando Deo quia conservavit ejus corpus a corruptione, et animam a malis desideriis, et de victoria inimici, et de patientia in tormentis, et clamans: « In manus tuas Domine », etc., emisit spiritum. Similis est ergo patrifamilias.

Moraliter, habemus hic exemplum faciendi penitentiam, quia sic truffando et ridendo non possumus intrare paradisum. Ideo recipiamus tormentum penitentie, si volumus obtinere premium glorie. Ideo Christus: « Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. » (Mat. 4.)

Dico sexto quod fuit similis Christo in ejus tumulatione vel sepultura. Christus enim licet habuerit mortem ignominiosam, crudelem et dolorosam, tamen habuit sepulturam honorabilem et gloriosam. Dicatur quomodo dicitur Esa. 11 : « Et erit sepulchrum ejus gloriosum. » Ita de beata Agatha postquam fuit mortua Christiani receperunt ejus corpus, et cum balsamo, et mirrha, et aloe; honorifice et processionaliter clerici civitatis, non Requiem, sed Gaudeamus omnes canentes portaverunt corpus ad Ecclesiam, ut poneretur in monumento novo, sc. tumba lapidea.

Cum autem corpus sepeliretur, ecce quidam juvenis sericis indutus, quem sequebantur plusquam centum alii armati et pulchri, quos nemo unquam viderat, angeli autem erant, et posuit ad caput ejus tabulam brevem ex marmore, in qua erat scriptum: « Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo, et patrie liberationem. » Est hic figura que dicitur eclypsis ; vult dicere: Mentem sanctam, supple habuit ; spontaneam, sc. martyrio se exhibuit ; honorem Deo, supple dedit ; et patrie liberationem, supple acquisivit, Ista quatuor verba sic intelliguntur. Et tunc ergo tam Judei quam gentiles ceperunt venerari sepulchrum ejus. Quintianus vero post paucos dies in flumine interiit. Similis est ergo patrifamilias.

Digitized by Google

Moraliter : Ista quatuor debemus nos habere. Primo mentem sanctam, et cor mundum a malis cogitationibus. Ibi enim est initium bone vite, expellendo malas cogitationes a corde, ut prunas a manu subito, alias combureretur manus. Imaginatio enim hominis tam dormiendo quam vigilando aperta est diabolo. in qua potest ponere prunas malarum cogitationum sive tentationum, sed nisi velitis eas retinere delectabiliter cogitando, non comburent vos, si statim expellitis dicendo : Jesus ! Jesus ! etc. Ideo dixit scriptura : « Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. » (Proverb· 4.) Si bene custodiatur, alias mors. Secundo spontaneam, sc. ad faciendum penitentiam, quia non vi, sed gratis penitentiam debemus facere, quia penitentiam coactam faciunt illi de inferno, sed nihil valet eis. Ideo, 1 Pet. 5 : » Non coacte sed spontanee secundum Deum », supple penitentiam faciamus. Tertio honorem Deo, non sustinendo ludum taxillorum, in quo vituperatur Deus, et damnantur tot anime. Unde de hoc scriptura : « In omnibus honorificetur Deus. » (1 Pet. 4.) Quarto patrie liberationem juvando communitatem ut liberetur ab omnibus oneribus, Aliqui tamen reddunt terram in captivitatem et destructionem, ut usurarii qui usuras false vocant censualia. Si dicatur : In quo cognoscitur quod sit censuale vel usura ? — Ad censuale requiruntur due conditiones : Prima quod sit emptio et non mutuum. Secunda quod pretium sit justum. Si vero est mutuum, tunc est usura damnata.

Digitized by Google

more valido, et lachrymis se obtulit Deo. (Heb. 5.) Ita recte beata Agatha post plurima tormenta. Nam postquam fuit curata, Quintianus fecit eam sibi presentari, cui admiranti de curatione, et querenti quis eam sanavit, Agatha respondit: Dominus Jesus qui est salus mea. — Indignatus Quintianus quia adhuc Jesum nominabat, de consilio duorum malorum hominum fecit eam super acutissimas testas et carbones volutari, ligatis pedibus et manibus ne se juvare posset. Crudelis Domiuus, et crudeliores consiliarii. Sed statim vindicta sequebatur, quia subito motus est locus ille, et pars parietis corruens oppressit consiliarios predictos, et omnis civitas exagitata est et commota contra judicem. Et cum concurrerent cives tumultuantes ad Quintianum, ipse jussit eam poni in carcerem, et fugit. Beata autem Agatha cum in carcere rogaret Dominum ut acciperet spiritum ejus, regratiando Deo quia conservavit ejus corpus a corruptione, et animam a malis desideriis, et de victoria inimici, et de patientia in tormentis, et clamans: « In manus tuas Domine », etc., emisit spiritum. Similis est ergo patrifamilias.

Moraliter, habemus hic exemplum faciendi penitentiam, quia sic truffando et ridendo non possumus intrare paradisum. Ideo recipiamus tormentum penitentie, si volumus obtinere premium glorie. Ideo Christus: « Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. » (Mat. 4.)

Dico sexto quod fuit similis Christo in ejus tumulatione vel sepultura. Christus enim licet habuerit mortem ignominiosam, crudelem et dolorosam, tamen habuit sepulturam honorabilem et gloriosam. Dicatur quomodo dicitur Esa. 11 : « Et erit sepulchrum ejus gloriosum. » Ita de beata Agatha postquam fuit mortua Christiani receperunt ejus corpus, et cum balsamo, et mirrha, et aloe; honorifice et processionaliter clerici civitatis, non Requiem, sed Gaudeamus omnes canentes portaverunt corpus ad Ecclesiam, ut poneretur in monumento novo, sc. tumba lapidea.

Cum autem corpus sepeliretur, ecce quidam juvenis sericis indutus, quem sequebantur plusquam centum alii armati et pulchri, quos nemo unquam viderat, angeli autem erant, et posuit ad caput ejus tabulam brevem ex marmore, in qua erat scriptum: « Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo, et patrie liberationem. » Est hic figura que dicitur eclypsis ; vult dicere: Mentem sanctam, supple habuit ; spontaneam, sc. martyrio se exhibuit ; honorem Deo, supple dedit ; et patrie liberationem, supple acquisivit, Ista quatuor verba sic intelliguntur. Et tunc ergo tam Judei quam gentiles ceperunt venerari sepulchrum ejus. Quintianus vero post paucos dies in flumine interiit. Similis est ergo patrifamilias.

Digitized by Google

Moraliter: Ista quatuor debemus nos habere. Primo mentem sanctam, et cor mundum a malis cogitationibus. Ibi enim est initium bone vite, expellendo malas cogitationes a corde, ut prunas a manu subito, alias combureretur manus. Imaginatio enim hominis tam dormiendo quam vigilando aperta est diabolo, in qua potest ponere prunas malarum cogitationum sive tentationum, sed nisi velitis eas retinere delectabiliter cogitando, non comburent vos, si statim expellitis dicendo: Jesus! Jesus! etc. Ideo dixit scriptura: « Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. » (Proverb· 4.) Si bene custodiatur, alias mors. Secundo spontaneam, sc. ad faciendum penitentiam, quia non vi, sed gratis penitentiam debemus facere, quia penitentiam coactam faciunt illi de inferno, sed nihil valet eis. Ideo, 1 Pet. 5: » Non coacte sed spontanee secundum Deum », supple penitentiam faciamus. Tertio honorem Deo, non sustinendo ludum taxillorum, in quo vituperatur Deus, et damnantur tot anime. Unde de hoc scriptura: « In omnibus honorificetur Deus. » (1 Pet. 4.) Quarto patrie liberationem juvando communitatem ut liberetur ab omnibus oneribus. Aliqui tamen reddunt terram in captivitatem et destructionem, ut usurarii qui usuras false vocant censualia. Si dicatur: In quo cognoscitur quod sit censuale vel usura? — Ad censuale requiruntur due conditiones: Prima quod sit emptio et non mutuum. Secunda quod pretium sit justum. Si vero est mutuum, tunc est usura damnata.

Digitized by Google

De cathedra sancti Petri

(Canevas autographe)

Ego dico tibi, quia tu es Petrus.
(Mat. 16.)

Reperio quatuor cathedras sancti Petri juxta quatuor interpretationes hujus nominis *Petrus*.

Prima cathedra presidentie universalis.
Secunda cathedra sanctimonie spiritualis.
Tertia cathedra sapientie theologalis.
Quarta cathedra eminentie judicialis.

Propter primam, dicitur Petrus, id est dissolvens.
Propter secundam, dicitur Petrus, id est agnitus.
Propter tertiam, dicitur Petrus, id est discaltians.
Propter quartam, dicitur Petrus, id est agnoscens.
Ideo inquit sibi Christus : *Ego dico tibi,* etc.

De prima, hanc recepit in Cesarea Philippi dicente sibi Christo : « Tibi dabo claves regni celorum », etc. (Mat. 16.) Unde potuit dicere : « Quando procedebam ad portam civitatis, in platea ponebant cathedram mihi. » (Job 29.)

Huic convenit prima interpretatio *dissolvens,* secundum illud : « Dissolve colligationes impietatis », etc. (Is. 58.)

De secunda, hanc recepit Antiochie, quando in ecclesia ab omni populo constituta est ei cathedra et VII annis ibidem sedit, juxta illud. Ps. 106 : « Confiteantur Domino misericordie ejus », sc. Petri qui sanavit in nomine Domini omnes infirmos Antiochie, « et mirabilia ejus filiis hominum ; et exaltent eum », etc.

Huic convenit secunda interpretatio *Agnitus :* cum enim primo eum repulissent tanquam magum, tandem agnita ejus sanctitate propter virtutes et miracula, ipsum reverentissime susceperunt, quasi dixissent : « Scimus quia a Deo venisti », etc. (Joan. 13.)

De tertia hanc recepit Rome, quando per sapientiam theologie, falsam sapientiam Perypatheticorum, Stoycorum et Epycureorum confutavit ; et ibi XXV annis sedit. 2 Reg. 23 : « David sedens in cathedra sapientissimus », etc.

Huit convenit tertia interpretatio *discaltians,* sc. argumenta philosophica de pedibus Romanorum. Ad hoc, nota quod dictum est Moysi : « Solve calceamenta de pedibus tuis », etc. (Exod. 3.)

Digitized by Google

De quarta hanc recepit in celo, quando migravit. Hoc patet Mat. 19, quando sibi querenti : « Ecce nos reliquimus omnia », etc., respondit Christus : « Amen dico vobis », etc.

Huic convenit quarta interpretatio *Agnoscens* juxta illud « Nunc cognosco ex parte », etc. (1 Cor. 13.)

In cathedra sancti Petri

(Manuscrit de Toulouse)

Ego dico tibi, quia tu es Petrus.
(Mat. 16.)

Sancta mater Ecclesia hodie facit festum de sancto Petro Apostolo, non de passione sed de cathedra, quia hodie fuit elevatum in altum in cathedra in qua fuit sublimatus per christianos cum magno honore, etc. Et quia totum officium est sancti Petri, sic noster presens sermo erit de eo, in quo, si placet Deo, habebimus de bonis doctrinis, quia « Ego dico tibi, quia », etc.

Istud verbum est Jesu qui dixit beato Petro, etc. Et habet magnam sententiam, nam *Petrus* habet quatuor significata. — Primo dicitur *cognoscens* propter quod lucratus est presidentiam universalem. — Secundo dicitur *agnitus*, propter quod lucratus est cathedram *sanctimonial.* — Tertio dicitur *solvens,* propter quod lucratus est sapientiam *theological.* — Quarto dicitur *dissolvens,* propter quod lucratus est preeminentiam *judicial.* Et omnes istas cathedras dat intelligi thema propositum : « Ego dico tibi », etc.

Modo videamus modicum de quolibet.

Primo dico quod beatus Petrus dicitur *cognoscens,* quia habuit magnam noticiam de Christo, nam ipse novit Dominum Nostrum Jesum Christum super omnes alios apostolos, ut patet Mat. 16. Unde quadam die Dominus Jesus vocavit omnes apostolos suos sicut papa vocat cardinales, et dixit eis : « Quem dicunt », etc., ut habetur in textu. Dixit unus ex apostolis : Domine, ego audivi dici quod vos estis Joannes Baptista, quia sicut erat Joannes Baptista sanctissime vite, sic vos estis et majoris sanctitatis et perfectionis. — Alius apostolus : Domine, audivi dici quod vos estis Helias qui est in paradiso terrestri, qui veniet pugnare cum Antichristo. Et sicut Helias fugiebat consortium hominum, ita Christus, quia nullus poterat loqui cum eo, ita vitam solitariam tenebat. — Et Christus dixit uni alteri apostolo : Et tu, quid dicis ? — Ego,

Digitized by Google

Domine, audivi dici quod estis Jeremias ; quia sicut Jeremias reprehendebat aspere peccata Judeorum, sic Christus reprehendebat aspere peccata populi ipsa corrigendo. — Et vos alii, quid dicitis de me ? — Dicunt aliqui : Domine, quod vos estis unus ex prophetis, qui prophetizatis multa futura, sicut prophete prophetizaverunt de Antichristo, de fine mundi, et de resurrectione generali. — Et vos, alii apostoli, quid dicitis de me ? Quia audio et video quid dicunt gentes de me ; et vos quid dicitis qui tanto tempore fuistis mecum ? — Et omnes tacuerunt preter beatum Petrum, qui respondens pro omnibus dixit : Ego, Domine, dico « quod tu es Christus filius Dei vivi ».

Et istud dico ego. Sicut tria in nomine *Jesus :* Christus, Messias et Unctus. Christus est nomen grecum, Messias nomen ebraycum, Unctus nomen latinum. Unde Christus est unctus in Virginis Marie *(sic.)* Et ideo dicebat David : « Diffusa est gratia in labiis tuis », etc. — Et quo oleo unctus ? — Gratia divina ; nam sicut homo est filius hominis, ita Christus est filius Dei eterni Patris et consubstantialis. Et hec est fides catholica. Et ideo dicit thema : « Ego dico tibi, quia tu es Petrus *cognoscens.* Sive agnoscens. Quasi dicat : Alii apostoli non cognoverunt me, sed tu recte novisti veritatem, et ideo meruisti habere cathedram universalem.

Et sequitur : « Et porte inferi non prevalebunt adversus eam. » Sed quot sunt porte inferi ? Ideo sc.: *prosperitat temporal, adversitat mundial.* — *Temporal* est ut habere divitias, honores et dignitates. Et per istam intrant multi in infernum, et clerici seculares, et etiam quamplures religiosi, layci, et mulieres, et alii innumerabiles, vanitatem facientes ; non curant tales quam vitam debent tenere. — Secunda porta est *adversitat mundanal :* et per istam portam intrant persone que desparant se propter impatientiam. — Et iste porte non prevalebunt adversus Ecclesiam.

Et sequitur : « Et tibi dabo claves regni celorum. » Ecce qualiter ponitur in Ecclesia. — « Et quodcumque ligaveris », etc. — Sed qualiter ligat beatus Petrus ? — Certe quando Papa vel episcopus dat sententiam excommunicationis ut quicumque commiserit furtum vel sacrilegium ipso facto sit excommunicatus, talis est ligatus quamdiu est in excommunicatione, et non habet meritum in bonis Ecclesie, sc. in missis, sermonibus, et in aliis sacramentis ecclesiasticis, nec debent intrare ecclesiam ; sed in sermonibus possunt omnes interesse, Christiani, infideles et heretici. Et quare ? Ut facilius veniant ad paradisum per fidem Christi, et per sanctum baptisma devote suscipiendo. Ideo dixit : « Quodcumque solveris... » Unde quando homo confessus est, omnes catene quibus ligatus erat statim franguntur, dictis tribus verbis absolutionis. Et ideo nunc est tempus frangendi catenas dyaboli, et ad domum Dei ambulandi per gratiam et bona opera, et non expectando septima-

Digitized by Google

nam sanctam, ubi confitentur quamplures male, tum ratione confessoris qui habent plures audire, tunc sunt accediati, tum ratione gentium qui volunt tunc confiteri. Sed in principio XLe tunc debent venire et festinare, lavare animam suam.

Et dicam vobis unum miraculum. Erat quidam peccator qui habebat septem peccata mortalia, et intravit quandam ecclesiam, et quidam sanctus homo erat in ecclesia, et videbat qualiter ille peccator trahebatur cum magnis catenis per septem demones ne intraret ecclesiam. Et quando intravit, demones trahebant hinc et inde ut exiret. Sed notate, bone gentes, quod demones non *forsant lo franch arbitre.* Homo peccator in illis partibus cum quibus peccavit est ligatus catenis spiritualibus, ut in capite, vel in manibus ; iste venit ad confessorem, et Deo adjuvante, et libero arbitrio, confessus est omnia peccata sua cum magna contritione. Et quando fuit bene confessus, et confessor eum absolvit de omnibus peccatis confessis et oblitis, tunc sanctus homo vidit quod ille catene fuerunt fracte, et demones fugerunt tristes et desolati quia perdiderunt eorum captivum qui per peccatum erat eorum servus, et per contritionem et confessionem factus est servus Jesu Christi, juxta illud : « Qui facit peccatum servus est peccati. » Et ideo, bone gentes, confiteamini, et catene demonum frangentur : « Quodcumque solveris », etc. — Et ecce declaratur qualiter beatus Petrus *cognoscens* lucratus est cathedram presidentie universalis, de qua loquitur scriptura : « Precedam ad portam civitatis » (Job 2), que est porta paradisi de qua dixit Joan. 10 : « Ego sum ostium, per me si quis intraverit, salvabitur. » Et dixit, quando accedebant ad portam civitatis, sc. Ecclesie militantis, confitendum Deum verum et hominem, dicendo : « Tu es Christus filius Dei vivi. »

Secundo interpretatur Petrus *agnitus.* Unde bone gentes, ab initio quando predicabat, homines et mulieres *truffabant,* sc. de eo quod ipse fuerat piscator et non studuerat. Sed postquam fuit plenus Spiritu Sancto, in predicatione sua fuit *agnitus* per tria : primo *doctrina celestial ;* secundo *vida spiritual ;* tertio *obra sobrenatural.*

Et ici tout ce qu'on sait du premier saint venu, y compris les miracles pris dans les *Actes des Apôtres.*

Et ideo lucratus est cathedram universalem, primo in Antiochia ubi fecerunt sibi unam magnam cathedram, et ibi elevaverunt eum. Et de ista intronizatione loquitur ps.: « In cathedra seniorum laudent eum. » Non dicit juvenum, nam cathedra juvenum est quando volunt magistrari ut habeant birretum rotondum, et non curant predicare et animas de mala vita reducere. Sed illorum qui predicant Verbum Dei dicitur cathedra seniorum, et in illa stant magistri qui sunt digni birro.

Digitized by Google

Domine, audivi dici quod estis Jeremias ; quia sicut Jeremias reprehendebat aspere peccata Judeorum, sic Christus reprehendebat aspere peccata populi ipsa corrigendo. — Et vos alii, quid dicitis de me ? — Dicunt aliqui : Domine, quod vos estis unus ex prophetis, qui prophetizatis multa futura, sicut prophete prophetizaverunt de Antichristo, de fine mundi, et de resurrectione generali. — Et vos, alii apostoli, quid dicitis de me ? Quia audio et video quid dicunt gentes de me ; et vos quid dicitis qui tanto tempore fuistis mecum ? — Et omnes tacuerunt preter beatum Petrum, qui respondens pro omnibus dixit : Ego, Domine, dico « quod tu es Christus filius Dei vivi ».

Et istud dico ego. Sicut tria in nomine *Jesus :* Christus, Messias et Unctus. Christus est nomen grecum, Messias nomen ebraycum, Unctus nomen latinum. Unde Christus est unctus in Virginis Marie *(sic.)* Et ideo dicebat David : « Diffusa est gratia in labiis tuis », etc. — Et quo oleo unctus ? — Gratia divina ; nam sicut homo est filius hominis, ita Christus est filius Dei eterni Patris et consubstantialis. Et hec est fides catholica. Et ideo dicit thema : « Ego dico tibi, quia tu es Petrus *cognoscens*. Sive agnoscens. Quasi dicat : Alii apostoli non cognoverunt me, sed tu recte novisti veritatem, et ideo meruisti habere cathedram universalem.

Et sequitur : « Et porte inferi non prevalebunt adversus eam. » Sed quot sunt porte inferi ? Ideo sc.: *prosperitat temporal, adversitat mundial.* — *Temporal* est ut habere divitias, honores et dignitates. Et per istam intrant multi in infernum, et clerici seculares, et etiam quamplures religiosi, layci, et mulieres, et alii innumerabiles, vanitatem facientes ; non curant tales quam vitam debent tenere. — Secunda porta est *adversitat mundanal :* et per istam portam intrant persone que desparant se propter impatientiam. — Et iste porte non prevalebunt adversus Ecclesiam.

Et sequitur : « Et tibi dabo claves regni celorum. » Ecce qualiter ponitur in Ecclesia. — « Et quodcumque ligaveris », etc. — Sed qualiter ligat beatus Petrus ? — Certe quando Papa vel episcopus dat sententiam excommunicationis ut quicumque commiserit furtum vel sacrilegium ipso facto sit excommunicatus, talis est ligatus quamdiu est in excommunicatione, et non habet meritum in bonis Ecclesie, sc. in missis, sermonibus, et in aliis sacramentis ecclesiasticis, nec debent intrare ecclesiam ; sed in sermonibus possunt omnes interesse, Christiani, infideles et heretici. Et quare ? Ut facilius veniant ad paradisum per fidem Christi, et per sanctum baptisma devote suscipiendo. Ideo dixit : « Quodcumque solveris... » Unde quando homo confessus est, omnes catene quibus ligatus erat statim franguntur, dictis tribus verbis absolutionis. Et ideo nunc est tempus frangendi catenas dyaboli, et ad domum Dei ambulandi per gratiam et bona opera, et non expectando septima-

Digitized by Google

nam sanctam, ubi confitentur quamplures male, tum ratione confessoris qui habent plures audire, tunc sunt accediati, tum ratione gentium qui volunt tunc confiteri. Sed in principio XLe tunc debent venire et festinare, lavare animam suam.

Et dicam vobis unum miraculum. Erat quidam peccator qui habebat septem peccata mortalia, et intravit quandam ecclesiam, et quidam sanctus homo erat in ecclesia, et videbat qualiter ille peccator trahebatur cum magnis catenis per septem demones ne intraret ecclesiam. Et quando intravit, demones trahebant hinc et inde ut exiret. Sed notate, bone gentes, quod demones non *forsant lo franch arbitre.* Homo peccator in illis partibus cum quibus peccavit est ligatus catenis spiritualibus, ut in capite, vel in manibus ; iste venit ad confessorem, et Deo adjuvante, et libero arbitrio, confessus est omnia peccata sua cum magna contritione. Et quando fuit bene confessus, et confessor eum absolvit de omnibus peccatis confessis et oblitis, tunc sanctus homo vidit quod ille catene fuerunt fracte, et demones fugerunt tristes et desolati quia perdiderunt eorum captivum qui per peccatum erat eorum servus, et per contritionem et confessionem factus est servus Jesu Christi, juxta illud : « Qui facit peccatum servus est peccati. » Et ideo, bone gentes, confiteamini, et catene demonum frangentur : « Quodcumque solveris », etc. — Et ecce declaratur qualiter beatus Petrus *cognoscens* lucratus est cathedram presidentie universalis, de qua loquitur scriptura : « Precedam ad portam civitatis » (Job 2), que est porta paradisi de qua dixit Joan. 10 : « Ego sum ostium, per me si quis intraverit, salvabitur. » Et dixit, quando accedebant ad portam civitatis, sc. Ecclesie militantis, confitendum Deum verum et hominem, dicendo : « Tu es Christus filius Dei vivi. »

Secundo interpretatur Petrus *agnitus.* Unde bone gentes, ab initio quando predicabat, homines et mulieres *truffabant,* sc. de eo quod ipse fuerat piscator et non studuerat. Sed postquam fuit plenus Spiritu Sancto, in predicatione sua fuit *agnitus* per tria : primo *doctrina celestial ;* secundo *vida spiritual ;* tertio *obra sobrenatural.*

Et ici tout ce qu'on sait du premier saint venu, y compris les miracles pris dans les *Actes des Apôtres.*

Et ideo lucratus est cathedram universalem, primo in Antiochia ubi fecerunt sibi unam magnam cathedram, et ibi elevaverunt eum. Et de ista intronizatione loquitur ps.: « In cathedra seniorum laudent eum. » Non dicit juvenum, nam cathedra juvenum est quando volunt magistrari ut habeant birretum rotondum, et non curant predicare et animas de mala vita reducere. Sed illorum qui predicant Verbum Dei dicitur cathedra seniorum, et in illa stant magistri qui sunt digni birro.

Digitized by Google

Domine, audivi dici quod estis Jeremias ; quia sicut Jeremias reprehendebat aspere peccata Judeorum, sic Christus reprehendebat aspere peccata populi ipsa corrigendo. — Et vos alii, quid dicitis de me ? — Dicunt aliqui : Domine, quod vos estis unus ex prophetis, qui prophetizatis multa futura, sicut prophete prophetizaverunt de Antichristo, de fine mundi, et de resurrectione generali. — Et vos, alii apostoli, quid dicitis de me ? Quia audio et video quid dicunt gentes de me ; et vos quid dicitis qui tanto tempore fuistis mecum ? — Et omnes tacuerunt preter beatum Petrum, qui respondens pro omnibus dixit : Ego, Domine, dico « quod tu es Christus filius Dei vivi ».

Et istud dico ego. Sicut tria in nomine *Jesus :* Christus, Messias et Unctus. Christus est nomen grecum, Messias nomen ebraycum, Unctus nomen latinum. Unde Christus est unctus in Virginis Marie *(sic.)* Et ideo dicebat David : « Diffusa est gratia in labiis tuis », etc. — Et quo oleo unctus ? — Gratia divina ; nam sicut homo est filius hominis, ita Christus est filius Dei eterni Patris et consubstantialis. Et hec est fides catholica. Et ideo dicit thema : « Ego dico tibi, quia tu es Petrus *cognoscens*. Sive agnoscens. Quasi dicat : Alii apostoli non cognoverunt me, sed tu recte novisti veritatem, et ideo meruisti habere cathedram universalem.

Et sequitur : « Et porte inferi non prevalebunt adversus eam. » Sed quot sunt porte inferi ? Ideo sc.: *prosperitat temporal, adversitat mundial.* — *Temporal* est ut habere divitias, honores et dignitates. Et per istam intrant multi in infernum, et clerici seculares, et etiam quamplures religiosi, layci, et mulieres, et alii innumerabiles, vanitatem facientes ; non curant tales quam vitam debent tenere. — Secunda porta est *adversitat mundanal :* et per istam portam intrant persone que desparant se propter impatientiam. — Et iste porte non prevalebunt adversus Ecclesiam.

Et sequitur : « Et tibi dabo claves regni celorum. » Ecce qualiter ponitur in Ecclesia. — « Et quodcumque ligaveris », etc. — Sed qualiter ligat beatus Petrus ? — Certe quando Papa vel episcopus dat sententiam excommunicationis ut quicumque commiserit furtum vel sacrilegium ipso facto sit excommunicatus, talis est ligatus quamdiu est in excommunicatione, et non habet meritum in bonis Ecclesie, sc. in missis, sermonibus, et in aliis sacramentis ecclesiasticis, nec debent intrare ecclesiam ; sed in sermonibus possunt omnes interesse, Christiani, infideles et heretici. Et quare ? Ut facilius veniant ad paradisum per fidem Christi, et per sanctum baptisma devote suscipiendo. Ideo dixit : « Quodcumque solveris... » Unde quando homo confessus est, omnes catene quibus ligatus erat statim franguntur, dictis tribus verbis absolutionis. Et ideo nunc est tempus frangendi catenas dyaboli, et ad domum Dei ambulandi per gratiam et bona opera, et non expectando septima-

Digitized by Google

nam sanctam, ubi confitentur quamplures male, tum ratione confessoris qui habent plures audire, tunc sunt accediati, tum ratione gentium qui volunt tunc confiteri. Sed in principio XLe tunc debent venire et festinare, lavare animam suam.

Et dicam vobis unum miraculum. Erat quidam peccator qui habebat septem peccata mortalia, et intravit quandam ecclesiam, et quidam sanctus homo erat in ecclesia, et videbat qualiter ille peccator trahebatur cum magnis catenis per septem demones ne intraret ecclesiam. Et quando intravit, demones trahebant hinc et inde ut exiret. Sed notate, bone gentes, quod demones non *forsant lo franch arbitre*. Homo peccator in illis partibus cum quibus peccavit est ligatus catenis spiritualibus, ut in capite, vel in manibus ; iste venit ad confessorem, et Deo adjuvante, et libero arbitrio, confessus est omnia peccata sua cum magna contritione. Et quando fuit bene confessus, et confessor eum absolvit de omnibus peccatis confessis et oblitis, tunc sanctus homo vidit quod ille catene fuerunt fracte, et demones fugerunt tristes et desolati quia perdiderunt eorum captivum qui per peccatum erat eorum servus, et per contritionem et confessionem factus est servus Jesu Christi, juxta illud : « Qui facit peccatum servus est peccati. » Et ideo, bone gentes, confiteamini, et catene demonum frangentur : « Quodcumque solveris », etc. — Et ecce declaratur qualiter beatus Petrus *cognoscens* lucratus est cathedram presidentie universalis, de qua loquitur scriptura : « Precedam ad portam civitatis » (Job 2), que est porta paradisi de qua dixit Joan. 10 : « Ego sum ostium, per me si quis intraverit, salvabitur. » Et dixit, quando accedebant ad portam civitatis, sc. Ecclesie militantis, confitendum Deum verum et hominem, dicendo : « Tu es Christus filius Dei vivi. »

Secundo interpretatur Petrus *agnitus*. Unde bone gentes, ab initio quando predicabat, homines et mulieres *truffabant*, sc. de eo quod ipse fuerat piscator et non studuerat. Sed postquam fuit plenus Spiritu Sancto, in predicatione sua fuit *agnitus* per tria : primo *doctrina celestial ;* secundo *vida spiritual ;* tertio *obra sobrenatural*.

Et ici tout ce qu'on sait du premier saint venu, y compris les miracles pris dans les *Actes des Apôtres*.

Et ideo lucratus est cathedram universalem, primo in Antiochia ubi fecerunt sibi unam magnam cathedram, et ibi elevaverunt eum. Et de ista intronizatione loquitur ps.: « In cathedra seniorum laudent eum. » Non dicit juvenum, nam cathedra juvenum est quando volunt magistrari ut habeant birretum rotondum, et non curant predicare et animas de mala vita reducere. Sed illorum qui predicant Verbum Dei dicitur cathedra seniorum, et in illa stant magistri qui sunt digni birro.

Digitized by Google

Tertio beatus Petrus dicitur *solvens*. Quando fuit Rome reperit tres hereses. (Act. 48.) Primo qui colebant planetas dicentes quod mundus semper fuit eternus, et sic erant *calcientes*. Sed beatus Petrus fuit solvens sive discalcians. Et posuit se in scolis eorum ad predicandum qualiter mundus habuit principium et habebit finem ; et solum remanebunt elementa pura. Et probavit argumentis insolubilibus et per miracula manifesta. — Item accessit ad aliam scolam stoïcorum qui dicebant quod homo per suum liberum arbitrium poterat salvari. Et dicebat beatus Petrus quod nullus poterat salvari nisi per passionem Jesu Christi. (1 Pet. 3.)

Et à chaque affirmation il fait venir un aveugle, un sourd ou un paralytique, et le guérit, disant : « Ma doctrine est aussi vraie que cet infirme est guéri », argumentation qui se trouve ailleurs.

Et ibat ad aliam scolam ubi stabant Epicuri. Isti dicebant quod beatitudo hujus mundi stat in bene comedendo et bene bibendo et bene luxuriando. Sed beatus Petrus cepit predicare quod ad habendum gloriam paradisi est abstinentia necessaria. (1 Pet. 1.)

Propter quod lucratus est cathedram theologicalem.

Quarto dicitur Petrus *dissolvens* seu rumpens, propter quod lucratus est preeminentiam judicialem, nam omnia dimisit propter Christum. Et dixit Christus ad Petrum : « Amen dico vobis... in regeneratione... eritis judicantes. » — Unde generatio prima est quando homo est formatus in utero matris, sed regeneratio quando omnes resurgent de terra cum propriis corporibus. O quot filios habet terra !

Et le jugement, avec la Vierge, les apôtres, tel qu'il l'a dépeint cent fois !

Ce sermon n'est pas dans les recueils imprimés.

Digitized by Google

De beato Mathia apostolo

(Manuscrit autographe)

Ita, pater : quoniam sic fuit placitum ante te.
(Mat. 11.)

Secundum veram philosophiam et sanctam theologiam, omnium rerum et orationum tam naturalium quam meritoriarum prima et principalis causa est bene placitum divine voluntatis. Alie quidem cause omnes sunt intermedie et quasi dispositive. Hoc faciliter potest videri per similitudinem in horologio, in quo omnium motorum causa tandem reducitur in magistrum seu gubernatorem, similiter potest deduci in naturalibus, de quocumque effectu, querendo gradatim causam quare. Donec perventum sit ad placitum divine voluntatis, cujus non est causa. Job 1 : « Sicut Domino placuit », etc.

Item etiam potest fieri deductio in affectibus meritoriis. Ps. 17 : « Eduxit me in latitudinem, salvum me fecit quoniam voluit me. » 2 Reg. 22 dicitur : « Quia placui ei. »

Juxta hanc ergo regulam tam physicam quam theologicam, tota causa sanctitatis et maxime perfectionis beati Mathie referenda est ad Deum, dicendo : « Ita, Pater, quoniam sic », etc.

Nota ergo in hoc Apostolo, divini beneplaciti sex effectus laudabiles, qui sunt :

Pueritia gratiosa.
Adolescentia virtuosa.
Discipulatus dominicus.
Apostolatus evangelicus.
Predicatio fructuosa.
Passio gloriosa.

Fiat prosequutio de hiis, inserendo moralitates juxta congruentiam auditorum.

Digitized by Google

De sancto Mathia, apostolo

(Recueil imprimé)

Ita, pater : quoniam sic fuit placitum ante te.
(Mat. II.)

Textualiter, et in evangelio hodierno officialiter.

Sicut totum officium ecclesie, et tota solennitas est illius gloriosi apostoli beati Mathie, ita etiam et sermo, maxime quia de sua sanctissima vita poterimus recipere bonas informationes et instructiones. Salutetur Virgo Maria, etc.

Verbum propositum secundum intellectum quem volo pertractare indiget declaratione theologicali, et sic declarando intrabo materiam quam volo predicare.

Secundum sanctam veram theologiam omnia illa opera que sunt in hoc mundo, sive sint naturalia, sive voluntaria, sive meritoria, habent unam causam principalem, sc. beneplacitum divine voluntatis, licet per philosophiam assignentur alie cause, omnes tamen alie cause sunt instrumentales et intermedie, et quasi dispositive. Principalis causa omnium est voluntas Dei. Si dicatur : Quare hoc fuit factum, que fuit causa istius ? — Respondetur : Voluntas Dei, quia Deus voluit. Et hoc faciliter potest videri per similitudinem in horologio, in quo omnium motionum causa tandem reducitur in magistrum seu gubernatorem horologii. Similiter potest deduci in naturalibus, et artificialibus, et moralibus, et meritoriis. Si enim queratur quare modo fit ventus, diceret philosophus : quia terra emittit vapores, qui non possunt ascendere, quia talis planeta regnat, etc. Si ultra queratur : quare habet planeta talem virtutem ? Respondetur : Quia Deus a principio sibi dedit. Et si queratur : quare ? quia placuit sibi. — Si ultra, et quare sibi placuit ? Stulta est questio, hic jubet Plato quiescere.

Idem quando queritur : Quare sunt fames alicubi ? Responderet philosophus : Quia non seminaverunt, nec collegerunt. Si ultra queratur : Quare non ? quia terra erat arida. Diceret ipse, et etiam sicca, quia non pluerat. Quare non pluerat ? Quia vapores non elevabantur in altum, nec condensabantur, etc. Hoc responderet philosophus. Quare non ? Quia Deus dedit talem virtutem. Quare dedit ? Quia sibi placuit. Sola ista ratio satiat, alie autem rationes non satiant. — Idem de mortalitatibus, infirmitatibus, non est attribuendum causis secundis, et instrumentalibus, sed divine voluntati. — Item idem patet in causis artificialibus, notarius enim volens bene scribere chartam, multis indiget, et multa concurrunt ad illam scripturam charte, sc. calamus, scindipendium, regula, et incaustum, tamen bonitas litere non attribuitur calamo,

Digitized by Google

nec aliis, sed notario, qui est causa principalis. Idem de cista que est optime fabricata, non attribuitur ascie seu martello, sed carpentario. Idem de cipho argenti, etc. Idem de illis operibus que fiunt in hoc mundo, sola divina voluntas est causa omnium que fiunt dempto peccato, quod non est opus suum.

Idem in operibus voluntariis. Si dicatur et queratur : Quare David, et ita intelligit de quolibet alio, fuit ita sanctus ? Si dicatur : Quia tenuit hic bonam vitam, et vitavit peccata, quia nolebat facere contra divinam voluntatem et ordinationem, nondum satiat responsio. Sed si dicatur : Quia ita placuit Deo, ista responsio satiat. Et si queratur : Quare placuit Deo ? Questio est stulta, quia ultra summum gradum non est aliud. Ideo David in primo de se dixit : « Eduxit me in latitudinem, sc. sanctitatis et bone vite, salvum me fecit. Ratio, quia voluit me. » Et etiam habetur 2 Reg. 22 : Quia placuit ei, quod idem est. Ex ista ratione sancti patres totum attribuebant Deo, et in hoc non potest homo errare, et sit Deo magnus honor. — De hoc exemplum in Job ditissimo, qui una die perdidit quingenta paria bovum, et totidem paria asinarum, quia Sabei secum duxerunt, et voluerunt interficere custodes, quia defendebant. Item habebat septem milia capita ovium, et eadem die duxerunt secum, et etiam tria milia camelorum. Item habebat septem filios milites, et tres filias, et eadem die dum comederent in eadem domo facientes convivium, venit ventus, et diruit domum, et oppressit omnes. Quando autem venerunt nova ad Job, creditis quod ipse dixisset : hoc fecerunt inimici, ignis, vel ventus ? non curavit de secundis causis, quia solum sunt instrumenta, sed totum attribuit Deo dicens : « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est. » (Job.) — Item Jacob quando Esau frater suus quesivit ab eo : Quid sibi volunt isti ? Et si ad te pertinent ? Respondit : « Parvuli sunt quos donavit mihi Deus servo tuo. » (Gen. 33.) Ecce ergo quomodo patet doctrina quod omnia que fiunt in mundo, sive operibus naturalibus, sive artificialibus, sive voluntariis, Deus est causa principalis omnium, demptis culpis peccatorum, de quibus actus est a Deo, culpa vero a peccatore. Ideo dicit magister sententiarum in primo, et allegat Augustinus dicens : « Sufficit christiano scire et confiteri omnium rerum et operationum que fiunt in hoc mundo causam esse divinam voluntatem. » Ideo quia beatus Mathias fuit ita sanctus, si queratur que fuit causa ejus sanctitatis ? Respondetur quod orationes, et jejunia, vel penitentia, non quia iste cause solum, quia sunt instrumentales et dispositive, sed causa principalis fuit beneplacitum divine voluntatis. Ideo Christus dixit patri : « Ita pater », sc. est ita sanctus beatus Mathias. Et inde : « Sic fuit placitum ante te. » Patet thema.

Et notavi quatuor gradus sanctitatis Mathie.

Digitized by Google

Primus sanctitas laicalis.
Secundus sanctitas clericalis.
Tertius sanctitas pontificalis.
Quartus sanctitas martyrialis.

Si queratur : Quare habuit tot gradus sanctitatis ? Respondet thema. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

Dico primo quod in Mathia fuit sanctitas laicalis, que in hoc consistit, ut serventur stricte Dei precepta, et quod homines ponant in corde suo nihil facere quod sit contra Deum, etiam pro toto mundo acquirendo : « Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, anime vero sue detrimentum patiatur ? » (Matth. 16.) Modicum lucratur qui animam perdit. Quando homo magis vult vivere secundum divinam ordinationem, quam secundum propriam inclinationem, quando, sc. dicit caro ad Deum : Vos, Domine, ordinastis oppositum contra malam inclinationem, ideo volo humiliari ad serviendum vestris mandatis. — Et sic discurrendo peccata, ut erit expediens. Ista est sanctitas laicalis. De hoc autem : « Sanctificamini et estote sancti, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. » Et si queratur : Domine, quomodo sanctificabimur ? Respondet : « Custodite precepta mea et facite ea. Ego, Dominus, qui sanctifico vos. » (Levi. 20.)

Isto modo beatus Mathias habuit sanctitatem laicalem. Cum enim fuisset laicus, potius gubernabat se secundum Dei mandata quam secundum propria sentimenta. Dicit historia quod fuit civitatis Bethleem de tribu Juda. Jam scitis quomodo fuerunt duodecim tribus, et principalis fuit tribus Juda, de qua fuit Christus, etiam beatus Mathias. Patet quomodo erat nobili genere, et parentes erant divites in divitiis et moribus, et habuerunt magnam diligentiam ad nutriendum puerum beatum Mathiam, quia pueri in pueritia lucrantur vel perduntur ex negligentia parentum, quia dimittunt eos ad libitum eorum, etc. Dicit historia, quod parentes ipsum ab annis puerilibus divine legis instructionibus manciparunt.— Ad practicam, dicatur quomodo pater ejus vocabat eum coram se dicens ei : Fili, scias quod Deus dedit nobis precepta et ordinationes, secundum quas debemus vivere, et non secundum nostram voluntatem seu inclinationem, ideo cave ne dicas mendacium. Item ne jures nisi pro necessitate, sc. coactus judicio et utilitate, et tunc cum veritate. Aliter enim jurare semper est peccatum. Item quod non diffamaret aliquem, vel diceret malum de proximo, ne contenderet, ne injuriam alicui faceret. Item ne furtum faceret, ne inventum aliquid retineret, ne vellet vindictam de injuria, ut oraret, et ad templum iret, et cum silentio officium audiret. Ecce quomodo divine legis instructionibus eum manciparunt. Et sicut augmentabatur etate, etiam augmentabatur sanctitate. Non legitur ipsum fecisse carnalitatem, imo dicit historia : quod

Digitized by Google

erat corpore mundissimus. Mundi sunt vir et uxor ejus servantes sibi mutuam fidelitatem et modum, etc. Mundiores sunt continentes. Sed mundissimi sunt virgines. Ecce sanctitas laicalis. Ita pater, quoniam, etc.

Moraliter habetis hic instructionem nutriendi filios. Magna damnatio est parentum qui non curant de spirituali instructione puerorum. Vultis cognoscere quod peccatum est? Sicut si pater nollet providere filiis parvulis de cibo, potu, vestitu, et morerentur fame, nunquid esset magna crudelitas, et magnum peccatum? Majus peccatum est, quando non curant instruere de his que pertinent ad animam, que plus valet quam corpus. Quid est corpus nisi saccus stercorum, et cibus vermium quod moritur et corrumpitur, et non anima? Ideo Joan. 6: « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. » Si ergo tam magnum peccatum est parentum non curare de corpore filiorum, quanto magis de anima eorum, et maxime quando sunt parvuli, tunc enim flecti possunt ut arbores tenues, magni autem minime, sed in furca inferni castigabuntur. Ideo parentibus dicit scriptura: « Patres, nolite ad iracundiam, supple Dei, provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correctione Domini. » (Ephe. ult.)

Dico secundo quod in eo fuit sanctitas clericalis, que in hoc consistit, ut dicit Zacharias pater Joannis Baptiste, qui fuit sacerdos: « De manibus inimicorum nostrorum liberati serviamus illi. In sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris. » (Luce 1.) Tres sunt inimici omnium Christianorum principales, sed precipue clericorum, sc. diabolus, caro, et mundus. Diabolus manu sua capit. Manus diaboli est ludus taxillorum. Cum ista manu diabolus aufert ludentes. Secundo consentientes. Tertio aspicientes. Quarto mutuantes taxillos. Quinto pecunias. Sexto domum et tabularium. Septimo rectores civitatis permittentes ludum. Omnes isti capiuntur manu diaboli in ludo. Ideo fugere debetis, ut possitis dicere cum Thobia: « Mundam servavi animam meam », etc. (Tho. 3.) Maledictus est qui ludit cum clericis, cum sit eis prohibitum: « Episcopus, sacerdos, diaconus, aut subdiaconus, ebrietati aut alee deserviens, aut desistat, aut certe damnetur. » — Secundus inimicus est caro, cujus manus est cum qua capit multas animas, sc. omnes illos qui volunt habere delectationes per illas partes preter virum et uxorem, quia non vult Deus quod illud opus turpe fiat nisi inter virum et uxorem matrimonialiter conjunctos, et servantes modum, etc. Si autem dicatur: Uxor mea est senex, vel infirma, vel dimisit me? Dico quod vivatis consequenter caste, istud est onus matrimonii. Clerici vero tenentur vivere caste ex voto ordinibus annexo. — Tertius inimicus est mundus, cujus manus ad capiendum est usura in laicis, et simonia in clericis. Ista manu capit primo omnes ad usuram mutuantes. Secundo notarium, quia

Digitized by Google

perjurus est, et infamis, quando enim fit notarius, jurat non recipere contractus illicitos. Tertio testes dantes favorem usurario. Quarto uxorem usurarii, si de illo lucro facit vanitates. Quinto filios recipientes hereditatem, et filios recipientes de usura dotem, quia deberent dicere patri quod daret eis simplicem dotem vel hereditatem. Sexto generos, quia recipiunt dotem. Septimo filios usurarii succedentes, qui deberent totum restituere, et non faciunt ab ista usura, etc. — Simoniam maxime cavere debent clerici. Dicunt aliqui quod clerici, religiosi, et vidue possunt recipere usuram, hoc est falsum et error. Si papa mutuaret ad usuram, damnaretur. In hoc ergo consistit sanctitas clericalis, ut sint liberati de manu inimicorum, sc. diaboli, carnis, et mundi.

Istam sanctitatem habuit beatus Mathias. Postquam enim habuit sanctitatem laicalem, audivit Christum predicantem, et miracula facientem, ostendentem quod ipse erat Messias in lege promissus. O ! dixit beatus Mathias, mutare statum opportet, et ascendere altius. Unde statim intravit societatem Christi, et Christus fecit eum unum de LXXII discipulis. Ratio, quia post diluvium mundus divisus fuit in LXXII partes et linguas (Gen. I). Et quia Christus venit ad convertendum mundum totum, elegit LXXII discipulos, qui fuerunt sacerdotes. De quibus Luc. 10 : « Designavit Dominus Jesus et alios LXXII » etc. — Et comparando verba ad beatum Mathiam, quando Christus misit ipsunt ad predicandum penitentiam, ecce materia de qua predicabat. Respondebat : Domine, non credent mihi. Et Christus ait : Ideo do tibi potestatem faciendi miracula, curare infirmos.— Dicatur practice. — Ecce quomodo habuit sanctitatem clericalem, liberatus de manu inimicorum, diaboli, carnis, et mundi. Ita pater, quoniam, etc. Ideo assimilemur ei in aliquo nos ecclesiastici, vincendo diabolum, subjugando carnem, et despiciendo mundum et mundana.

Dico tertio quod in eo fuit sanctitas pontificalis, que in hoc consistit, sc. esse apostolum Christi, quia sicut discipuli Christi fuerunt sacerdotes, ita omnes apostoli fuerunt episcopi. Sanctitas episcopalis in hoc consistit, ut dicit apostolus ad Titum : « Oportet episcopum sine crimine esse. » — Sed quis est hic, et laudabimus eum ? Istam sanctitatem habuit beatus Mathias. Ex quo diu vixit in sanctitate clericali, post Christi ascensionem et Spiritus Sancti missionem. Primus papa post Christum, sc. beatus Petrus vocavit concilium grande. Erat autem turba hominum fere CXX. (Act. I.) Dicens quod numerus apostolorum erat duodenarius, sed diminutus erat per mortem Jude ; dicens : « Oportet impleri scripturam », etc. (Act. I.) — Dicatur quomodo in concilio aliqui tenebant quod loco Jude eligeretur Joseph, qui cognominatus est justus ex sua sanctitate, qui erat consanguineus germanus Christi, et nepos virginis Marie, qui erat presens in consilio, et filius Marie Cleo-

Digitized by Google

phe, que habuit quatuor filios, sc. Jacobum minorem, Simeonem, et Judam, qui fuerunt Christi apostoli, et Joseph justum. Alii autem dicebant quod Mathias sua sanctitate et magna scientia. Ideo statuerunt eos in medio. Et orando flexis genibus apostoli dixerunt hanc orationem : « Tu Domine, qui nosti corda omnium », etc. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam. (Act. 1.) Beatus Dionysius declarans que fuit ista sors, dicit quod fuit radius ignis, que de celo descendens posuit se super caput Mathie. Ecce quomodo fuit electus.

Moraliter habemus hic exemplum in electionibus faciendis, Christus enim non elegit consanguineum germanum suum, licet esset sanctus, et haberet tres fratres apostolos, et virgo Maria esset avuncula, tamen radius descendit super Mathiam. Cogitate qualem verecundiam debuit habere Joseph, sed non curavit, imo regratiatus est Christo. Exemplum habetis, ne in electione juratorum, seu consulum, vel aliorum, qui habent regere civitatem et communitatem, respiciatis parentes vel amicos, seu propriam utilitatem, sed bonum commune. Dicatur contra illos qui faciunt et procurant regimen pro amicis ut se manuteneant in regimine, etc. Christus noluit eligere consanguineum germanum suum. Ex ista affectione amicorum perduntur civitates, quia assumuntur insufficientes. O quod peccatum est ! Contra hoc dicit apostolus : « Omnes que sua sunt querunt, non que Jesu Christi. » (Ad Phil. 2.)

Dico quarto quod in eo fuit sanctitas martyrialis, de qua dicit ecclesia : « Sunt sancti, qui pro Dei amore minas hominum contempserunt. » Sanctitas ergo martyrialis in hoc consistit pro manutenentia virtutum, sanctitatis, et honoris Dei effundere sanguinem suum. Istam habuit beatus Mathias. — Dicatur quomodo post Christi ascensionem sancti apostoli diviserunt sibi mundum ad predicandum. Beatus Petrus ivit ad Antiochiam, Andreas Achaiam, Joannes Asiam, Jacobus Hyspaniam, Bartholomeus et Thomas in Indiam. Et beatus Mathias predicavit in Judea. Ratio, quia erat nobilis genere, et Judei habebant ipsum in reverentia. Et quia erat de magna scientia, dabant ei fidem intantum quod multi Judeorum ex sua predicatione convertebantur ad Christum. Propter quod summus pontifex voluit eum occidere, et ne diceretur quod ex invidia eum occidisset, noluit ipsum statim occidere, sed disputare cum eo de mysterio Trinitatis dicens : Tu Mathias, predicas tres Deos contra verbum. Deut. 6 : « Audi Israel, Deus tuus unus est », etc. Respondit Mathias quod ipse solum predicabat unum Deum, sed ille unus Deus est tres persone, Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Non enim in Deo accipiuntur persone sicut in nobis. Nec intelligatis quod tres persone divine sint ut tres reges, sed sicut in sole est Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Nunquid Deus est majoris virtutis quam sol ? Ideo David : « In sole posuit tabernaculum suum », id est similitudinem. —

Digitized by Google

Secundo de Christo, quod est Deus et homo. Contra que dicit scriptura : « Audi popule meus... neque adorabis Deum alienum. » Respondit quod Christus est verus Deus eternus, sed homo recens, ut filius regis incipit esse novus miles, licet sit xxx annorum quando fit miles, sed non incipit esse novus filius regis, etc. — Tertio de Christi passione. Si erat Deus, quid ergo oportebat ipsum mori ? Quia frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora. Responsio quod iste modus fuit convenientior pro nostra salute. Nam si villa obligatur regi sub pena mortis solvere mille milia florenorum, et non potest solvere centum, si aliquis solvit pro eis, ipsi evadent mortem, etc. Sic totum genus humanum erat sententiatum ad mortem, vel quod solveret Deo, etc. Et nullus hominum sufficiens erat ad solvendum, nec Christus nisi fuisset Deus. — Quarto disputabant de sacramento altaris, ubi adorabatur Deus, ut antiquitus in arca Moysi. — Quinto de circuncisione, et primus fuit Abraham, et ultimus debuit esse Christus. (Gene. 17.) — Dicit historia quod facta est longa disputatio inter summum pontificem et ipsum. Ipse vero per legem et prophetias ostendebat manifeste de quo erant : propter quod pontifex tanquam in blasphemum protulit in eum sententiam.

Dicatur ejus martyrium.

In Festo sancti Mathie, apostoli

(Manuscrit de Valence)

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.
(Mat. 11.)

Sicut festum totum et solemnitas est hodie beati Mathie, ita et *nostre sermon* de ejus vita que fuit multum placibilis Deo. Et habebimus multas bonas doctrinas, pro omnibus, et Judeis, etc. Et ideo dicamus : *Ave Maria.*

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.
(Mat. 11.)

In isto apostolo Christi sancto Mathia, ego invenio tres excellentias.

Prima est electio *solemnial.*

Secunda instructio *spiritual.*

Tertia passio *martyrial.*

Et propter hec tria, dicit thema in persona beati Mathie : « Omnia, etc... Patre meo. »

Ad primum, de electione solemni. Nam ego invenio quod electio

Digitized by Google

beati Mathie fuit facta solemnis in apostolum, magis quam de aliis apostolis : nam Christus cum eos elegit, sc. Petrum et ceteros, vocando eos elegit non cum precedente concilio et electione. Et de hoc loquitur beatus Lucas caput 6 : « Vocavit discipulos suos : et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit. » Sed beatus Mathias fuit electus in apostolum solemniter, et in primo concilio, quod primus Papa beatus Petrus fecit, ut dicit magister historiarum. Et intervenerunt multi prelati in concilio istius electionis, ut habetur in *Actis Apostolorum*, cap. 1 : « Erat autem turba hominum, fere centum viginti. » Et cum orationibus et conciliis, et deliberationibus fuit beatus Mathias solemniter electus ab omnibus, beato Petro Papa primo tunc interveniente.

Et ego invenio, quod Deus fecit singularem honorem beato Mathie, sicut fecit homini post creationem mundi. Nam a principio Deus creavit mundum, dicendo : « Fiat lux, fiat... », etc. Et cum totum creasset mundum, voluit majorem honorem facere homini, cum creavit illum, dicendo : « Faciamus hominem » ; et non dixit : « Fiat homo », quod facile potuisset dicere, tamen noluit. Et ita fecit Christus Deus dando honorem beato Mathie : quia non elegit eum sicut alios, vocando, sed solemniter, etc. — Ponamus praticam. Christus elegit de discipulis suis duodecim apostolos, et hoc ideo, Judei, elegit duodecim, et non plus, neque minus : quia jam erat figuratum in Lege veteri de duodecim filiis Jacob. Item, similiter fuit figuratum, de duodecim Judicibus, de quibus habetur in libro *Sophetim (Judicum)*, sc. *Othoniel* et *Sophetim*. Item, de illis duodecim apostolis Christi, unus fuit proditor sibi. Et hoc fuit figuratum in duodecim filiis Jacob, de quibus fuit unus, sc. Ruben, proditor suo patri ; quia concubuit cum uxore patris sui Jacob. Item, de duodecim Judicibus, sive Sophetim, fuit proditor quintus, sc. Gedeon. Item, sicut Judas Iscariote fuit proditor in vendendo Christum pro triginta denariis : ita Joseph fuit venditus per suos fratres pro triginta denariis, et ita proditores. Et hoc fuit prophetizatum per Zachariam, cap. 11 : « Projice illum ad statuarium, etc... triginta argenteos. » Item, desperatus per tentationem, ut habetur in Psalm. 108. Et nota quod totus iste psalmus loquitur de Juda Iscariote ; et sicut triginta denariis vendidit Christum, ita in illo psalmo sunt triginta maledictiones, inter quas est ista : Quod demon ad latus ejus stans, faceret eum desperare. Et sequitur : « Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter. »

Et ita, apostoli, cum Christus jam fuisset ascensus in celum, et non remansissent nisi undecim Apostoli, processerunt ad electionem, per dictam prophetiam David : « Fiant dies ejus pauci », etc., ut loco Jude Iscariote eligerent aliquem in Apostolum. Et quia erant duo discipuli Christi sancti et perfecti, sc. Joseph consanguineus Jesu Christi, et

Digitized by Google

beatus Mathias, dubitabant, quem illorum eligerent. Et ita in concilio cum magna devotione fecerunt orationem ad Deum, dicentes (Act. 1) : « Domine, qui corda nosti omnium, etc..., de quo prevaricatus est Judas. » Et incontinenti celi fuerunt aperti, et descendit radius lucis, et posuit se super caput Mathie : « Cecidit sors super Mathiam. » Et ut dicit beatus Dyonisius : « Fuit ista sors, radius veniens de celo. » Et ita videtis quomodo electio beati Mathie fuit solemniter facta, cum tantis orationibus, et miraculis. Et tunc fuit adimpleta prophetia Ecclesiastici 45 : « In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. »

Et modo moraliter. —Bona gens, dicetis vos : Et quare Deus Christus noluit eligere Joseph, qui erat sanctus, et primus *(consobrinus)* suus, sed magis voluit, per radium venientem de celo, eligere beatum Mathiam ? — Dico, quod ad demonstrandum rectoribus et dominatoribus communitatum, et universitatum, ut cum debent eligere officiales et rectores communitatum, quod non eligant magis parentes quam extraneos ; sed imo potius extraneos si utiliores sunt pro regimine et gubernatione communitatis ; et non parentes et amicos, qui non sunt sufficientes ad gubernandum et regendum communitatem. Nam ita fecit Christus, qui voluit eligere beatum Mathiam, quia melius erat sufficiens pro illo officio, quam Joseph, licet fuisset sanctus et *primus* Christi.

Ad secundum : De instructione sive predicatione spirituali. Nam postquam fuit electus in apostolum, accessit per mundum predicando. Et predicabat in Jerusalem, et faciebat multa miracula ; sc. illuminando cecos et surdos faciebat audire et ressuscitare mortuos. Et quia Judei propter miracula et ejus bonam vitam, et sanctam predicationem convertebantur multi, intravit invidia in majoribus Judeis, sc. sacerdotibus, et non poterant sustinere quod beatus Mathias predicaret Judeis : et ita voluerunt disputare cum eo, ut si possent, confunderent eum per suam scientiam. Et cum quadam die predicaret et instrueret populum Judeorum simplicium de Trinitate, surrexit quidam sacerdos contra beatum Mathiam, arguendo contra illum quod dicebat de Trinitate : Nam Deus, per legem Moysis, solus unus est, ut habetur in Deuteronom. 6 : « Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus esset. » Sed beatus Mathias respondit, quod ipse fatebatur, quod Deus « unus est » ; sed quod ille Deus, erat Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Et quod esset Pater, probabat per prophetiam Isaie 63, dicentem : « Tu, Domine, Pater noster, Redemptor noster, a seculo nomen tuum. » Et per aliam prophetiam Jeremie, 3 : « Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. » Et sic apparet quod Deus est Pater. — Et quod Deus sit Filius, probabat per Vetus Testamentum, Proverb. 30 : « Quis suscitabit omnes terminos terre ?... Quod nomen filii ejus si nosti. »

Digitized by Google

Ergo apparet, quod Deus habet Filium. Secundo Psalm. 2 : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.» Et *Ego*, non intelligitur de David ; nam cum fecit hunc Psalmum, jam habebat triginta annos : et ita non *Hodie*, genuit eum, id est tempore quo fecit illum Psalmum. Item, Psalm. 109 dixit : « Ex utero ante luciferum genui te. » *Ex utero*, id est ex mea essentia. — Et quod Deus sit Spiritus Sanctus probabat per Bibliam, ut in Genesi 1 : « Spiritus Domini ferebatur super aquas. » Et David Psalm. 50 : « Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. » Et ita per Vetus Testamentum probavit beatus Mathias, quod unus Deus erat tres Persone, sc. Pater, Filius et Spiritus Sanctus : nam nullus Christianus debet credere quod sit nisi unus Deus, non plures dii.

Item, cum beatus Mathias predicaret quod verus Messias jam venerat, surrexit alter sacerdos magnus rabbi, et arguit contra, sc. quod nondum venerat, propter prophetiam que habetur Isaie 11 : « Et egredietur virgo de radice Jesse, etc... sicut aque maris operientes. » Dicebat iste sacerdos : cum iste bestie non habitent adhuc in simul, signum est, quod Messias non venit. Sed beatus Mathias respondit, quod non intelligebatur de illis bestiis brutis sed de hominibus, qui vivunt secundum bestias, magis quam secundum rationem hominum. Et quod hoc sit verum probatur Genes. 49 : « Benjamin lupus rapax, mane comedet predam, et vespere dividet spolia. » Et quod *lupus habitet cum agno*, jam est adimpletum, sc. quod beatus Mathia habitat cum beato Joanne ; et Nicodemus leopardus cum beato Petro agno. Et *vitulus*, significat corpus Christi ; et *ovis*, animam innocentem Christi ; et *leo*, deitatem. Et quod de istis bestiis, sc. hominibus bestialibus, loquatur, ipsemet Isaias declarat in eodem capite, cum sequitur : « Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo. » Et ita Judei audientes convertebantur, et baptizabantur.

Item, alia die predicavit, quod Christus qui recepit mortem pro redemptione humane nature, erat Deus et Homo : nam sicut in homine non apparet anima, ita in Christo non apparebat deitas. Et surrexit alius, et arguit contra, per id quod habetur in Psalmo 80 : « Audi, Israel... non adorabis Deum alienum. » Dicebat Judeus : Ergo si Deus esset Christus haberemus Deum recentem, quod non est concedendum. Sed beatus Mathias respondit : quod verum erat quod Christus non erat Deus recens : quia antequam montes fierent jam erat Deus, ut habetur in Psalmo 89 : « Domine, refugium factus es nobis, etc... a seculo tu es Deus. » Sed tamen fuit factus Homo recens. Et ita Christus est Deus et Homo. Et quod hoc sit verum, probatur per alium Psalm. 80 : « Ego enim sum Dominus Deus tuus, etc... et implebo illud. » Et ideo sequitur in versu sequenti : « Et non audivit populus meus vocem meam : et Israel non intendit mihi. »

Digitized by Google

Item postquam beatus Mathias dixerat missam, et post missam predicaret, quidam Judeus, qui intervenerat in missa, et viderat quod faciebat adorare Hostiam, arguit contra illum, dicens : quod in lege Moysis cavebatur quod non adoraretur aliqua creatura istius mundi, sed solum Deus creator celi et terre. Tunc respondit beatus Mathias quod ipse nec alii non adoraverunt creaturam aliquam, sed Deum qui intra hostiam sacram habitat ; sicut antiquitus Deus adorabatur intra tabernaculum, et non tabernaculum ; et sicut adorabant Deum per representationem tabularum legis, et non tabulas, Psalm. 71 : « Et erit firmamentum in terra, etc... sicut fenum terre. » Et nota, quod Ecclesiastici dicuntur *Montes,* in quibus Christus in sacrificiis exaltabitur super capita sacerdotum. In Translatione Caldayca dicitur : « Erit placentula tritici super capita sacerdotum. » — Et omnia signa sacrificiorum perdiderunt Judei post Passionem Christi, in qua fuit hoc sacrificium Altaris de Hostia sacra per Christum et institutum. Nam primo, fumus sacrificii non ascendit directe ad celum, sicut solebat. Item, ignis sacrificii per pluviam non suffocabatur, sed postea suffocabatur per modicam pluviam. Item, musce in tempore estatis nunquam appropinquabant ad sanguinem sacrificii. Item, de panno sanguine rubro elevato quod reddebatur albus : denotans Deus quod sibi placebat sacrificium illud, et quod peccata erant eis remissa, ut habetur in Isaia 1 : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. » Sed post Passionem Christi non fiebat illud, denotans quod non placeret sibi. Item, cum congregabantur in quodam loco, omnes capiebant (sufficiebat locus) : sed post Passionem non poterant capere. Et ideo possunt dicere Judei quod habetur in Psalmo 73 : « Signa nostra non vidimus, etc... non cognoscet amplius. » Et de hoc sacrificio Hostie munde fuit prophetizatum Malach. 1 : « Non enim est mihi voluntas in vobis... et offertur nomini meo oblatio munda. » Nam hoc sacrificium Hostie in omni loco potest fieri : sed sacrificium Judeorum in solo templo, etc.

Item, postquam altera die predicavit quod lex Moysis debebat cessare, et Evangelica servari ; et quod eam tenemus scriptam : (nam Papa eam recipit in manibus cum noviter est electus, et dat cuidam qui stat retro ipsum) et ideo, recipiendum a Judeis verbum quod habetur in Levitico 26 : « Et vetera novis supervenientibus projicietis ». Et contra hoc surrexit quidam sacerdos, et arguit quod non poterat esse. Et allegavit quod habetur in Numeris 23 : « Non est Deus ut homo, ut mentiatur... et non faciet ? » Et in Malachia 3 : « Ego enim Dominus et non mutor », etc. Dixit beatus Mathias : Deus non mutatur, sed creatura ; nam facit crescere creaturam, et dat ei novam complexionem ; et sic fecit in formando hominem, nam tria fecit per ordinem : « Formavit hominem de limo terre et inspiravit... animam viventem. » *(Genes. 2.)* Et ita lex Moysis terrenalis fuit innovata per legem Evangelicam. Et

Digitized by Google

Evangelica renovabitur per legem Glorie, ut habetur in Jeremia 31. Et ita per predicationem beati Mathie multi fuerunt conversi ex Judeis.

Ad tertium : De passione martyriali. Nam beatus Mathias martyria, sive tormenta recepit : nam cum Judei et infideles non potuissent eum vincere per disputationem, tractaverunt ut aliter vincerent eum. Et primo dederunt ei bibere herbas venenosas, que de sui natura incecabant. Et cum deberet bibere fecit signum crucis, et non nocuerunt sibi ; imo centum et quinquaginta cecos propter illos herbas illuminavit, dicendo : Jesus ! Item *arrastraverunt* eum per terram. Item crucifixerunt eum, et virtute Dei non fuit mortuus. Item lapidaverunt eum ; et cum non moreretur, venit quidam homo, et cum securi dedit sibi in capite, et occidit eum ; et ita emisit spiritum ad gloriam. Et ita bene poterat dicere : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. »

Deo gratias.

Nous avons placé ce sermon après le recueil imprimé, parce que le texte et le plan sont différents. On peut voir, néanmoins, que les développements sont les mêmes, et fort semblables à ceux qu'on trouve dans plusieurs autres endroits.

Digitized by Google

Item postquam beatus Mathias dixerat missam, et post missam predicaret, quidam Judeus, qui intervenerat in missa, et viderat quod faciebat adorare Hostiam, arguit contra illum, dicens : quod in lege Moysis cavebatur quod non adoraretur aliqua creatura istius mundi, sed solum Deus creator celi et terre. Tunc respondit beatus Mathias quod ipse nec alii non adoraverunt creaturam aliquam, sed Deum qui intra hostiam sacram habitat ; sicut antiquitus Deus adorabatur intra tabernaculum, et non tabernaculum ; et sicut adorabant Deum per representationem tabularum legis, et non tabulas, Psalm. 71 : « Et erit firmamentum in terra, etc... sicut fenum terre. » Et nota, quod Ecclesiastici dicuntur *Montes*, in quibus Christus in sacrificiis exaltabitur super capita sacerdotum. In Translatione Caldayca dicitur : « Erit placentula tritici super capita sacerdotum. » — Et omnia signa sacrificiorum perdiderunt Judei post Passionem Christi, in qua fuit hoc sacrificium Altaris de Hostia sacra per Christum et institutum. Nam primo, fumus sacrificii non ascendit directe ad celum, sicut solebat. Item, ignis sacrificii per pluviam non suffocabatur, sed postea suffocabatur per modicam pluviam. Item, musce in tempore estatis nunquam appropinquabant ad sanguinem sacrificii. Item, de panno sanguine rubro elevato quod reddebatur albus : denotans Deus quod sibi placebat sacrificium illud, et quod peccata erant eis remissa, ut habetur in Isaia 1 : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. » Sed post Passionem Christi non fiebat illud, denotans quod non placeret sibi. Item, cum congregabantur in quodam loco, omnes capiebant (sufficiebat locus) : sed post Passionem non poterant capere. Et ideo possunt dicere Judei quod habetur in Psalmo 73 : « Signa nostra non vidimus, etc... non cognoscet amplius. » Et de hoc sacrificio Hostie munde fuit prophetizatum Malach. 1 : « Non enim est mihi voluntas in vobis... et offertur nomini meo oblatio munda. » Nam hoc sacrificium Hostie in omni loco potest fieri : sed sacrificium Judeorum in solo templo, etc.

Item, postquam altera die predicavit quod lex Moysis debebat cessare, et Evangelica servari ; et quod eam tenemus scriptam : (nam Papa eam recipit in manibus cum noviter est electus, et dat cuidam qui stat retro ipsum) et ideo, recipiendum a Judeis verbum quod habetur in Levitico 26 : « Et vetera novis supervenientibus projicietis ». Et contra hoc surrexit quidam sacerdos, et arguit quod non poterat esse. Et allegavit quod habetur in Numeris 23 : « Non est Deus ut homo, ut mentiatur... et non faciet ? » Et in Malachia 3 : « Ego enim Dominus et non mutor », etc. Dixit beatus Mathias : Deus non mutatur, sed creatura ; nam facit crescere creaturam, et dat ei novam complexionem ; et sic fecit in formando hominem, nam tria fecit per ordinem : « Formavit hominem de limo terre et inspiravit... animam viventem. » *(Genes. 2.)* Et ita lex Moysis terrenalis fuit innovata per legem Evangelicam. Et

Digitized by Google

Evangelica renovabitur per legem Glorie, ut habetur in Jeremia 31. Et ita per predicationem beati Mathie multi fuerunt conversi ex Judeis.

Ad tertium : De passione martyriali. Nam beatus Mathias martyria, sive tormenta recepit : nam cum Judei et infideles non potuissent eum vincere per disputationem, tractaverunt ut aliter vincerent eum. Et primo dederunt ei bibere herbas venenosas, que de sui natura incecabant. Et cum deberet bibere fecit signum crucis, et non nocuerunt sibi ; imo centum et quinquaginta cecos propter illos herbas illuminavit, dicendo : Jesus ! Item *arrastraverunt* eum per terram. Item crucifixerunt eum, et virtute Dei non fuit mortuus. Item lapidaverunt eum ; et cum non moreretur, venit quidam homo, et cum securi dedit sibi in capite, et occidit eum ; et ita emisit spiritum ad gloriam. Et ita bene poterat dicere : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. »

Deo gratias.

Nous avons placé ce sermon après le recueil imprimé, parce que le texte et le plan sont différents. On peut voir, néanmoins, que les développements sont les mêmes, et fort semblables à ceux qu'on trouve dans plusieurs autres endroits.

Digitized by Google

De beato Thoma

(Canevas autographe)

Venit in me spiritus sapientie.
(Sap. 7.)

Reperio quod spiritus sapientie, qui est Spiritus Sanctus, quinque fecit huic sancto. Quia per eum fuit :

Premonstratus per certam revelationem ;

Inspiratus ad sanctam religionem ;

Roboratus ad fortem temptationem ;

Elevatus in grandem perfectionem ;

Premiatus per altam fruitionem.

De primo : Consuevit divina sapientia venturum sanctum aliquem pro mundi generali illustratione seu reformatione, verbis aut signis preostendere. Patet in lege nature de Noe (Gen. 5) : « Vocavit nomen ejus Noe dicens : iste consolabitur », etc. Item in lege scripture de Moyse quando infantulus projecit coronam Pharaonis in terram secundum magistrum hystoriarum. Item pro lege gratie de Joanne Baptista : « Spiritu Sancto repletus », etc. (Luc. 1.)

Nota de hoc sancto prenuntiationem heremite, et inventionem salutationis angelice in manu (Ps. 20) : « Prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis », etc.

De secundo : Nota ejus ingressum ad ordinem, juxta illud : « Simile est regnum celorum homini negociatori », etc. (Mat. 13.)

De tertio : Nota ejus victoriam quam habuit contra germanos, matrem, sororem et puellam impudicam (Ps. 93) : « Quis consurget mihi adversum me », etc.

De quarto : Nota ejus eminentem scientiam et vite sanctimoniam per aliqua miracula breviter (Joan. 13) : « Si hec scitis », etc.

De quinto : Nota ejus felicem transitum juxta illud : « In medio ecclesie aperuit os ejus », etc. (Eccl. 15.)

Digitized by Google

In Festo sancto Thome Aquinatis

(Manuscrit de Valence)

Hic magnus vocabitur in regno celorum.
(Mat. 5)

Et recitatum in Evangelio hodierno scribitur verbum istud.

Nostra predicatio hodie erit de illo mirabili doctore beato Thoma confessore de Ordine Predicatorum, cujus festum tenetur per totam Castellam [*la Castille*] per ordinationem Regis. Et vita ejus fuit ita sancta et perfecta, quod nos omnes et etiam Judei poterimus, si placebit Deo, recipere bonas doctrinas et instructiones pro salute animarum cujuslibet. Et ideo dicamus : *Ave Maria.*

Hic magnus vocabitur in regno celorum.
(Mat. 5.)

Istud verbum receptum pro themate, habet talem sententiam : « Iste sanctus Thomas magnus vocabitur in regno celorum. » Et invenio quod beatus Thomas vocabitur magnus in regno celorum, propter tres rationes, ut sequitur :

Prima per vitam virtuosam.

Secunda per scientiam illuminosam.

Tertia per mortem pretiosam.

Et ecce hic tres rationes sive res propter quas iste sanctus Thomas magnus vocetur in regno Dei, ut dicit thema.

Ad primam rationem quare beatus Thomas vocetur magnus in regno celesti, « est vita virtuosa ». Nam nulla res alia, quam vita virtuosa, potest facere hominem magnum in celo, neque esse Rex et Imperator ; nam bona temporalia, et dignitates temporales non faciunt hominem esse magnum, licet ipsum faciant esse altum. Ut granum sinapis positum in alta turri, vel monte, non dicetur magnum, sed dicetur altum. Ita est de personis, que sunt posite in alto propter bona temporalia : non tamen sunt magne ; sed solum ille persone, que habent, et sunt posite in virtutibus, que faciunt personam magnam : quia Deus habitat in ipsis propter vitam virtuosam. Nam bene dicitur quedam amphora magna, que intra se contineret magnam civitatem, vel villam : ita persona virtuosa continet Deum. Luce 1 : « Erit magnus coram Domino, etc... ad Dominum Deum ipsorum. » Et Matth. 5 : « Qui autem fecerit et docuerit, etc... vocabitur in regno celorum. » Et sic modo habetis quomodo virtutes faciunt personam magnam, et non bona temporalia, licet ipsam faciant altam.

Digitized by Google

De beato Thoma

(Canevas autographe)

Venit in me spiritus sapientie.
(Sap. 7.)

Reperio quod spiritus sapientie, qui est Spiritus Sanctus, quinque fecit huic sancto. Quia per eum fuit :

Premonstratus per certam revelationem ;
Inspiratus ad sanctam religionem ;
Roboratus ad fortem temptationem ;
Elevatus in grandem perfectionem ;
Premiatus per altam fruitionem.

De primo : Consuevit divina sapientia venturum sanctum aliquem pro mundi generali illustratione seu reformatione, verbis aut signis preostendere. Patet in lege nature de Noe (Gen. 5) : « Vocavit nomen ejus Noe dicens : iste consolabitur », etc. Item in lege scripture de Moyse quando infantulus projecit coronam Pharaonis in terram secundum magistrum hystoriarum. Item pro lege gratie de Joanne Baptista : « Spiritu Sancto repletus », etc. (Luc. 1.)

Nota de hoc sancto prenuntiationem heremite, et inventionem salutationis angelice in manu (Ps. 20) : « Prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis », etc.

De secundo : Nota ejus ingressum ad ordinem, juxta illud : « Simile est regnum celorum homini negociatori », etc. (Mat. 13.)

De tertio : Nota ejus victoriam quam habuit contra germanos, matrem, sororem et puellam impudicam (Ps. 93) : « Quis consurget mihi adversum me », etc.

De quarto : Nota ejus eminentem scientiam et vite sanctimoniam per aliqua miracula breviter (Joan. 13) : « Si hec scitis », etc.

De quinto : Nota ejus felicem transitum juxta illud : « In medio ecclesie aperuit os ejus », etc. (Eccl. 15.)

Digitized by Google

In Festo sancto Thome Aquinatis

(Manuscrit de Valence)

Hic magnus vocabitur in regno celorum.
(Mat. 5)

Et recitatum in Evangelio hodierno scribitur verbum istud.

Nostra predicatio hodie erit de illo mirabili doctore beato Thoma confessore de Ordine Predicatorum, cujus festum tenetur per totam Castellam [*la Castille*] per ordinationem Regis. Et vita ejus fuit ita sancta et perfecta, quod nos omnes et etiam Judei poterimus, si placebit Deo, recipere bonas doctrinas et instructiones pro salute animarum cujuslibet. Et ideo dicamus : *Ave Maria.*

Hic magnus vocabitur in regno celorum.
(Mat. 5.)

Istud verbum receptum pro themate, habet talem sententiam : « Iste sanctus Thomas magnus vocabitur in regno celorum. » Et invenio quod beatus Thomas vocabitur magnus in regno celorum, propter tres rationes, ut sequitur :

Prima per vitam virtuosam.

Secunda per scientiam illuminosam.

Tertia per mortem pretiosam.

Et ecce hic tres rationes sive res propter quas iste sanctus Thomas magnus vocetur in regno Dei, ut dicit thema.

Ad primam rationem quare beatus Thomas vocetur magnus in regno celesti, « est vita virtuosa ». Nam nulla res alia, quam vita virtuosa, potest facere hominem magnum in celo, neque esse Rex et Imperator ; nam bona temporalia, et dignitates temporales non faciunt hominem esse magnum, licet ipsum faciant esse altum. Ut granum sinapis positum in alta turri, vel monte, non dicetur magnum, sed dicetur altum. Ita est de personis, que sunt posite in alto propter bona temporalia : non tamen sunt magne ; sed solum ille persone, que habent, et sunt posite in virtutibus, que faciunt personam magnam : quia Deus habitat in ipsis propter vitam virtuosam. Nam bene dicitur quedam amphora magna, que intra se contineret magnam civitatem, vel villam : ita persona virtuosa continet Deum. Luce 1 : « Erit magnus coram Domino, etc... ad Dominum Deum ipsorum. » Et Matth. 5 : « Qui autem fecerit et docuerit, etc... vocabitur in regno celorum. » Et sic modo habetis quomodo virtutes faciunt personam magnam, et non bona temporalia, licet ipsam faciant altam.

Digitized by Google

beatus Mathias, dubitabant, quem illorum eligerent. Et ita in concilio cum magna devotione fecerunt orationem ad Deum, dicentes (Act. 1) : « Domine, qui corda nosti omnium, etc..., de quo prevaricatus est Judas. » Et incontinenti celi fuerunt aperti, et descendit radius lucis, et posuit se super caput Mathie : « Cecidit sors super Mathiam. » Et ut dicit beatus Dyonisius : « Fuit ista sors, radius veniens de celo. » Et ita videtis quomodo electio beati Mathie fuit solemniter facta, cum tantis orationibus, et miraculis. Et tunc fuit adimpleta prophetia Ecclesiastici 45 : « In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. »

Et modo moraliter. —Bona gens, dicetis vos : Et quare Deus Christus noluit eligere Joseph, qui erat sanctus, et primus *(consobrinus)* suus, sed magis voluit, per radium venientem de celo, eligere beatum Mathiam ? — Dico, quod ad demonstrandum rectoribus et dominatoribus communitatum, et universitatum, ut cum debent eligere officiales et rectores communitatum, quod non eligant magis parentes quam extraneos ; sed imo potius extraneos si utiliores sunt pro regimine et gubernatione communitatis ; et non parentes et amicos, qui non sunt sufficientes ad gubernandum et regendum communitatem. Nam ita fecit Christus, qui voluit eligere beatum Mathiam, quia melius erat sufficiens pro illo officio, quam Joseph, licet fuisset sanctus et *primus* Christi.

Ad secundum : De instructione sive predicatione spirituali. Nam postquam fuit electus in apostolum, accessit per mundum predicando. Et predicabat in Jerusalem, et faciebat multa miracula ; sc. illuminando cecos et surdos faciebat audire et ressuscitare mortuos. Et quia Judei propter miracula et ejus bonam vitam, et sanctam predicationem convertebantur multi, intravit invidia in majoribus Judeis, sc. sacerdotibus, et non poterant sustinere quod beatus Mathias predicaret Judeis : et ita voluerunt disputare cum eo, ut si possent, confunderent eum per suam scientiam. Et cum quadam die predicaret et instrueret populum Judeorum simplicium de Trinitate, surrexit quidam sacerdos contra beatum Mathiam, arguendo contra illum quod dicebat de Trinitate : Nam Deus, per legem Moysis, solus unus est, ut habetur in Deuteronom. 6 : « Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus esset. » Sed beatus Mathias respondit, quod ipse fatebatur, quod Deus « unus est » ; sed quod ille Deus, erat Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Et quod esset Pater, probabat per prophetiam Isaie 63, dicentem : « Tu, Domine, Pater noster, Redemptor noster, a seculo nomen tuum. » Et per aliam prophetiam Jeremie, 3 : « Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. » Et sic apparet quod Deus est Pater. — Et quod Deus sit Filius, probabat per Vetus Testamentum, Proverb. 30 : « Quis suscitabit omnes terminos terre ?... Quod nomen filii ejus si nosti. »

Digitized by Google

Ergo apparet, quod Deus habet Filium. Secundo Psalm. 2 : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.» Et *Ego*, non intelligitur de David ; nam cum fecit hunc Psalmum, jam habebat triginta annos : et ita non *Hodie*, genuit eum, id est tempore quo fecit illum Psalmum. Item, Psalm. 109 dixit : « Ex utero ante luciferum genui te. » *Ex utero*, id est ex mea essentia. — Et quod Deus sit Spiritus Sanctus probabat per Bibliam, ut in Genesi 1 : « Spiritus Domini ferebatur super aquas. » Et David Psalm. 50 : « Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. » Et ita per Vetus Testamentum probavit beatus Mathias, quod unus Deus erat tres Persone, sc. Pater, Filius et Spiritus Sanctus : nam nullus Christianus debet credere quod sit nisi unus Deus, non plures dii.

Item, cum beatus Mathias predicaret quod verus Messias jam venerat, surrexit alter sacerdos magnus rabbi, et arguit contra, sc. quod nondum venerat, propter prophetiam que habetur Isaie 11 : « Et egredietur virgo de radice Jesse, etc... sicut aque maris operientes. » Dicebat iste sacerdos : cum iste bestie non habitent adhuc in simul, signum est, quod Messias non venit. Sed beatus Mathias respondit, quod non intelligebatur de illis bestiis brutis sed de hominibus, qui vivunt secundum bestias, magis quam secundum rationem hominum. Et quod hoc sit verum probatur Genes. 49 : « Benjamin lupus rapax, mane comedet predam, et vespere dividet spolia. » Et quod *lupus habitet cum agno*, jam est adimpletum, sc. quod beatus Mathia habitat cum beato Joanne ; et Nicodemus leopardus cum beato Petro agno. Et *vitulus*, significat corpus Christi ; et *ovis*, animam innocentem Christi ; et *leo*, deitatem. Et quod de istis bestiis, sc. hominibus bestialibus, loquatur, ipsemet Isaias declarat in eodem capite, cum sequitur : « Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo. » Et ita Judei audientes convertebantur, et baptizabantur.

Item, alia die predicavit, quod Christus qui recepit mortem pro redemptione humane nature, erat Deus et Homo : nam sicut in homine non apparet anima, ita in Christo non apparebat deitas. Et surrexit alius, et arguit contra, per id quod habetur in Psalmo 80 : « Audi, Israel... non adorabis Deum alienum. » Dicebat Judeus : Ergo si Deus esset Christus haberemus Deum recentem, quod non est concedendum. Sed beatus Mathias respondit : quod verum erat quod Christus non erat Deus recens : quia antequam montes fierent jam erat Deus, ut habetur in Psalmo 89 : « Domine, refugium factus es nobis, etc... a seculo tu es Deus. » Sed tamen fuit factus Homo recens. Et ita Christus est Deus et Homo. Et quod hoc sit verum, probatur per alium Psalm. 80 : « Ego enim sum Dominus Deus tuus, etc... et implebo illud. » Et ideo sequitur in versu sequenti : « Et non audivit populus meus vocem meam : et Israel non intendit mihi. »

Digitized by Google

Item postquam beatus Mathias dixerat missam, et post missam predicaret, quidam Judeus, qui intervenerat in missa, et viderat quod faciebat adorare Hostiam, arguit contra illum, dicens : quod in lege Moysis cavebatur quod non adoraretur aliqua creatura istius mundi, sed solum Deus creator celi et terre. Tunc respondit beatus Mathias quod ipse nec alii non adoraverunt creaturam aliquam, sed Deum qui intra hostiam sacram habitat ; sicut antiquitus Deus adorabatur intra tabernaculum, et non tabernaculum ; et sicut adorabant Deum per representationem tabularum legis, et non tabulas, Psalm. 71 : « Et erit firmamentum in terra, etc... sicut fenum terre. » Et nota, quod Ecclesiastici dicuntur *Montes,* in quibus Christus in sacrificiis exaltabitur super capita sacerdotum. In Translatione Caldayca dicitur : « Erit placentula tritici super capita sacerdotum. » — Et omnia signa sacrificiorum perdiderunt Judei post Passionem Christi, in qua fuit hoc sacrificium Altaris de Hostia sacra per Christum et institutum. Nam primo, fumus sacrificii non ascendit directe ad celum, sicut solebat. Item, ignis sacrificii per pluviam non suffocabatur, sed postea suffocabatur per modicam pluviam. Item, musce in tempore estatis nunquam appropinquabant ad sanguinem sacrificii. Item, de panno sanguine rubro elevato quod reddebatur albus : denotans Deus quod sibi placebat sacrificium illud, et quod peccata erant eis remissa, ut habetur in Isaia 1 : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. » Sed post Passionem Christi non fiebat illud, denotans quod non placeret sibi. Item, cum congregabantur in quodam loco, omnes capiebant (sufficiebat locus) : sed post Passionem non poterant capere. Et ideo possunt dicere Judei quod habetur in Psalmo 73 : « Signa nostra non vidimus, etc... non cognoscet amplius. » Et de hoc sacrificio Hostie munde fuit prophetizatum Malach. 1 : « Non enim est mihi voluntas in vobis... et offertur nomini meo oblatio munda. » Nam hoc sacrificium Hostie in omni loco potest fieri : sed sacrificium Judeorum in solo templo, etc.

Item, postquam altera die predicavit quod lex Moysis debebat cessare, et Evangelica servari ; et quod eam tenemus scriptam : (nam Papa eam recipit in manibus cum noviter est electus, et dat cuidam qui stat retro ipsum) et ideo, recipiendum a Judeis verbum quod habetur in Levitico 26 : « Et vetera novis supervenientibus projicietis ». Et contra hoc surrexit quidam sacerdos, et arguit quod non poterat esse. Et allegavit quod habetur in Numeris 23 : « Non est Deus ut homo, ut mentiatur... et non faciet ? » Et in Malachia 3 : « Ego enim Dominus et non mutor », etc. Dixit beatus Mathias : Deus non mutatur, sed creatura ; nam facit crescere creaturam, et dat ei novam complexionem ; et sic fecit in formando hominem, nam tria fecit per ordinem : « Formavit hominem de limo terre et inspiravit... animam viventem. » *(Genes. 2.)* Et ita lex Moysis terrenalis fuit innovata per legem Evangelicam. Et

Digitized by Google

Evangelica renovabitur per legem Glorie, ut habetur in Jeremia 31. Et ita per predicationem beati Mathie multi fuerunt conversi ex Judeis.

Ad tertium : De passione martyriali. Nam beatus Mathias martyria, sive tormenta recepit : nam cum Judei et infideles non potuissent eum vincere per disputationem, tractaverunt ut aliter vincerent eum. Et primo dederunt ei bibere herbas venenosas, que de sui natura incecabant. Et cum deberet bibere fecit signum crucis, et non nocuerunt sibi ; imo centum et quinquaginta cecos propter illos herbas illuminavit, dicendo : Jesus ! Item *arrastraverunt* eum per terram. Item crucifixerunt eum, et virtute Dei non fuit mortuus. Item lapidaverunt eum ; et cum non moreretur, venit quidam homo, et cum securi dedit sibi in capite, et occidit eum ; et ita emisit spiritum ad gloriam. Et ita bene poterat dicere : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. »

Deo gratias.

Nous avons placé ce sermon après le recueil imprimé, parce que le texte et le plan sont différents. On peut voir, néanmoins, que les développements sont les mêmes, et fort semblables à ceux qu'on trouve dans plusieurs autres endroits.

Digitized by Google

De beato Thoma

(Canevas autographe)

Venit in me spiritus sapientie.
(Sap. 7.)

Reperio quod spiritus sapientie, qui est Spiritus Sanctus, quinque fecit huic sancto. Quia per eum fuit :

Premonstratus per certam revelationem ;

Inspiratus ad sanctam religionem ;

Roboratus ad fortem temptationem ;

Elevatus in grandem perfectionem ;

Premiatus per altam fruitionem.

De primo : Consuevit divina sapientia venturum sanctum aliquem pro mundi generali illustratione seu reformatione, verbis aut signis preostendere. Patet in lege nature de Noe (Gen. 5) : « Vocavit nomen ejus Noe dicens : iste consolabitur », etc. Item in lege scripture de Moyse quando infantulus projecit coronam Pharaonis in terram secundum magistrum hystoriarum. Item pro lege gratie de Joanne Baptista : « Spiritu Sancto repletus », etc. (Luc. 1.)

Nota de hoc sancto prenuntiationem heremite, et inventionem salutationis angelice in manu (Ps. 20) : « Prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis », etc.

De secundo : Nota ejus ingressum ad ordinem, juxta illud : « Simile est regnum celorum homini negociatori », etc. (Mat. 13.)

De tertio : Nota ejus victoriam quam habuit contra germanos, matrem, sororem et puellam impudicam (Ps. 93) : « Quis consurget mihi adversum me », etc.

De quarto : Nota ejus eminentem scientiam et vite sanctimoniam per aliqua miracula breviter (Joan. 13) : « Si hec scitis », etc.

De quinto : Nota ejus felicem transitum juxta illud : « In medio ecclesie aperuit os ejus », etc. (Eccl. 15.)

Digitized by Google

In Festo sancto Thome Aquinatis

(Manuscrit de Valence)

Hic magnus vocabitur in regno celorum.
(Mat. 5)

Et recitatum in Evangelio hodierno scribitur verbum istud.

Nostra predicatio hodie erit de illo mirabili doctore beato Thoma confessore de Ordine Predicatorum, cujus festum tenetur per totam Castellam [*la Castille*] per ordinationem Regis. Et vita ejus fuit ita sancta et perfecta, quod nos omnes et etiam Judei poterimus, si placebit Deo, recipere bonas doctrinas et instructiones pro salute animarum cujuslibet. Et ideo dicamus : *Ave Maria.*

Hic magnus vocabitur in regno celorum.
(Mat. 5.)

Istud verbum receptum pro themate, habet talem sententiam : « Iste sanctus Thomas magnus vocabitur in regno celorum. » Et invenio quod beatus Thomas vocabitur magnus in regno celorum, propter tres rationes, ut sequitur :

Prima per vitam virtuosam.

Secunda per scientiam illuminosam.

Tertia per mortem pretiosam.

Et ecce hic tres rationes sive res propter quas iste sanctus Thomas magnus vocetur in regno Dei, ut dicit thema.

Ad primam rationem quare beatus Thomas vocetur magnus in regno celesti, « est vita virtuosa ». Nam nulla res alia, quam vita virtuosa, potest facere hominem magnum in celo, neque esse Rex et Imperator ; nam bona temporalia, et dignitates temporales non faciunt hominem esse magnum, licet ipsum faciant esse altum. Ut granum sinapis positum in alta turri, vel monte, non dicetur magnum, sed dicetur altum. Ita est de personis, que sunt posite in alto propter bona temporalia : non tamen sunt magne ; sed solum ille persone, que habent, et sunt posite in virtutibus, que faciunt personam magnam : quia Deus habitat in ipsis propter vitam virtuosam. Nam bene dicitur quedam amphora magna, que intra se contineret magnam civitatem, vel villam : ita persona virtuosa continet Deum. Luce 1 : « Erit magnus coram Domino, etc... ad Dominum Deum ipsorum. » Et Matth. 5 : « Qui autem fecerit et docuerit, etc... vocabitur in regno celorum. » Et sic modo habetis quomodo virtutes faciunt personam magnam, et non bona temporalia, licet ipsam faciant altam.

Digitized by Google

Et sic videamus quomodo iste virtutes fecerunt beatum Thomam magnum in Regno celorum.

Et sciatis quod ipse erat de partibus Italie, et habebat matrem nominatam Theodoram : que cum esset pregnata de ipso, venit ad eam quidam sanctus hermitanus, cum quo non poterant omnino loqui neque Ducisse, neque Comitisse ; et ideo fuit multum mirata quomodo venerat ad eam. Et sanctus eremita videns eam, denuntiavit ipsi quod ipsa erat pregnata de quodam perfecto, qui esset plenus virtutibus, cujus nomen esset Thomas, quod vult dicere *Abyssus*, id est profundissimus in scientia. Et ipsa fecit gratias Deo de tanta gratia, quam sibi denuntiaverat dictus Eremita ; nam illa ignorabat se esse pregnatam.

Et sunt septem virtutes contra septem peccata mortalia, de quibus dicam amore vestri.

Prima est *humilitas* contra superbiam.
Secunda est *paupertas* contra avaritiam.
Tertia est *castitas* contra luxuriam.
Quarta est *charitas* contra invidiam.
Quinta est *temperantia* contra gulam.
Sexta est *patientia* contra iram.
Septima est *diligentia* contra acidiam.
Et istas omnes habuit beatus Thomas.

Primo, habuit humilitatem. Nam ut habetur in vita sua, quamvis esset nobilis genere, nihil de se reputabat ; et ideo Deus propter hoc fecit illi gratiam, quod in oratione elevaretur corporaliter a terra, juxta illud verbum : « Omnis qui se humiliat exaltabitur. » (Luce 18.)

Item, habuit in se paupertatem de spiritu, contra avaritiam ; et voluntariam, non autem necessariam et violentam. Et est magna virtus que facit personam perfectam ut habetur Matthei 19 : « Si vis perfectus esse, vade, vende que habes, et da pauperibus. » Et licet esset de magno cognomine, non curabat de divitiis ; sed solum de paupertate spiritus. Et propter hoc habebat divus Thomas, ut ipsi Deus tribueret magnam gratiam. Nam cum stabat multoties in studio studendo super difficultatibus Biblie, et maxime super Postillam Isaie et non posset intrare in secretis, Deus mittebat angelos, qui revelabant sibi secretum. Et etiam Petrus et Paulus, et beata Maria descendit ad illum docendum.

Item, habebat in se castitatem, que est magna virtus. Et hec castitas stat in tribus gradibus, ascendendo : sc. conjugalis, inter conjuges, qui sunt in matrimonio, servando fidem ad invicem. Et vidualis in viduis, que licet aliquando sensissent in suo matrimonio, tamen de presenti non curant, sed servant se, etc. Et virginalis : qui nullo tempore, neque ante, neque post, neque de presenti senserunt in illo actu, neque est aliqua corruptio in eis. Et hanc castitatem habuit beatus Thomas,

Digitized by Google

qui semper fuit virgo corpore et mente. Non obstante quod multoties tentaretur a demonibus de peccato carnis, dando ei inclinationes, tamen ipse ponebat se in oratione ut vinceret tentationes; et Deus misit ei angelum, qui precinxit ei lumbos cum quadam cingulo; et exinde nunquam tentationum habuit amplius inclinationes.

Item, habebat aliam virtutem, sc. charitatem contra invidiam; nam ita erat charitativus et fervens in charitate et amore Dei, quod cum quadam die studeret cum candela, fuit raptus, quousque candela combusit sibi pollicem et non sensit. Item, cum sagnabatur rapiebatur in extasim per contemplationem et fervorem charitatis; et habitabat cum angelis in celo. Et multoties cum vocabatur ad cenam per famulum, inveniebatur raptus.

Item, habebat virtutem abstinentie in jejunio frequentando. Item, habebat patientiam contra iram. Item, habebat diligentiam multam contra acidiam. Et propter has virtutes cantat Ecclesia, ut habetur Ecclesiastici 50: « Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. » Ergo: « Hic magnus vocabitur in regno celorum. »

Ad secundum « De scientia illuminosa », propter quam etiam magnus vocatur in celo, dico quod propter duas rationes dicitur scientia illuminosa, nam scientia ipsius habebat autoritatem, et habebat claritatem, quod non habebant doctrine aliorum doctorum; nam si habebant autoritatem non erant clare; vel si erant clare, non habebant autoritatem. Et propterea cantat Ecclesia de ipso quod habetur Ecclesiastici 45: « Elegit eum Dominus ex omni carne. Et dedit illi coram precepta, etc... et judicia sua Israel. »

Et hec scientia beati Thome fuit illuminosa, maxime in duobus Judeis qui venerunt ad faciendum reverentiam cuidam cardinali cum quo erat beatus Thomas; et dixit cardinalis ut disputarent, postquam doctor maximus inter Christianos, sc. beatus Thomas, erat ibi; et Judei sapientiores inter Judeos erant illi duo. Et cardinalis movit questiones de quibus disputarent. Et movit primam hanc: Utrum rex Messias promissus in lege deberet esse Homo Deus in simul? Et Judei responderunt ad questionem dicendo: quod solum debebat esse Homo sanctus, et perfectus; tamen non Deus. Et movebantur ratione majori ista, quod si dicebant quod debebat esse Deus, jam facerent Deum novum et extraneum; sed non debet fieri, ut habetur in Psalm. 80: « Audi, populus meus, et contestabor te, etc... neque adorabis Deum alienum. » Sed ad hoc respondit beatus Thomas, quod ipse non dicebat quod Messias debebat esse novus Deus, quia non poterat esse; sed quoad humanitatem erat novus Homo. Et hoc probabat per experientiam de radio transcendente per vitrum fenestre, qui recipit colorem

Digitized by Google

vitri, et ita est novus radius quoad colorem, non autem est novus radius. Ita Christus, verus Messias, transivit per vitrum beate Marie, recipiendo carnem humanam ; et ita erat novus quod carnem, sed non quod deitatem. Quare idem Deus est, qui erat ante Incarnationem. Item, probabat per exemplum naturale. Nam si aliquis est filius regis, et factus est miles, ille dicetur novus miles, non autem novus filius regis. Et ita in Christo, qui factus fuit novus Homo, et miles ad pugnandum in hoc mundo, ut redimeret nos. Et sic non fuit factus novus Deus quia jam erat Deus antequam factus sit Homo. Et hoc probatur per eamdemmet autoritatem, cum dicitur: « Dilata os tuum et implebo illud. » (Ibidem.)

Sed postea movit aliam questionem : An Messias deberet dare legem novam ? Et Judei responderunt quod non ; sed illam confirmare debebat, per id quod habetur Deuteronom. 32 : « Dei perfecta sunt opera. » Et sic apparet, quod lex Moysi etiam perfecta esset, et ita per Messiam non debebat mutari, imo confirmari ut perfecta. Sed beatus Thomas respondit : Verum esse quod perfecta erat pro illo tempore cum essent parvuli, ut habetur Osee 11 : « Ex Egypto vocavi filium meum. » Quare non poterant se tenere in firma credentia Dei, sed faciebant vitulum, et Baalim idola, et adorabant illa, et aliud idolum Astaroth. Sed post, cum essent facti majores post captivitatem Babylonie, quia firmiter crediderunt Judei in Deum, et non faciebant idola, necessarium fuit ut aliam legem doceret, promittentem celestem hereditatem, non autem terrena, sicut parvulis. Et ideo lex Moysis debet cessare, et nova observari, licet illam debeamus in mente tenere scriptam, ut habetur Malachie 4 : « Mementote legis Moysis servi mei. »

Sed postea movit aliam questionem : An Messias jam veniret in hunc mundum, vel deberet venire adhuc ? Et Judei responderunt : Pro certo, quod non venerat adhuc. Sed beatus Thomas dicebat quid sic. Et hoc probabat per id quod habetur Aggei 2, ubi Juvenes ridebant de templo novo ; et veteres flebant de veteri. Et non debebat esse tertium templum, quia semper vocatur ultimum. Et de hoc habetur Jeremie 7, ibi : « Nolite confidere in verbis mendacii dicentes : Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est. »

Digitized by Google

De sancto Thoma de Aquino

(Recueil imprimé)

Antecedebat me ista sapientia.
(Verbum istud habetur originaliter in libro sap. 7, et recitatum est statim in epistola presentis solemnitatis.)

Jam scitis quod hodie in nostra sancta religione ordinis fratrum predicatorum per totum mundum fit festum illius sanctissimi confessoris, et gloriosissimi doctoris beati Thome de Aquino. Ita etiam de eo est sermo noster, et de ejus vita, sanctitate, etc., et poterimus recipere exempla et doctrinas ad gubernandum vitam nostram. — Salutetur virgo Maria, etc.

Verbum propositum in persona beati Thome vult dicere : « Antecedebat me », etc. Modo istud verbum indiget declaratione, et sic declarando intrabo materiam quam volo predicare. Pro cujus declaratione recipio tanquam pro regula generali in sancta Theologia, quam regulam Deus servavit et practicavit. Ab initio hujus mundi usque modo quando vult mittere aliquem sanctum pro generali mundi illuminatione seu reformatione, consuevit divina providentia ipsum primo ostendere, vel per verbum propheticum, vel per signum universaliter cognitum. Hoc potest statim declarari in quolibet statu mundi, sive lege nature, scripte, et gratie.

Primo patet predicta regula in statu sive lege nature. Dicitur autem lex nature, quia tunc gentes gubernabant se solo intellectu naturali. Non enim habebant legem scriptam, nec libros, nec magistros seu doctores, et duravit illud tempus ab Adam usque ad Moysen, et transactis mille et quingentis annis, cum multiplicarentur peccata in terra, Deus voluit mittere unum hominem ad illuminandum et reformandum mundum, sc. Noe, qui centum annis predicavit penitentiam, tandiu duravit etiam fabricatio arce ; predicabat ut converterentur, quia diluvium instabat. Et tanta erat malitia peccatorum in mundo, quod intra centum annos non convertit nisi septem personas, sc. uxorem suam, et tres filios, et uxores filiorum. Tamen antequam Deus ipsum mitteret, ostenderat ipsum verbo prophetico dicente patre ipsius Noe, in nominis impositione dicens : Iste vocabitur Noe. « Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. » (Gen. 5.) Et Judei qui solum vadunt ad literam, exponunt istam consolationem fuisse, quia primo non invenit quod terra coleretur animalibus arando, quia ante manibus propriis colebant terram. Et iste est intellectus literalis. Sed altius speculando intellectus spiritualis est, quod Noe

Digitized by Google

consolaretur eos, sc. dupliciter. Primo predicando spacium penitentie centum annis ex parte Dei. Secundo promittendo veniam de peccatis certitudinaliter si vellent converti. Istam practicam servavit Deus.

Secundo hec regula patet in lege scripta que incepit tempore Moysi, quando Deus in scriptis dedit legem, secundum quam homines viverent, quia lex nature non sufficiebat, ideo descendit Deus in montem Synai, et dedit in scriptis quicquid facturi essent. Tunc enim misit Moysen, quem ostendit non verbo prophetico, sed signo divino. Dicit magister historiarum et etiam Josephus, quod cum Moyses esset puer pulcherrimus, et fuisset per filiam Pharaonis in filium adoptatus, cum projecisset coronam de capite Pharaonis regis, dixerunt sapientes Pharaonis: Domine, moriatur iste puer, quoniam hoc est signum quod iste puer debet vos destruere, et regnum vestrum. Alii autem volentes ipsum a morte defendere, dixerunt factum fuisse ex ignorantia et pueritia. Et ad hoc probandum et experiendum posuerunt in manu sua unam prunam de ligne, id est carbonem ignitum, quam immediate misit in os. Ideo fuit innocens judicatus, et sic evasit mortem. Ideo quando Deus voluit ipsum mittere excusabat se dicens: « Domine, non sum eloquens, ab heri et nudiustertius, impeditioris et tardioris lingue sum. » (Exo. 4.) Dicunt hic glosse quod ex illo carbone ignito vel pruna quem opposuit ori, non fuit eloquens. Sed ista depositio corone fuit signum divinum, sc. quod ipse Moyses esset destructor Pharaonis, et regni sui, et reformator populi Israel. Pruna ignis significabat legem Dei, quam Deus in forma ignis sibi tradidit, et Moyses ore suo populo exposuit et publicavit. Ecce quomodo Deus primo dedit signum antequam fieret factum.

Tertio patet practica dicte regule in lege gratie, in qua Deus ordinavit mittere Joannem Baptistam, ut omnes crederent per illum (Joan. 1.) Etiam ipsum premonstravit verbo prophetico per angelum dicente: « Hic erit magnus coram Domino. » (Luc. 1.) Item signo divino, quando virgo Maria post conceptionem filii Dei venit ad Elizabeth, Joannes exultavit in utero matris, de quo dicit sanctus Thomas: quod usus liberi arbitrii fuit acceleratus in Joanne salutando Christum, et exultando in utero matris. Ideo dicit Elizabeth: « Ex quo facta est vox salutationis tue in auribus meis, exultavit infans gaudio in utero meo. »

Modo ad propositum, est sciendum quod Deus ad illuminandum et reformandum mundum misit beatum Thomam, qui ex sua vita sancta, et scientia clara totum mundum illuminavit. Et nunquid jam ante eum misit Deus doctores sanctos, sc. Remigium, Hilarium, Hieronymum, Chrysostomum, etc.? Quare ergo iste fuit missus singulariter ad illuminandum? etc. — Pro responsione nota quod doctores theologi sunt in triplici gradu. Aliqui doctores fuerunt qui habuerunt de se magnam et altam autoritatem, sed non habuerunt claritatem, ut sancti apostoli, et

Digitized by Google

evangeliste, et doctores, qui sunt antiqui, quia ex sanctitate vite habuerunt magnam autoritatem, sicut litera regis vel pape ex sigillo authorizatur, sed non habuerunt claritatem, imo ad intelligendum eos sunt necessarie glosse et postille, intantum quod de libris eorum heretici recipiunt autoritates et argumenta ad defendendum hereses suas, sicut nos ad defendendum fidem catholicam. Secundo, gradus doctorum fuit aliquorum doctorum, qui postquam habuerunt magnam claritatem, quia clare in libris suis posuerunt scientiam per distinctiones, argumenta, et rationes, sed non habuerunt autoritatem, sc. ex defectu sigilli bone vite et devotionis, nec sunt canonizati, sed aliqui eorum fuerunt boni socii. Tertius gradus doctorum fuit illorum qui habuerunt autoritatem et claritatem. In hoc tertio gradu est solus beatus Thomas, qui habet predicta duo, sc. autoritatem et claritatem. Autoritatem enim habet ex sua sanctissima vita miraculis approbata, et ex canonizatione, quia ecclesia universalis videns tot miracula ejus, et libros suos catholicos, canonizavit eum. Secundo habet claritatem, quia simplex grammaticus et philosophus per se, potest suam doctrinam studere et intelligere. Clarus enim fuit, quia multas questiones in quibus Augustinus et Hieronymus videntur discordare concordavit. Patet ergo quod beatus Thomas fuit specialiter a Deo missus pro mundi universali illuminatione ex sua clara scientia. Non est inventus similis illi, sc. in gloria qui in sua doctrina haberet simul tantam autoritatem et claritatem. Ita quod Thomiste possunt respondere ad omnem questionem.

Sed antequam ipsum Deus mitteret, voluit servare regulam predictam ipsum demonstrando verbo prophetico, ut Joannem Baptistam. Et signo divino ut Moysen. Pro primo dicatur quomodo ille sanctus heremita et valde famosus venit ad matrem beati Thome comitissam, que se gravidam ignorabat esse, dicens verbum propheticum : Gaude domina Theodora, quia concipies et paries filium et Thomas vocabitur, id est abyssus, ex profunditate scientie nomen ejus. Hic erit magnus in toto orbe, in vita, et scientia, eritque frater ordinis predicatorum. Recte sicut Gabriel salutavit matrem Dei, et sicut virgo Maria post salutationem ffexis genibus dixit : Ecce ancilla Domini, etc., ita mater beati Thome dixit : Faciat de me et de meis Dominus quod placitum est in sua voluntate. Item ostendit eum per signum divinale ut Moysen. Nam quando fuit natus, et unius esset anni etatis sue, et nutrix secundum morem vellet ipsum abluere, et denudasset eum in manu sua, invenit chartam angelicam salutationem solum continentem, et nunquam fuit scitum unde illam chartam habuit, intellexit ejus mater, que multum erat spiritualis, quod sibi fuit missa a virgine Maria. Magnum signum fuit scientie sue, et salvationis, cujus fundamentum est Filii Dei incarnatio. Patet regula. Ideo de scientia sua loquens thema dicit : Antece-

Digitized by Google

consolaretur eos, sc. dupliciter. Primo predicando spacium penitentie centum annis ex parte Dei. Secundo promittendo veniam de peccatis certitudinaliter si vellent converti. Istam practicam servavit Deus.

Secundo hec regula patet in lege scripta que incepit tempore Moysi, quando Deus in scriptis dedit legem, secundum quam homines viverent, quia lex nature non sufficiebat, ideo descendit Deus in montem Synai, et dedit in scriptis quicquid facturi essent. Tunc enim misit Moysen, quem ostendit non verbo prophetico, sed signo divino. Dicit magister historiarum et etiam Josephus, quod cum Moyses esset puer pulcherrimus, et fuisset per filiam Pharaonis in filium adoptatus, cum projecisset coronam de capite Pharaonis regis, dixerunt sapientes Pharaonis: Domine, moriatur iste puer, quoniam hoc est signum quod iste puer debet vos destruere, et regnum vestrum. Alii autem volentes ipsum a morte defendere, dixerunt factum fuisse ex ignorantia et pueritia. Et ad hoc probandum et experiendum posuerunt in manu sua unam prunam de ligne, id est carbonem ignitum, quam immediate misit in os. Ideo fuit innocens judicatus, et sic evasit mortem. Ideo quando Deus voluit ipsum mittere excusabat se dicens: « Domine, non sum eloquens, ab heri et nudiustertius, impeditioris et tardioris lingue sum. » (Exo. 4.) Dicunt hic glosse quod ex illo carbone ignito vel pruna quem opposuit ori, non fuit eloquens. Sed ista depositio corone fuit signum divinum, sc. quod ipse Moyses esset destructor Pharaonis, et regni sui, et reformator populi Israel. Pruna ignis significabat legem Dei, quam Deus in forma ignis sibi tradidit, et Moyses ore suo populo exposuit et publicavit. Ecce quomodo Deus primo dedit signum antequam fieret factum.

Tertio patet practica dicte regule in lege gratie, in qua Deus ordinavit mittere Joannem Baptistam, ut omnes crederent per illum (Joan. 1.) Etiam ipsum premonstravit verbo prophetico per angelum dicente: « Hic erit magnus coram Domino. » (Luc. 1.) Item signo divino, quando virgo Maria post conceptionem filii Dei venit ad Elizabeth, Joannes exultavit in utero matris, de quo dicit sanctus Thomas: quod usus liberi arbitrii fuit acceleratus in Joanne salutando Christum, et exultando in utero matris. Ideo dicit Elizabeth: « Ex quo facta est vox salutationis tue in auribus meis, exultavit infans gaudio in utero meo. »

Modo ad propositum, est sciendum quod Deus ad illuminandum et reformandum mundum misit beatum Thomam, qui ex sua vita sancta, et scientia clara totum mundum illuminavit. Et nunquid jam ante eum misit Deus doctores sanctos, sc. Remigium, Hilarium, Hieronymum, Chrysostomum, etc.? Quare ergo iste fuit missus singulariter ad illuminandum? etc. — Pro responsione nota quod doctores theologi sunt in triplici gradu. Aliqui doctores fuerunt qui habuerunt de se magnam et altam autoritatem, sed non habuerunt claritatem, ut sancti apostoli, et

Digitized by Google

evangeliste, et doctores, qui sunt antiqui, quia ex sanctitate vite habuerunt magnam autoritatem, sicut litera regis vel pape ex sigillo authorizatur, sed non habuerunt claritatem, imo ad intelligendum eos sunt necessarie glosse et postille, intantum quod de libris eorum heretici recipiunt autoritates et argumenta ad defendendum hereses suas, sicut nos ad defendendum fidem catholicam. Secundo, gradus doctorum fuit aliquorum doctorum, qui postquam habuerunt magnam claritatem, quia clare in libris suis posuerunt scientiam per distinctiones, argumenta, et rationes, sed non habuerunt autoritatem, sc. ex defectu sigilli bone vite et devotionis, nec sunt canonizati, sed aliqui eorum fuerunt boni socii. Tertius gradus doctorum fuit illorum qui habuerunt autoritatem et claritatem. In hoc tertio gradu est solus beatus Thomas, qui habet predicta duo, sc. autoritatem et claritatem. Autoritatem enim habet ex sua sanctissima vita miraculis approbata, et ex canonizatione, quia ecclesia universalis videns tot miracula ejus, et libros suos catholicos, canonizavit eum. Secundo habet claritatem, quia simplex grammaticus et philosophus per se, potest suam doctrinam studere et intelligere. Clarus enim fuit, quia multas questiones in quibus Augustinus et Hieronymus videntur discordare concordavit. Patet ergo quod beatus Thomas fuit specialiter a Deo missus pro mundi universali illuminatione ex sua clara scientia. Non est inventus similis illi, sc. in gloria qui in sua doctrina haberet simul tantam autoritatem et claritatem. Ita quod Thomiste possunt respondere ad omnem questionem.

Sed antequam ipsum Deus mitteret, voluit servare regulam predictam ipsum demonstrando verbo prophetico, ut Joannem Baptistam. Et signo divino ut Moysen. Pro primo dicatur quomodo ille sanctus heremita et valde famosus venit ad matrem beati Thome comitissam, que se gravidam ignorabat esse, dicens verbum propheticum: Gaude domina Theodora, quia concipies et paries filium et Thomas vocabitur, id est abyssus, ex profunditate scientie nomen ejus. Hic erit magnus in toto orbe, in vita, et scientia, eritque frater ordinis predicatorum. Recte sicut Gabriel salutavit matrem Dei, et sicut virgo Maria post salutationem ffexis genibus dixit: Ecce ancilla Domini, etc., ita mater beati Thome dixit: Faciat de me et de meis Dominus quod placitum est in sua voluntate. Item ostendit eum per signum divinale ut Moysen. Nam quando fuit natus, et unius esset anni etatis sue, et nutrix secundum morem vellet ipsum abluere, et denudasset eum in manu sua, invenit chartam angelicam salutationem solum continentem, et nunquam fuit scitum unde illam chartam habuit, intellexit ejus mater, que multum erat spiritualis, quod sibi fuit missa a virgine Maria. Magnum signum fuit scientie sue, et salvationis, cujus fundamentum est Filii Dei incarnatio. Patet regula. Ideo de scientia sua loquens thema dicit: Antece-

Digitized by Google

debat me, sc. per verbum prophetale, et signum divinale, ista sapientia, sc. quam habuit pro mundi illuminatione et reformatione. — Nunc patet thema.

Quatuor sunt signa seu effectus proprii vere sapientie, que omnia fuerunt in beato Thoma.

Primum est de fine ordinare ;

Secundum est offensum et scandalum cavere ;

Tertium est perfecte docere ;

Quartum est perseveranter omnia complere.

Omnia ista signa sive effectus fuerunt perfecte in beato Thoma propter quod potest dicere : « Antecedebat me ista », etc.

Dico primo quod primum signum sapientie est de fine ordinare, sc. vitam suam et ea que habet facere ad finem debitum. Si enim vis cognoscere an religiosus, clericus, vel laicus sit sapiens, attende utrum ordinat vitam suam ad finem, et ea que habet facere, sc. utrum servat religionem, si sic sapiens est, alias stultus est. Nam fecit Deus rationalem creaturam ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, et possidendo frueretur, ut dicit magister. Non ergo est finis hominis in hoc mundo congregare magnas divitias, et honores, dignitates aut delicias, sed ut hic mereatur ut paradisum possideat quia « non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus ». (Heb. ult.) Qui ergo taliter ordinat vitam suam, ut ad illum finem attingat, sapiens dicitur. Sicut enim bonus patronus, qui contra undas maris, fortunam, ventum, et pericula navem gubernat, et ab bonum portum perducit, sapiens est, sic etiam qui in mari magno hujus mundi contra prosperitatem vel adversitatem scit vitam ordinare, ut finaliter ad portam paradisi perveniat, sapiens est. Hoc non solum theologi dicunt, sed etiam philosophi dicentes : Sapientis est ordinare, id est vitam suam ad debitum finem.

Modo videamus quomodo beatus Thomas habuit istum effectum vel sapientie signum. Dicatur hic quomodo quando fuit quinque annorum, mater recordans de verbis sancti heremite ipsum tradidit litteris imbuendum, et intra quinque annos tantum profecit, quod fuit magnus grammaticus, logicus et philosophus, ita quod in duodecimo anno etatis sue non haberet parem in studio, et jam tunc fecit fallacias, que dicuntur sancti Thome. Ecce qualiter scivit ordinare vitam suam ad finem studii, qui est scientiam habere. Ex isto fine patres mittunt filios ad studium, non autem ad faciendum ribaldarias, ad discendum artem dimicatoriam, et similia. Juvenis enim qui vult habere scientiam, debet esse attentus circa studium, et devotus erga Deum. Talis fuit beatus Thomas. Legitur quod quando debebat se ponere ad studendum, primo orabat dicens : « Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei. » Versus : Emitte

Digitized by Google

spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terre. Oratio. Deus qui corda fidelium, etc. Unde cum semel disputaret multum acute et curaliter, et quidam devotus religiosus ipsum audiret contemplando ipsum, et admirans de tanta sapientia in puero tam parvo, subito vidit radios splendoris ab ejus facie procedere, et totum mundum illuminare, ostendenti in hoc Deo quid intendebat de eo facere. Quando autem voluit studere theologiam, quesivit ubi melius legebatur, et invenit quod in conventu predicatorum. Ideo cogitavit intrare ordinem predicatorum, et secrete venit ad Priorem conventus Neapolitani, aperiens ei suum desiderium, asserens quod de scientia quam Deus sibi declarat volebat Deo servire et proximo, quia ista sancta religio ad hoc est instituta. Alique religiones sunt solum vite contemplative in studendo et orando, et active predicando. In predicatione enim complentur opera misericordie, quia ibi captivi demonum contritione redimuntur, esurientes verbo divino pascuntur, infirmi ex peccatis visitantur, nudi virtutibus induuntur, et sic de aliis. Prior vero letus ex una parte de tanto puero, et ex alia parte timens comitem, dixit puero : Utrum haberet licentiam a parentibus. Qui respondit quod homines mundiales et carnales non percipiunt negotia Dei, sed quod ipse requirebat eum quod ipsum recipiat ad ordinem antequam per aliquem impediretur, quia facta spiritualia ante debent esse facta quam dicta, propter quod Prior ipsum recepit. Ecce quomodo ordinavit vitam suam ad servitium Dei, non ad temporalia, ut faciunt multi. Ideo potest dicere ut Salomon, postquam dedit illi Deus sapientiam : « Optavi, et datus est mihi sensus, sc. ad intelligendum philosophiam, et invocavi, et venit in me spiritus sapientie, sc. theologie, et proposui illam regnis, id est dominiis temporalibus, et sedibus, id est prelationibus ecclesiasticis, divitias nihil esse duxi in comparatione illius. » (Sap. 7.) Sapientiam quam habebat non attribuebat sibi, nec ingenio proprio, sed Spiritui sancto. Ipsemet dixit socio suo secrete, et papa refert in canonizatione, quod plus habuit scientiam suam a Deo infundendo, quam ab ingenio proprio studendo.

Dico secundo quod secundum signum seu effectus sapientis est cavere offensam, sc. vitare peccata, alias non esset sapiens, quia sapientia et peccata non sunt simul, nec possunt simul stare. Sed scientia et peccata possunt simul stare, quia multi sunt magni magistri et doctores, qui tamen sunt magni peccatores, superbi, avari, luxuriosi. Ideo apostolus : « Scientia inflat. » (Cor. 8.) Sapientia autem, id est sapida scientia : « Sapientia enim doctrine secundum nomen ejus est, et non est multis manifesta. » (Eccl. 6.) Talis sapientia non stat simul cum peccatis, nec simul stant album et nigrum, calidum et frigidum. Autoritas de hoc : « In malevolam animam, id est superbam, invidam, iracundam, et mali-

Digitized by Google

tiosam, non introibit sapientia. » Sicut in speculo maculoso non intrat imago, sic nec animam maculatam intrabit sapientia, licet scientia possit intrare, nec habitabit in corpore subdito peccatis, sc. luxurie, gule, acidie, ut dicitur Sap. I.

Dicatur hic quomodo beatus Thomas vitavit non solum peccata, quia nunquam peccavit mortaliter, sed etiam vitabat illa que possunt virtutes impedire. Postquam enim fuit ordinem ingressus, et fama fuit divulgata de ejus ingressu, aliqui dixerunt : Modo exaltabitur ordo predicatorum, qui tunc noviter inceperat, alii dicebant quod fuit opus divinum, alii admirabantur quomodo tam nobilis puer et famosus in scientia potuit intrare ordinem pauperum mendicantium. Mater vero ejus patienter sustinuit, recordans de verbis heremite. Pater vero ejus videtur jam mortuus fuisse, sed fratres ejus carnales impatienter receperunt quando audierunr, erant enim in curia imperatoris Federici. Qui audientes quod frater eorum factus fuerat predicator, dixerunt ut communiter dicunt homines mundani carnales : Si frater noster voluisset esse clericus, potuisset episcopari, vel si monachus albus. vel niger, fuisset magnus clericus, et post abbas, et quandoque misissemus ad eum, sed quod sit pauper mendicans, in vituperium et dedecus omnium nostrum, hoc non placet nobis. Quia non intelligebant opera Dei. Et obtenta licentia ab imperatore, venerunt ad fratrem eorum ut ipsum extraherent de ordine, quem invenerunt extra conventum cum quatuor fratribus ipsum comitantibus, et receperunt eum, volentes eum expoliare habitu, sed non potuerunt, et tanquam captum duxerunt eum ad castrum, et miserunt eum in quadam turri, promittentes sibi honores et bona temporalia si vellet habitum deponere, et ordini renuntiare, sed nihil profecerunt.

Et tenuerunt ipsum captum in dicta turri duobus annis, non tamen fuit otiosus, imo continue studebat, ac si fuisset in studio, imo et plus, habebat enim unum magistrum, sc. illum qui docuit apostolos rudes in die Pentecostes, sc. Spiritum sanctum, qui secrete docebat eum, et in dicta camera servabat suum ordinem, etc. Videntes fratres quod ipsum non poterant sic a bono incepto retrahere, cogitaverunt per mulierem ipsum inclinare, cum tunc fuisset juvenis XV vel XVI annorum, et dixerunt : Iste non est sanctior Adam, nec fortior Sampsone, David, vel Salomone ; qui introduxerunt domicellam pulchram, promittentes ei si posset ipsum Thomam inclinare, quod sibi donaria darent satis magna, que reputavit sibi ad magnum honorem, propterea ipsa ornavit se ad ostendendum vanitates. Que intrans cameram, ipsum dulciter salutavit, qui tanquam ignorans, non statim cognovit malitiam dicte domicelle. Que posuit se cum eo in verbis. Deinde recepit manus dicens : O quomodo estis frigidus, ponatis manus in sinu meo. Nota bene legendam.

Digitized by Google

Dicatur quomodo angeli dixerunt: Ex parte Dei te cingimus cingulo castitatis, quod nullatenus de cetero dissolvetur. Et ex hoc intantum fuit castus, quod de cetero non habuit motus in illis partibus. Sed licet esset certus de sua castitate et virginitate, adhuc tamen noluit loqui secrete cum mulieribus. O quod exemplum dat nobis, qui sumus incerti de fortitudine, ut caveamus a familiaritatibus mulierum, quia serpit, etc. Item mulieres caveant a familiaritatibus hominum, etc.

Dicatur quomodo tunc fuit ordini restitutus, et a fratribus cum magno gaudio susceptus, ut Christus quando rediit de exilio Egypti. Si ergo sapientia est vitare peccata, et beatus Thomas ita vitavit peccata, vere fuit sapiens. Et potest dici de eo : « Cor sapiens et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitie successus, id est profectus, vel augmentum habebit. » (Eccl. 3.)

Dico tertio quod tertium signum sapientie est docere perfecte, sc. verbo et exemplo, sc. per doctrinam celestialem, verbo, et exemplo, sc. per vitam spiritualem, hoc est docere perfecte. Ratio, quia pictor solo verbo nunquam faceret bonum discipulum. Ita predicator est pictor, depingens nobis imaginem patriarcharum, quando predicat de misericordia. Et prophetarum, quando predicat de devotione. Et apostolorum, quando de charitate, et sic de aliis. De patientia, quando de martyribus, etc. Sed si solo verbo dicat, nunquam faceret bonos discipulos, quia oportet ut operi etiam manus apponatur, ut opere adimpleat quod aliis servandum predicat. Alias dicitur nobis : O ! ribaldus iste tam bene dicit, et male facit, etc. Ideo dicit scriptura : « Vir sapiens plebem suam erudit, supple verbo doctrinali ; et fructus sensus illius, sc. quando opera concordant cum doctrina in vita spirituali, fideles sunt. » (Eccl. 37.)

Modo de nullo alio sancto legitur quod invenitur de sancto Thoma, sc. de ejus vita spirituali, et raptu contemplationis, quod est maximum in theologia, quia ita rapiebatur, et ita erat ei in potestate, sicut in tua est claudere oculos vel aperire, nec tunc utebatur sensibus corporalibus. Dicatur hic de fistula in tibia, eo quod non movebatur de studio, et cum esset delicatissimus, timebat, quia medici cum cauteriis ignis dabant sibi medicinam sive curam. Dicatur quomodo per mediam horam ante fuit ita raptus quod non sensit cauteria. Item de candela accensa, que combusit sibi digitos, et nihil sensit, cum legeret librum Boetii difficilem et ingeniosum. Item quando ad preces sororis sue ivit ad ejus castrum, et in camera fuit raptus in contemplatione, quia soror credidit ipsum fuisse mortuum, quia non respondebat sibi, et soror incepit clamare, sed socius fecit eam tacere, dicens sibi suam consuetudinem, et ipso dimisso iverunt ad prandium, et sic fuit raptus per tres dies ut Paulus, sine cibo et potu, et tertia die dixit socius : Hoc nimis durat. Et ipse

Digitized by Google

cum sorore clamando : Magister Thoma! Et tangentes reduxerunt eum ad se. Quibus dixit : Parcat vobis Deus, tam bonum prandium mihi abstulistis, etc. Ecce quanta erat ejus spiritualitas vite. Item quando orabat in ecclesia, et fratres aliquoties observabant eum, videbant ipsum a terra elevatum ex fervore spiritus, qui ad se trahebat corpus, et de nobis miseris est oppositum, quia pondus corporis trahit ad se spiritum ad cogitandum de coquina seu taberna, non possumus orare quando deberemus, etc. Ideo dicit scriptura : « Corpus quod corrumpitur aggravat animam. » (Sap. 9.) Verum est in nobis, sed non in beato Thoma, imo corpus sequebatur animam. Item ut posset legere, dictare, disputare, et predicare, vitabat colloquia hominum, sed Deus de alio mundo mittebat sibi cum quibus loqueretur, vel sanctos de paradiso, ut angelos, vel animas de purgatorio, ut eas suis orationibus juvaret, et sic consolabatur. Qui enim dimittit pro Deo consolationes mundanas, Deus dat sibi consolationes celestes.

Dicatur de magistro Romano, quem ipse dimiserat Parisiis ut regeret scholas suas, quando ivit Neapolim. Qui mortuus fuerat nesciente sancto Thoma. Et cum oraret, apparuit sibi anima ejus, dicens quod fuerat xv diebus in purgatorio propter negligentiam quam habuit in quadam manumissoria sibi ab episcopo commissa. Dicatur hic contra manumissores et heredes, quia non solum sunt negligentes, imo sunt bona defunctorum occupantes et retinentes. A quo beato Thoma quesivit multa dubia, sc. de statu suo, de vita, de scientia, utrum placebat Deo. Respondit quod sic, quod continuaret, quia magna gloria erat sibi parata. Multas alias questiones fecit sibi, et ad omnes respondit, sed modo non est curandum. Dicatur de sorore sua defuncta, et missa in purgatorio ex vanis ornamentis, et picturis, que sibi apparuit, petens ab eo suffragia. Que ab eo adjuta, iterum apparuit sibi cum de purgatorio ad paradisum evolaret, sibi regratiando. Qui etiam quesivit ab ea de sua vita et statu utrum placebat Deo. Nota in quo dubio vivebant sancti. Et quanto magis nos qui sumus peccatores! Respondit sibi quod multum. Item cum semel oraret pro fratre suo ab imperatore interfecto pro defensione ecclesie, apparuit sibi angelus Dei cum libro. Et in una parte erant scripta nomina confessorum de litera lazurina, et alia nomina martyrum de literis aureis, ubi invenit scriptum nomen fratris sui. — Pater de ejus vita spirituali.

Modo videndum de ejus celesti doctrina. Qui cum volebat disputare, scribere, veb dictare, recurrebat ad orationem. Item quando sibi dubia occurrebant, et statim ab angelo vel apostolis Petro et Paulo ei visibiliter apparentibus de dubiis certificabatur. Ecce quales magistros habebat, imo semel apparuit sibi virgo Maria cum filio in brachiis que ait filio : Fili, declaretur sibi hoc dubium, etc. Item cum scripsisset super

Digitized by Google

materia accidentium sacramenti altaris, que est materia valde subtilis, in quo illa accidentia existunt subjective, posuit se in extremis altaris orans, etc., dixit sibi crucifixus : Bene scripsisti de me, Thoma. —Ecce sua doctrina approbata a papa Jesu. — Quam ergo recipies pro tuo labore mercedem ? Quid respondisses tu ? Domine, quod sim episcopus vel cardinalis. Sed beatus Thomas respondit : Domine, non aliam mercedem recipiam nisi teipsum. Et quia Christus fecit mentionem de mercede innuebatur de ejus obitu propinquo. Et tunc beatus Thomas scribebat ultimam partem, in qua tractabat de predicta materia accidentium, quam non perfecit morte preventus. Idem de officio corporis Christi, quod de mandato Domini pape ordinavit. Quo completo, librum super altare posuit, et ipso orante Christus in forma pueri super librum se posuit, dicens quod illa ordinatio erat sancta et bona quantum intellectus humanus posset comprehendere. Ergo de ejus doctrina dubitari non debet, quia non solum a vicario Christi, sed etiam ab ipso Domino Jesu Christo approbata fuit. Ideo libri ejus sunt ita per mundum multiplicati. Ideo de ipso cantatur hodie : « Ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientie sue, quantum ad doctrinam spiritualem. Ipse palam faciet disciplinam doctrine sue, et hoc quantum ad vitam spiritualem. Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque in seculum non delebitur. » (Eccl. 39.)

Dico quarto quod quartum signum sapientie est perseveranter complere ; signum sapientie est bene incipere, et melius continuare, sed optime finire et perficere. Nam non reputaretur sapiens, qui tempore indulgentiarum iret Romam cum magno labore et periculis pro indulgentiis lucrandis, et quando esset juxta portale civitatis Rome rediret absque hoc quod non visitaret sanctuaria, nec intraret Romam cum tot expensas fecerit, et nullam indulgentiam lucratus fuerit, quia non dantur nisi intrantibus. Sic est de multis qui incipiunt peregrinationem, et viam bone vite. Quot religiosi, quot clerici, et quot laici incipiunt bene, sed antequam sint ad portam paradisi, que est mors, redeunt retro per peccata, etc. Ideo oportet perficere, et omnia complere. Unde autoritas Sap. 6 et 8 : « Sapientia vincit malitiam. » Ratio, attingit enim a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Nota pro responsione duos fines in bona vita, sc. deliberationis sive intentionalem, executionis sive temporalem, quia ut dicit philosophus, quod primum in intentione est ultimum in executione, et e converso. Finis intentionalis est ut bona que facit, fiant pro Dei honore, et anime salvatione. Et duratio bone vite debet attingere a fine intentionis usque ad finem temporalis executionis. Sicut fecit beatus Thomas qui semper perseveravit in bona vita, propter honorem Dei, nihil faciens ex vana gloria vel hypocrisi. Ergo volens Deus ipsum remunerare, revelavit sibi finem temporalem.

Digitized by Google

Dicatur quomodo eundo ad consilium declinaverit ad monasterium fosse nove, et certus de sua morte cum intrabat monasterium dixit : Hec requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et quedam cometa apparuit super dictum monasterium per tres dies ante obitum sancti doctoris. Et aliqui dicebant hoc signum guerre, aliqui : imo mortalitatum, et aliqui : imo alicujus magni principis mortis. Sed mortuo sancto doctore, stella non apparuit. In quo patet quod venit ad associandum eum, quemadmodum legitur de stella que associavit reges orientis. Cum autem supprior dicti conventus, qui erat cecus, audiret obitum sancti doctoris, venit ad stabulum ubi erat animal sancti doctoris in quo equitaverat, tunc illud crepuit, quasi reputaret indignum alium in eo equitare. Cum autem frater Albetius de Brixia oraret Deum ut sibi revelaret gloriam sancti Thome, apparuerunt sibi due reverende persone, una in habitu episcopi, alia in habitu predicatoris. Quorum unus erat beatus Augustinus, alter beatus Thomas, ut in nono responsorio dicitur : « Sertum gestant cum torque duplici, cappa gemmis ornata cernitur, ex monili fulgoris celici lux emissa mundo diffunditur. Augustinus fratri sic loquitur : Thoma mihi par est in gloria Virginali prestans mundicia. » Lapis preciosus quem habebat in pectore significabat intentionem sanctam quam habuit. Stelle autem figurabant libros, tractatus, et epistolas scripture quas fecerat. Torques sunt due corone, una doctoratus, alia virginitatis.

Habemus ergo exemplum perseverandi in bona vita. Qui autem adhuc non inceperunt, incipiant dimittendo peccata, etc. Ecce quare dicit beatus Thomas : Antecedebat me ista sapientia, etc.

Le sermon sur saint Thomas d'Aquin est le même dans le ms de Toulouse, sauf les mots catalans. Ex.: division :

Ordinare *degudament ;*
Vitare *offendament ;*
Docere *perfeytament ;*
Perficere *compledament.*

Digitized by Google

Die beati Gregorii

(Canevas autographe)

Participes facti sunt amicitie Dei.
(Sap. 7.)

De unione Ecclesie

Permaxima amicitia Christi ad nos in hoc attenditur evidenter quod voluit humiliari ut nos exultaremur. Ymo voluit per mortem dividi ut nos conjungeremur. Joan. 15 : « Majorem hac dilectionem », etc. Quia ergo isti duo pape qui nunc president volunt humiliari cedendo suis dignitatibus et dividi ab eis ut populus christianus uniatur ac digne promoveatur patet quod « participes facti sunt amicitie Dei ». — Nota : non dicit voticipes (?) ; sed participes amicitie Dei. Quinque enim partes habuit amicitia Dei ad nos.

Prima : Fuit propositum firmum hoc faciendi, et per suam bullam hoc universis intimavit. Joan. 10 : « Alias oves habeo », etc.

Secunda : Elegit locum ubi hoc fieret. Luc. 13 : « Oportet me hodie et cras », etc.

Tertia : Ad locum electum convenit. Math. 20 : « Ascendens Jesus Jerosolymam », etc.

Quarta : De facto renunciavit. Phil. 2 : « Cum in forma Dei esset », etc.

Quinta : Unitatem complevit. Eph. 2 : « Nunc in Christo Jesu vos qui aliquando eratis longe », etc.

De hiis quinque partibus solum primam adhuc fecerunt isti duo pape. Unde patet quod dixi. Ideo hodie regratiamur Deo, ipsos etiam commendantes juxta illud Eccl. 48 : « Beati sunt qui te audierunt et in amicitia tua decorati sunt. »

Pro quatuor autem partibus que restant ad completam unitatem attente orandum est ne per xxx annos habeamus unamquamque expectare sicut primam, propter difficultates que possunt occurrere.

Difficultas secunde partis potest considerari in divisione regni Israel et Juda ; quia nec Israel volebat venire in Jerusalem sub dominio Jude, nec Juda in Bethel sub dominio Israel. (3 Reg. 12.)

Difficultas tertie potest considerari ex periculis contingentibus in anno Jubilei.

Digitized by Google

Difficultas quarta ex separatione domus Israel a David sub Seba filio Bochri. (2 Reg. 20.)

Difficultas quinta patet ex divisionibus multarum electionum precedentium tempore unionis populi christiani. Quanto ergo magis! etc. Ideo diligenter est orandum, juxta illud: « Participes Christi effecti sumus », etc. (Heb. 3.)

De sancto Gregorio

(Recueil imprimé)

Beatus ille servus.
(Mat. 24.)

Pro declaratione hujus verbi oportet scire pro quibus servitiis spiritualibus creatura potest consequi celestem beatitudinem. Pro quo sciendum quod invenitur clare in sancta scriptura quod servitium Dei spirituale in hoc mundo habet tres gradus seu differentias.

Primus est de vita activa vel operativa.

Secundus est de vita contemplativa.

Tertius est de vita prelativa.

Isti tres gradus ponuntur a beato Augustino, qui dicit: « Triplex est genus vivendi, actuosum, otiosum, et ex utroque compositum. » Et quando creatura bene servit Deo in hoc mundo in aliquo gradu predictorum, quando morietur, sine dubio obtinebit benedictionem sive beatitudinem paradisi. Et quia beatus Gregorius in his tribus gradibus diligenter servivit Christo in mundo, ideo de eo dicit thema: Beatus, supple est modo, ille servus, sc. beatus Gregorius.

Dico primo quod primus gradus serviendi Deo in vita activa est facere opera proficuosa, et utilia proximo, amore sui et Dei. Et ad hec opera exercenda concurrunt quatuor cause. Prima est efficiens, que est Deus, et liberum arbitrium hominis. Materialis, que est exercere opera misericordie erga proximos. Formalis vero, que dat rei perfectionem. Et etiam finalis, que est respectu Dei, sive debita intentio, sc. quod illa opera misericordie fiant amore Dei, non vane glorie, non intentione proprie utilitatis, non laudis, etc., sed solo respectu Dei fieri debent. Species enim bonitatis vel malitie in actibus moralibus sumitur ex fine, ut dicit sanctus Thomas, sive illa opera sint corporalia, ut puta quia respiciunt utilitatem corporis, sive sint spiritualia, omnia talia meritoria sunt. Ad utilitatem enim corporis sunt opera misericordie corporalia, ut esurientem pascendo, sitientem potando, nudum vestiendo, peregrinum hospitando, et sic de aliis. In his enim operibus magis servit homo Deo

Digitized by Google

quam proximo, quia dicit Philosophus: « Propter quod unum quodque tale, et illud magis. » Si vos servitis proximo propter Deum, ergo magis servitis Deo, et Christus recipit in persona sua tale servitium. Dicet enim in judicio personis opera misericordie facientibus : « Esurivi, et dedistis mihi manducare. » Non dicet : Esurivit pauper, et non dedistis ei comedere, sed ego esurivi, quia quicquid uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. » (Mat. 22.) Ita quod ipse recipit servitium illud in persona sua.

Idem de operibus misericordie spiritualibus vite active, que exercentur erga animas proximorum, que sunt meliora quam corporalia, quia anima est melior corpore ; ut predicare verbum Dei, dare consilium in dubiis proximo, corrigere errantes dulciter et charitative, consolari tristes, supportare tediosos, vir uxorem, et econverso, socius socium, religiosus religiosum, vicinus vicinum, etc., remittere injurias inimicis propter Deum, rogare pro proximis si sunt in bono statu ut conserventur, alias ad bonum statum reducantur. Ista est vita activa spiritualis, serviendo ut dictum est. De ista vita dlcit scriptura : « Vos in libertatem vocati estis, fratres », hoc dicitur de libertate liberi arbitrii, quod non cogitur... servite invicem. » (Galat. 5.) Istud servitium vite active ita placet Deo, quod ex isto homo consequitur eternam beatitudinem.

Si vultis scire et intelligere quare, audiatis parabolam de nobili domino, qui habebat filios et filias et multos servitores, quibus dedit multas divitias. Et motus devotione, voluit ire in peregrinationem, et in suo recessu recommisit filios suos et filias servitoribus suis, si aliquo indigerent juvarent eos, et recessit, et in peregrinatione moram fecit. Filii autem et filie ex tam longa patris absentia ex indigentia recurrerunt ad servitores patris, ut subvenirent eis. Aliqui dixerunt : Non curo, ego habeo filios et filias quibus oportet me subvenire. Alii autem amore patris providebant eis de omnibus necessariis. Tandem venit pater, et filii dixerunt sibi quomodo servi sui se habuerant erga eos. Pater autem dives et nobilis retribuit servitoribus suis qui provisionem dederant filiis, alios autem servitores qui noluerunt eis subvenire, dure punivit. Iste dives et nobilis Dominus est Christus dives, quia Domini est terra et plenitudo ejus, etc. Qui habet multos servitores et ministros, omnes sc. divites, et multos filios et filias, omnes Christianos, sed maxime et appropriate pauperes dicuntur ejus filii. Ita dicit beatus Joannes qui erat pauper, dicens aliis pauperibus : « Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur et simus. » (Joan. 3.) Qui in die ascensionis ivit in peregrinationem ad sanctuaria paradisi. recedendo de mundo ascendit corporaliter in celum : « Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti » ad judicium, et loquitur de se. (Luc. 19.) Filii autem sui, sc. pauperes indigentes recur-

Digitized by Google

rerunt ad divites, quibus pater eorum dedit quicquid habuit. Non credatis vos, divites, habere bona ex vestris laboribus, quia multi laborant qui nihil lucrantur, sed Christus dedit vobis. Aliqui autem nolunt eis subvenire, aliqui sic. Quando ergo veniet pater, sc. ad judicium. retribuet illis qui in operibus misericordie corporalibus vel spiritualibus servierunt sibi et filiis suis, collocando eos ad dexteram ut salventur, alios autem ad sinistram ut puniantur. Ecce quare ex vita activa consequitur homo beatitudinem. Unde ad hoc autoritas : Beati servi illi quos, cum veniret dominus, invenerit vigilantes », id est diligentes in exercitio vite active. (Luc. 12.) « Amen dico vobis, quia precinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. » *(Ibid.)* Nota, precinget, quia qui est precinctus, habet fimbrias restrictas, secus qui non est precinctus. Christus in gloria sue humanitatis non est precinctus, quia tantam gloriam habet quanta creatura potest habere. Sed precinget se dando gloriam aliis, quia licet posset dare gloriam infinitam, non tamen dat premium alicui creature, nisi secundum meritum ejus. Et quia nulla creatura habet meritum infinitum, ideo precinget se dando gloriam secundum mensuram meritorum, et ita exponit glossa. Ideo dicit apostolus : « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. » (Corinth. 3.) Secundo dicit : Et faciet illos discumbere, eo quia in vita activa serviendo laborarunt, correspondet eis quies que est in mensa paradisi, que est in essentia divina. Unde autoritas : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis », quia vita activa multas tentationes habet, tedia, et impatientias. « Ego dispono vobis ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. » (Luc. 22.) Tertio dicit : et transiens ministrabit illis. Non dicit stans, sed transiens.

Nota quinque transitus in beatis. Primus est de fruitione divinitatis, transit ostendens eis suam humanitatem ; et econverso in his objectaliter consistit beatitudo. Secundus de intellectu per claram cognitionem, quia ibi consistit visio, transit in voluntatem per fruitionem et delectationem. Tertius transitus ad omnes, quia tanta est delectatio voluntatis quod os prorumpit in laudes. Unde dicit Augustinus : « Videbimus, et amabimus, et laudabimus. Quartus transitus de gaudio, sc. accidentali, in gaudium. Gaudium est angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente. (Luc. 15.) Quintus transitus est post diem judicii, quia gloria anime transibit in corpus. Modo solum anime habent gloriam, et corpora jacent in sepulchris incinerata, ut corpus beatorum Petri et Pauli, et aliorum. Sed tunc gloria anime redundabit in corpus, quia non est gloria corporis alia a gloria anime, nisi quia gloria anime redundabit in corpus. In laterna crystalli eadem lux est luminis et laterne. Patet ergo quod ex servitio vite active propter Deum homo meretur beatitutinem. In ista vita activa beatus Gregorius servivit Deo.

Digitized by Google

Dicatur ex ejus legenda, quomodo fuit de civitate Rome ex nobili progenie Romanorum, qui adolescens in liberalibus artibus sufficienter instructus, tandem mortuo patre remansit heres magnarum opum, et cogitavit expendere illas pecunias ad servitium Dei in operibus misericordie. Cogitate quod sui amici suadebant sibi ducere uxorem, sed noluit, et omnes illas pecunias distribuit in operibus misericordie corporalibus et spiritualibus. Nam quatuor sunt conditiones personarum que habent necessitatem corporalem, quibus subvenire est magna misericordia. Primi sunt captivi, et quoad aliquid precipuum opus misericordie corporalis est redimere captivos, ut dicit S. Thomas; ex hoc enim anima liberatur, etc. Secundi sunt pauperes verecundi, qui de prosperitate venerunt ad magnam paupertatem, qui citius morerentur fame quam mendicarent; istis etiam subvenire est magna misericordia. Tertii sunt pupilli et orphani, etc., et his beatus Gregorius distribuit magnam partem hereditatis. Secundo in operibus misericordie spiritualibus que respiciunt animam, quia septem monasteria instituit, et modo reges non possunt facere unum sine adjutorio ecclesie. Et beatus Gregorius fecit septem, sc. ordinis beati Benedicti qui tunc incipiebat, et fundavit ad modum antiquorum, vitando vanitates et superfluitates. Si ego ex servitio vite active propter Deum homo consequitur beatitudinem, et beatus Gregorius in dicta vita servivit Christo in hoc mundo diligenter, quid dicemus de eo? Beatus ille servus.

Secundus gradus, sc. vite contemplative est melior, qui est occupare se solum in operibus misericordie spiritualibus, que immediate respiciunt Deum. Ita quod materiale, sc. opera spiritualia, et formale hujus vite contemplative, solum respiciunt Deum, ut orare devote cum fervore spiritus certis horis diei, et certis horis in nocte, cogitare de gloria paradisi, legere libros spirituales, ut Deus cognoscatur, audire missas, sermones, cogitare justitiam Dei in penis damnatorum, cogitare divinam providentiam in mundi gubernatione, potentiam in mundi creatione, sapientiam in generalis judicii ordinatione. Istud servitium desiderabat David dicens: « Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, Domine », sc. ad contemplandum, quia contemplatio est actus intellectus, et ista vita est melior quam vita activa. Ratio, quia licet activus faciat plus, et serviat, tamen plus premiatur apud Deum contemplativus quam activus. Nota ad hoc similitudinem in curia pape vel regis, in qua sunt multi servitores, et multa officia. Cubicularii autem serviunt solum in camera persone regis vel pape. Alii autem serviunt extra, ut coquinarii, et alii, qui plus laborant, et plura opera exercent, tamen plus premiantur illi qui solum curant de pape persona, et sunt cum eo in camera. Magnum quid est esse immediate cum papa vel rege. Idem de papa et rege Jesu Christo, cujus palatium est ecclesia. Contemplativi autem

Digitized by Google

rerunt ad divites, quibus pater eorum dedit quicquid habuit. Non credatis vos, divites, habere bona ex vestris laboribus, quia multi laborant qui nihil lucrantur, sed Christus dedit vobis. Aliqui autem nolunt eis subvenire, aliqui sic. Quando ergo veniet pater, sc. ad judicium. retribuet illis qui in operibus misericordie corporalibus vel spiritualibus servierunt sibi et filiis suis, collocando eos ad dexteram ut salventur, alios autem ad sinistram ut puniantur. Ecce quare ex vita activa consequitur homo beatitudinem. Unde ad hoc autoritas : Beati servi illi quos, cum veniret dominus, invenerit vigilantes », id est diligentes in exercitio vite active. (Luc. 12.) « Amen dico vobis, quia precinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. » *(Ibid.)* Nota, precinget, quia qui est precinctus, habet fimbrias restrictas, secus qui non est precinctus. Christus in gloria sue humanitatis non est precinctus, quia tantam gloriam habet quanta creatura potest habere. Sed precinget se dando gloriam aliis, quia licet posset dare gloriam infinitam, non tamen dat premium alicui creature, nisi secundum meritum ejus. Et quia nulla creatura habet meritum infinitum, ideo precinget se dando gloriam secundum mensuram meritorum, et ita exponit glossa. Ideo dicit apostolus : « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. » (Corinth. 3.) Secundo dicit : Et faciet illos discumbere, eo quia in vita activa serviendo laborarunt, correspondet eis quies que est in mensa paradisi, que est in essentia divina. Unde autoritas : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis », quia vita activa multas tentationes habet. tedia, et impatientias. « Ego dispono vobis ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. » (Luc. 22.) Tertio dicit : et transiens ministrabit illis. Non dicit stans, sed transiens.

Nota quinque transitus in beatis. Primus est de fruitione divinitatis, transit ostendens eis suam humanitatem ; et econverso in his objectaliter consistit beatitudo. Secundus de intellectu per claram cognitionem, quia ibi consistit visio, transit in voluntatem per fruitionem et delectationem. Tertius transitus ad omnes, quia tanta est delectatio voluntatis quod os prorumpit in laudes. Unde dicit Augustinus : « Videbimus, et amabimus, et laudabimus. Quartus transitus de gaudio, sc. accidentali, in gaudium. Gaudium est angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente. (Luc. 15.) Quintus transitus est post diem judicii, quia gloria anime transibit in corpus. Modo solum anime habent gloriam, et corpora jacent in sepulchris incinerata, ut corpus beatorum Petri et Pauli, et aliorum. Sed tunc gloria anime redundabit in corpus, quia non est gloria corporis alia a gloria anime, nisi quia gloria anime redundabit in corpus. In laterna crystalli eadem lux est luminis et laterne. Patet ergo quod ex servitio vite active propter Deum homo meretur beatitutinem. In ista vita activa beatus Gregorius servivit Deo.

Digitized by Google

Dicatur ex ejus legenda, quomodo fuit de civitate Rome ex nobili progenie Romanorum, qui adolescens in liberalibus artibus sufficienter instructus, tandem mortuo patre remansit heres magnarum opum, et cogitavit expendere illas pecunias ad servitium Dei in operibus misericordie. Cogitate quod sui amici suadebant sibi ducere uxorem, sed noluit, et omnes illas pecunias distribuit in operibus misericordie corporalibus et spiritualibus. Nam quatuor sunt conditiones personarum que habent necessitatem corporalem, quibus subvenire est magna misericordia. Primi sunt captivi, et quoad aliquid precipuum opus misericordie corporalis est redimere captivos, ut dicit S. Thomas; ex hoc enim anima liberatur, etc. Secundi sunt pauperes verecundi, qui de prosperitate venerunt ad magnam paupertatem, qui citius morerentur fame quam mendicarent; istis etiam subvenire est magna misericordia. Tertii sunt pupilli et orphani, etc., et his beatus Gregorius distribuit magnam partem hereditatis. Secundo in operibus misericordie spiritualibus que respiciunt animam, quia septem monasteria instituit, et modo reges non possunt facere unum sine adjutorio ecclesie. Et beatus Gregorius fecit septem, sc. ordinis beati Benedicti qui tunc incipiebat, et fundavit ad modum antiquorum, vitando vanitates et superfluitates. Si ego ex servitio vite active propter Deum homo consequitur beatitudinem, et beatus Gregorius in dicta vita servivit Christo in hoc mundo diligenter, quid dicemus de eo? Beatus ille servus.

Secundus gradus, sc. vite contemplative est melior, qui est occupare se solum in operibus misericordie spiritualibus, que immediate respiciunt Deum. Ita quod materiale, sc. opera spiritualia, et formale hujus vite contemplative, solum respiciunt Deum, ut orare devote cum fervore spiritus certis horis diei, et certis horis in nocte, cogitare de gloria paradisi, legere libros spirituales, ut Deus cognoscatur, audire missas, sermones, cogitare justitiam Dei in penis damnatorum, cogitare divinam providentiam in mundi gubernatione, potentiam in mundi creatione, sapientiam in generalis judicii ordinatione. Istud servitium desiderabat David dicens: « Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, Domine », sc. ad contemplandum, quia contemplatio est actus intellectus, et ista vita est melior quam vita activa. Ratio, quia licet activus faciat plus, et serviat, tamen plus premiatur apud Deum contemplativus quam activus. Nota ad hoc similitudinem in curia pape vel regis, in qua sunt multi servitores, et multa officia. Cubicularii autem serviunt solum in camera persone regis vel pape. Alii autem serviunt extra, ut coquinarii, et alii, qui plus laborant, et plura opera exercent, tamen plus premiantur illi qui solum curant de pape persona, et sunt cum eo in camera. Magnum quid est esse immediate cum papa vel rege. Idem de papa et rege Jesu Christo, cujus palatium est ecclesia. Contemplativi autem

Digitized by Google

serviunt Christo solum. Activi autem extra cameram laborant. Et licet plura servitia faciant, tamen majus est meritum contemplationis. Autoritas de hoc, et est verbum allegoricum, sc. ecclesie ad Christum dicentis : « Beati viri tui, et beati servi tui hi qui stant coram te semper. » (Reg. 10.) Nota, beati viri, sc. a virtute scientie bone vite et moralitatis, quia vitiosi non possunt esse contemplativi, et beati servi tui. Et ostendit de quibus loquitur dicens : Hi qui stant coram te semper, sc. contemplando. Nota, semper, quia vita activa finitur in morte, contemplativa non, imo in morte contemplativa crescit. Ideo Christus dixit Marthe, que dederat se vite active, et dixerat Christo : « Domine, non est tibi cure quod soror mea reliquit me solam ministrare ? » Respondit Christus : « Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima, Maria autem optimam partem elegit, que non auferetur ab ea. » (Lu. 10.) In ista vita beatus Gregorius servivit Christo ; postquam enim in vita activa servivit Christo, dedit se vite contemplative. Et iste est ordo, quia de vita activa homo debet venire ad vitam contemplativam.

Et ita fecit, sc. Gregorius, quia in uno illorum septem monasteriorum recepit habitum, in quo dedit se contemplationi, separando se a negotiis hujus mundi, et ab amicis. Et dicit historia, quod quamquam infirmato stomacho propter abstinentias et orationes quotidie langueret, nunquam tamen quiescebat quin oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. A matre autem sua beata Sylvia ibi crudis leguminibus pascebatur. Ideo spiritus fortificatur in contemplando. Nota hic unum singulare de ejus contemplatione, quia ejus diaconus dixit se vidisse super caput ejus sepissime spiritum sanctum in specie columbe. Ideo sua oratio erat magne efficacie et virtutis, intantum quod non legitur simile de aliquo sancto alio. Dicatur hic de Trajano imperatore infideli, sed justo morali justitia. Dicatur hic de strictissima justitia quam fecit idem imperator de filio suo, qui cum equo interfecerat filium mulieris vetule.

Et ecce hanc justitiam et historiam Romani depinxerunt in quadam domo, in quam cum ingressus fuisset beatus Gregorius, et contemplaretur gloriam paradisi, et penas inferni, et vidisset dictam historiam depictam, oravit dominum dicens : O Domine, et tanta justitia erit in inferno, et quia sciebat ipsum esse in inferno, non audebat simpliciter dicere : Domine, liberetis eum ab inferno, sed flens dicebat : O Domine ! et tanta justitia istius imperatoris damnabitur ? et sic tacite ejus liberationem petivit. Et angelus Domini locutus est ei dicens : Gregori, obtines pro Trajano, nunquam tamen decetero ores pro damnato, sed exorasti, ideo patieris dolores in corpore. Super hoc habemus quod ille Trajanus diffinitive non erat damnatus, sed ad tempus quantum ad locum. Et habemus dicere quod angelus Domini deduxit animam Trajani ad ejus corpus. Et suscitatus est. Et beatus Gregorius ipsum bap-

Digitized by Google

tizavit, et sic oportet hoc intelligi. Ecce quante efficacie fuit oratio beati Gregorii virtute contemplationis. Nullus debet hic recipere exemplum orandi pro damnatis, quia peccaret, quia sancti imitandi sunt in virtutibus moralibus, sed non in miraculis. Si ergo ex servitio vite contemplative acquiritur beatitudo, etc., quid dicemus de beato Gregorio? Beatus est ille, etc.

Moraliter: Vos, Domini, officiales, et rectores communitatis, habetis hic exemplum diligendi et servandi justitiam, sicut ille Trajanus servavit antiquum statutum in filio. Non respexit magnitudinem persone, nec affinitatem, ergo diligite justitiam qui judicatis terram. (Sap. 1.) Item David : « Beati qui faciunt justitiam in omni tempore. »

Tertium servitium est majus, sc. vite prelative, que includit vitam contemplativam perfecte, sicut bonum est corpus hominis, sed melior est anima. Item bona est vita activa, melior contemplativa, sed optima est prelativa, que amplectitur utramque. Ideo dicit beatus Gregorius de prelato : Sit rector actione precipuus, pre cunctis contemplatione suspensus. Nota : actione precipuus. Opus vite contemplative est predicare. Ibi complentur opera misericordie, quia famelici et esurientes verbo Dei satiantur, tristes consolationibus potantur, et nudi virtutibus induuntur, et infirmi peccatis visitantur, etc. De ista vita autoritas Mat. 24 : « Beatus ille servus quem... super omnia bona sua », sc. cum Seraphinis.

Istam vitam prelativam habuit beatus Gregorius, quia mortuo papa eum licet renitentem senatus et populus concorditer elegerunt omnes una voce clamantes : Gregorius sit papa. Ipse vero missis literis adulatoriis ad imperatorem eum ut patrem suum rogavit ne consentiret, et videtur quod tunc imperator consentire habebat in electionem pape, qui tamen desiderabat quod super omnes Gregorius esset papa. Dicatur ergo quomodo fugit ad dolium, ut patet in legenda, quia porte custodiebantur ne fugeret de civitate Romana, et in quadam spelunca latuit, sed indicio columne fulgide super se de celo descendentis inventus capitur, trahitur, et summus pontifex consecratur. Quando autem fuit papa, servavit optime vitam activam, quia omnes viduas, pauperes, et orphanos habebat in scriptis, et providebat eis. Et palatium papale non erat nisi granarium communitatis. Pauperibus autem verecundioribus de mensa mittebat suam scutellam. Ceterum Jerosolymis xenodochium constituit, et tam ibi quam in monte Synai famulis Dei victum et vestimenta annualiter misit.

Cum autem quidam heremita rogaret, ut fertur, Dominum, ut sibi ostendere dignaretur quam mansionem habiturus esset in celo, et sibi revelatum esset quod cum Gregorio papa ; et ille conferens suam inopiam

Digitized by Google

ejus divitiis super hoc miraretur, audivit vocem dicentem sibi : Cur audes comparare paupertatem tuam divitiis Gregorii ? magis diligis cappam tuam quam habes, quam ille tantas divitias.— Item servivit etiam Deo in vita contemplativa studendo, legendo, et dictando, quia predicavit in quadragesima. Ecce quomodo in vita prelativa servivit Deo. Ergo beatus ille servus.

Moraliter : quilibet vestrum est prelatus, habens vasallos, sc. sensus corporales, cogitationes cordis, et desideria ejusdem. Ideo modo in isto sancto tempore regamus et gubernemus ea diligenter, Deo serviendo in vita activa et contemplativa, juxta consilium Luc. I : « De manu inimicorum nostrorum liberati, sc. per penitentiam, modo facta confessione, serviamus illi in sanctitate et justitia », etc.

Digitized by Google

De beato Benedicto

(Canevas autographe)

Lucerna fulgoris illuminabit te.
(Luc. 11.)

Nota tria in beato Benedicto juxta Verba thematis propositi, que sunt :

Perfectio personalis, quia *lucerna*.

Conditio spiritualis, quia *lucerna fulgoris*.

Dilectio fraternalis, quia *illuminabit te*.

De primo in beato Benedicto quasi in lucerna fuit cera resolubilis, ejus caro penitentiis macerata. Bombix albus, ejus spiritus mundissimus. Lumen, gratia divina. Ps. 131 : « Illuc producam coram David, paravi lucernam Christo meo. »

De secundo nota, secundum Bernardum, lucere tantum vanum est ; ardere tantum parum est ; nec lucere nec ardere perversum est ; lucere autem et ardere perfectum est. Hoc erat in beato Benedicto ; ideo dicitur : « Lucerna fulgoris ». Joan. 5 : « Ille erat lucerna ardens et lucens. »

De tertio nota virtutes ejus, sc. quatuor morales et tres theologicales, quibus quasi radiis clarissimis nos illuminavit. Eph. 3 : « Mihi data est gratia in gentibus illuminare in Deo qui omnia creavit. ».

De sancto Benedicto

(Recueil imprimé)

Sicut lucerna fulgoris illuminabit te.
(Luc. 11, originaliter.)

Sub isto intellectu ego recipio istud verbum, sc. quod beatus Benedictus fuit sicut lucerna, etc. Pro cujus declaratione, et materie introductione, sciendum est quod in multis locis sacre scripture invenitur quod sancte persone quando habent claritatem fidei, et ardorem devotionis, et fervorem bone vite, dicuntur lucerne ardentes. Ratio est propter officium, et imitationem, vel similitudinem quam habent ad

Digitized by Google

lucernas ardentes. Unde non ob aliam causam accenduntur lucerne, nisi propter solis absentiam ne simus in tenebris, quamdiu enim sol est presens, non sunt necessarie lucerne ardentes. Ita etiam quamdiu ille sol, de quo dicitur virgini Marie : « Felix namque es sacra virgo Maria, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitie Christus Deus noster » ; quandiu hic sol fuit presens mundo, illuminavit mundum in fide catholica predicando, et calefecit in devotione, et fecit fructificare in penitentia, in meritis, etc., tunc enim non erant necessarie lucerne sanctarum personarum. Sed postquam sol occubuit, sc. per suam passionem et mortem, et recessit a mundo per ascensionem, fuerunt necessarie lucerne ardentes sanctarum personarum, sicut apostolorum, martyrum, doctorum, confessorum, virginum, continentium, et penitentium. Ecce ratio quare sancte persone dicuntur lucerne ardentes. Autoritas de hoc propria, quando Deus precepit Moysi ut faceret tabernaculum, inter alia precepta que sibi fecit fuit istud : « Facies lucernas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso. » (Exo. 25.) Nota quod hoc Verbum est Dei patris ad Filium, sed in figura dictum fuit Moysi, quando enim Dei Filius de hoc mundo recedere voluit, dixit sibi Deus pater : Facies lucernas septem.

Prima est sanctitas apostolorum ;
Secunda martyrum ;
Tertia doctorum ;
Quarta confessorum ;
Quinta virginum ;
Sexta continentium ;
Septima penitentium.

Supra candelabrum fidei christiane, in quo fundamento fundantur, nemo accendit lucernam, et in abscondito, sc. peccatorum ponit, neque sub modio, sc. erroris seu false opinionis, sed super candelabrum. (Luc. 11.) Nota, ut luceant ex adverso, sc. peccatorum mortalium, que sunt septem, per septem virtutes oppositas eis. Nam prima lucerna, sc. sanctitas apostolorum lucet ex adverso contra avariciam per voluntariam paupertatem, dicebat enim : « Habentes alimenta, non dicit delectamenta, et quibus tegamur, non dicit et quibus ornemur, his contenti simus. » (1 Tim. 6.) Sanctitas martyrum lucebat contra iram ex adverso, sc. per patientiam, quia canitur : « Non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia conservat patientiam. » Sanctitas doctorum lucebat contra acidiam per diligentiam in studendo, et predicando, de quibus dicitur psal. 72 : « Convertetur populus meus hic, sc. per doctores, et dies pleni invenientur in eis. » Sanctitas confessorum lucebat contra gulam lumine abstinentie, memores de verbo Christi dicentis : « Attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula

Digitized by Google

et ebrietate. » (Luc. 21.) Sanctitas virginum lucebat contra luxuriam nomine virginitatis et puritatis, quia nec cogitando, nec gaudendo, nec tangendo seu operando senserunt aliquam luxurie corruptionem. Unde de eis dicitur : « Non sunt coinquinati, virgines enim sunt. » (Apoc. 14.) Sanctitas continentium conjugatorum lucebat ex adverso contra invidiam, per dilectionem et charitatem ordinatam Dei et proximi, quibus dicit scriptura : « Deponentes omnem maliciam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias. » (1 Pet. 2.) Sanctitas penitentium lucet ex adverso contra superbiam lumine humilitatis penitentialis, tenentium consilium Petri : « Humiliamini, supple in penitentia, sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. » (1 Pet. 5.) Patet ergo ratione et autoritate quod sancte persone dicuntur lucerne ardentes, et de quolibet sancto potest dici quod erat lucerna ardens et lucens. (Joan. 5.) Cum ergo beatus Benedictus fuit persona sanctissima, de ipso dicit thema : Sicut lucerna fulgoris, etc.

Nota in beato Benedicto septem radios virtutum, tres virtutum theologicalium, et quatuor cardinalium, quibus illuminat mundum. Et radius

Primus est de prudentia intellectuali ;
Secundus de justitia generali ;
Tertius de temperantia corporali ;
Quartus de fortitudine virtuali ;
Quintus de fide cordiali ;
Sextus de spe supernali ;
Septimus de charitate integrali.
De istis quilibet vestrum potest recipere lumen pro vita sue anime.

Quantum ad primum, dico quod primus radius est, sc. de prudentia intellectuali, que in hoc consistit ut homo sciat eligere illud quod melius et utilius est. Istam prudentiam habuit beatus Benedictus, unde parentes ejus videntes ejus dispositionem, et ingenii subtilitatem, miserunt ad studium. Hoc debent respicere parentes, quando volunt mittere filios ad studium, ne sint rudes, grossi, sed subtiles. Beatus Benedictus a pueritia cor senile gerens, nulli voluptati animum dedit, ut dicit Gregorius qui ejus vitam scripsit in libro dialogorum. Cum autem fuisset missus ad studium Rome, et liberalibus disciplinis traditus, et multos studentes per abrupta vitiorum ire cerneret, quorum aliqui studebant in libro superbie, presumptionis, et vanitatis, aliqui in libro avaricie, ludi et falsitatis, aliqui in libro gule et voracitatis, alii in libro ire et malignitatis, et sic de aliis. O ! dixit beatus Benedictus : Melior est ignorantia cum bona conscientia, quam habere magnam scientiam et malam conscientiam, quia Deus non dat paradisum propter scientiam solum, sed dat

Digitized by Google

propter bonam conscientiam. Nocte igitur dimissis sociis secrete recessit, de quo dicit Gregorius laudans eum : Despectis studiis et relicta domo, sancte conversationis habitum quesivit.

Moraliter isto radio debent illuminari religiosi, clerici, seu laici, si habent malas societates, seu familiaritates in occasione peccandi, fugere et recedere ab eis, imo etiam a patre, et matre, et ab amicis, ut salvent animam suam. De ista materia dicebat Christus : « Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te », etc. (Mat. 3.) Oculus qui habet officium ostendendi, significat magistrum vel confessorem tuum. Si ergo scandalizat te, projice eum abs te. Manus que facit opera, signat procuratorem vel advocatum, si ergo scandalizat te, projice eum abs te. Pes qui sustinet corpus, signat dominum vel amicum, qui dat tibi vitam seu provisionem te sustinendo, si ergo te scandalizat, projice eum. Unde dicit David : « Disrumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum » (Psal. 2), sc., amoris vani, et familiaritatis prave. Quot sunt in hoc mundo, qui viverent sancte, nisi ex istis malis familiaritatibus retraherentur? Ideo fugere debent exemplo beati Benedicti, et ergo sicut lucerna fulgoris illuminabit te ex vita sua beatus Benedictus.

Quantum ad secundum, radius secundus est de justitia generali que secundum juristas et theologos est reddere unicuique quod suum est, nec recipere ab alio nisi quod justum est, ideo justitia dicitur equitas. Istam habuit beatus Benedictus, de qua laudatur a beato Gregorio : Cum enim fugeret de studio, et iret ad desertum, hospitatus fuit in domo cujusdam mulieris paupercule, que mutuo receperat capisterium ad purgandum triticum, et fregit in duas partes, et hoc videtur fuisse de terra, et incepit flere, non habens unde restitueret. Beatus autem Benedictus compatiens mulieri oravit forte sic ; Domine Deus omnipotens, qui duos populos, sc. Judaicum et gentilem adunasti ad unam sanctam fidem catholicam, aduna istas duas partes mulieri flenti. Et sic redintegratum capisterium reddidit mulieri. Hoc miraculum videntes incole, pre admiratione in ingressu ecclesie ipsum capisterium suspenderunt. Notate hic quanta erat jam sua sanctitas, cum tamen esset valde juvenis, in quo ostenditur virtus justitie. Oravit etenim pro integratione, ut illa mulier posset restituere quod mutuo receperat.

Moraliter isto radio luminis illuminantur illi qui receperunt aliquid de usura. Item illi qui retinent aliquid de mortuis, non complendo testamenta. Item si aliquid retinetis de ecclesia, ut decimas et primitias, quia sacrilegium est. Item si de rapina vel solidata servorum aliquid retinetis. Item si damnificastis aliquem, solvatis. Item si impedivistis justitiam false jurando. Item si vestro consilio obtulistis alicui officium, beneficium, sive legatum, tenemini ad restitutionem, recipiatis istud lumen, alias ira

Digitized by Google

Dei est super domum vestram. Ideo Apostolus : « Reddite omnibus debita, cui tributum tributum », etc. (Rom. 13.)

Quantum ad tertium, tertius radius est, sc. de temperantia corporali, per quam in deliciis hujus mundi homo recipit mensuram. Istam habuit beatus Benedietus. Nam post dictum miraculum de capisterio, omnes gentes cupiebant ipsum videre, ut tangit Gregorius : O ! dixit ipse Benedictus, ego fugio unum, et possem cadere in aliud. Dicit Gregorius : beatus Benedictus vero laudem fugiens deserti secessum petiit, quo dum pergeret, monachus quidam sanctus et senex, Romanus nomine, ipsum reperiens, et desiderium ejus cognoscens, habitum ei sancte conversationis tradidit, forte habitum heremitarum ; et promisit sibi dare provisionem panis, qui cum cistella quotidie cum chorda sibi submittebat de cella sua alta panem et aquam, et raro legumina ; et tribus annis ibi in spelunca soli monacho predicto Romano cognitus mansit, comedebat continue panem et aquam, vel forte raro legumina, etc. Solum habebat pellem et ossa. Post tres autem annos in die pasche quidam clericus bone vite, qui jejunaverat per quadragesimam, paraverat sibi bonum prandium. Cui Dominus apparens dixit : Tu tibi delicias preparas, et servus meus in alio loco cruciatur fame. Qui protinus surgens, cum alimentis quesivit eum, et in specu reperit. Quem cum beatus Benedictus vidisset, cogitavit quod esset diabolus vel illusio. Sed sacerdos dixit sibi quomodo erat missus a Deo, etc., dixit : Sumamus cibum, quia hodie pascha Domini est. Vir autem Domini hoc ignorabat, quia non habebat librum nec breviarium.

Moraliter habemus exemplum penitentie, si non fecerimus ita magnam penitentiam ut Benedictus, tamen ad minus servemus jejunia ecclesie, et in die pasche sacerdos dabit nobis prandium, sc. agnum paschalem, filium illius ovis beate virginis Marie. Ideo in isto sancto tempore cantat ecclesia : Paradisi portas aperuit nobis jejunii tempus, suscipiamus illud orantes et deprecantes, ut in die resurrectionis cum Domino gloriemur. — Ecce sicut lucerna fulgoris, etc.

Quantum ad quartum, quartus radius est, sc. de fortitudine virtuali, et non de fortitudine bestiali. Fortitudo enim secundum quod est virtus moralis, et donum Spiritus Sancti, est fortitudo resistendi inclinationibus carnis, occasionibus mundi, et tentationibus diaboli. Istam habuit beatus Benedictus. Cum enim diu vixisset in illa penitentia et abstinentia, quadam die tentator adfuit, nam nigra avis quasi merula cepit vultui ejus importune insistere, ut musca asinina, que licet ad signum crucis recessisset, tamen mirabilis et inusitata tentatio carnis secuta est, invisibiliter ipsum tentando. Cepit enim cogitare de quadam muliere gib-

Digitized by Google

bosa, quam viderat in civitate ; et intantum tentatio augmentabatur, quod volebat dimittere heremum, et redire ad mundum ad inquirendam dictam gibbosam. Quid fecisset si fuisset pulchra ? Sed ecce fortitudo, quia statim post hoc, nudum se projecit in spinas et urticas, ita quod fuit totus cruentatus et sanguinolentus. Et dicit Gregorius quod per vulnera cutis eduxit vulnus mentis, nec post unquam tale aliquid sensit. Ecce fortitudo major quam si decem gigantes vicisset. — Moraliter habemus hic exemplum resistendi inimico nostro diabolo, quia nihil potest. Debilis est enim hostis qui non potest vincere nisi volentem, ut dicit Gregorius. Propter hoc dicit Augustinus : Ideo aliquid est peccatum, quia voluntarium. Nisi eum esset voluntarium, non esset peccatum. Estote ergo fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente, et accipietis regnum eternum cum beato Benedicto.

Quantum ad quintum, radius quintus est prima virtus theologicalis, sc. fides cordialis, et dicuntur virtutes theologicales, a theos, quod est Deus, quia immediate respiciunt Deum pro objecto, quia fides est credere Deo, spes sperare in Deo, charitas diligere Deum propter se, et proximum propter Deum. Secus de virtutibus moralibus, que habent proximum pro objecto seu creaturas. Istam virtutem fidei excellenter habuit beatus Benedictus ad illa que sunt fidei christiane, sed singulariter ad crucem Domini nostri Jesu Christi, et ad ejus nomen, ut patet ex ejus legenda, ubi sic habetur : Cum autem celebre ejus nomen et fama haberetur, quia per illum sacerdotem et per pastores fama sue sanctitatis fuit divulgata, congregatio cujusdam monasterii ad eum venit, ut sibi preesset petierunt, quia abbas eorum erat mortuus, et quia ipsi erant male vite, et male fame, et ribaldi, gentes nolebant eis facere eleemosynas. Et imo sub mantello sanctitatis sancti Benedicti volentes cooperire suam malam vitam, et per eum famam recuperare, elegerunt ipsum in abbatem. Cui licet diu displicuisset, dicenti suos et illorum mores convenire non posse, tamen virtus assensum dedit, motus enim fuit conscientia, quia forte illi emendarent vitam ; et ivit cum eis, et visa regula eorum, et constitutionibus, invenit quod non debebant comedere carnes, nec habere aliquid proprium, et precepit servare regulam et constitutiones, nolens quod loquerentur cum mulieribus, et hujusmodi. Et monachi hoc videntes, quolibet die tenebant sua consilia quid facerent sibi ut recederet ab eis. Et dixit unus : Ego scio quid poterimus facere, demus sibi vinum infectum ad bibendum, et omnes consenserunt, et ita fecerunt, et in collatione dederunt sibi vinum infectum. Cum autem beatus Benedictus juxta morem benedixisset vinum signo crucis, et cyphus frangebatur in quatuor partes, quia ubi fit signum vite, non potest nocere cibus mortis. Et intelligens vir Dei quod de morte sua

Digitized by Google

tractassent, allocutus est eos dicens: Misereatur vestri omnipotens Deus, quare ista facere voluistis? Nunquid non dixi vobis, quia vestri meis moribus non convenirent? Et recessit ab eis, rediens ad solitudinem. Ecce fidem quam habuit ad crucem qua armavit se, alias infectus mortuus fuisset. Ita debetis vos facere, quando debetis aliquid comedere et bibere, signetis vos, etc. Ideo ecclesia cantat: « Salve crux sancta, salve mundi gloria, vera spes nostra, vera ferens gaudia. Signum salutis salus in periculis, vitale lignum, vitam ferens omnium. »

Quantum ad sextum radium, sextus radius est de spe supernali, que sequitur ad fidem. Spes enim secundum quod est virtus theologicalis, et quando persona non desperat de misericordia Dei, quantumcunque sit peccatrix, sed sperat dicendo: Utar medicinis a Deo ordinatis contra plagas peccatorum et infirmitates, et sperat non solum salvare se, sed etiam multos alios. Hanc habuit beatus Benedictus, quando enim fama sanctitatis sue fuit extensa per mundum, ceperunt nobiles filios suos ei dare nutriendos omnipotenti Deo. Item clerici conveniebant ad eum ut possent salvari, intantum quod tot sunt ab eo congregati ut XII monasteria constitueret. Credatis quod de licentia pape. Et ita placuit Deo, quia cum non haberent aquam in quodam monasterio illorum, imo distaret, monachi de mandato Benedicti foderunt in rupe, et statim fons aque dulcissime prorupit, qui adhuc durat. Item tempore famis sperabant in Domino, et abundabant, ita quod ipsi dabant eleemosynas. Isto lumine debetis illuminari, sperare in Deo, non in divitiis, nec in divinis, etc., nec in persona vestra, nec in scientia, nec in fortitudine. Unde dicit apostolus: « Divitibus hujus seculi precipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui prestat nobis omnia abunde. » (I Tim. 6.) Ideo David ait: « Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra, Deus adjutor noster in eternum. » (Psal. 61.)

Quantum ad septimum, septimus radius est de charitate integrali, sc. Dei et proximi. Unde apostolus: « Major autem horum est charitas. » (I Cor. 13.) Charitas autem integralis est diligere Deum super omnia, et proximum sicut se propter Deum. Istam habuit beatus Benedictus. Postquam enim habuit magnam famam sanctitatis, ex charitate motus dixit intra se: Modo potes predicare, et proficere, quia predicare cum mala fama est sicut scindere gladio non acuto, sed quando predicator habet bonam famam, tunc facit fructum. Ideo dicit Gregorius: Sancti predicatores laudari appetunt, ut reverenter audiantur, reverenter audiri desiderant, ut majorem fructum faciant. Ideo beatus Benedictus famosus de vita et de scientia non acquisita, sed habuit scientiam infu-

Digitized by Google

sam, predicavit primo in castro montis Cassini, et convertit eos ab infidelitate, fregerunt idola in templo Apollinis, oraculum beati Martini fecit. Ecce charitatem ad Deum, quia ut philocaptus de Deo semper cogitabat de Deo. — Dicatur illud singulare : Cum de nocte ad portam camere orasset Deum, ostendit sibi totum mundum, et omnes creaturas. Beatus Thomas querit utrum beatus Benedictus tunc viderit divinam eesentiam. Dicit quod non, sed vidit omnes creaturas mundi non solum in genere seu specie, sed etiam in individuis, scivit tunc plus de philosophia quam Aristoteles vel Ptolemeus, vel aliquis philosophorum. Cogitate ejus ardorem charitatis, propter quem Deus revelavit sibi diem obitus, sepulturam aperiri fecit ut Joannes evangelista, et sexta die portatus ad ecclesiam inter discipulos mane orando, spiritum efflavit. Viderunt autem ipso die duo monachi viam ab ejus cella in celum tendentem, stratam paliis, et coruscantem innumeris lampadibus. Et vir clarus desuper assistens ait illis : Hec est via qua dilectus Dei Benedictus celum ascendit. — Ergo sicut lucerna fulgoris, etc.

Digitized by Google

De Incarnatione Filii Dei

(Recueil imprimé)*

Ecce, ecce, ecce.
(Verbum hujus thematis colligitur ex evangelio hodierne festivitatis, quod originaliter habetur.) (Luc. I.)

Solennitas hodierna tota est sanctissime incarnationis Filii Dei in utero Virginali, et de ista erit sermo.

Sed ut sit in Filii Dei, et ejus genitricis honorem, et nostrarum animarum consolationem, humiliter presentemus Virgini salutationem, que hodie fuit dicta per angelum Gabrielem, etc.— Credo quod multi mirantur ubi habetur istud thema, quia videtur quod non sit in evangelio nec in epistola. Dico quod colligitur ex evangelio, in quo ter dicitur ecce, non sine magnis secretis et transcendentibus. Primo quando angelus nunciavit Virgini quod esset mater Dei, dixit : Ecce concipies in utero, et paries filium. Secundo quando denunciavit Virgini quod Elizabeth conceperat dixit : Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. Tertio quando finaliter Virgo consentiens dixit : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Ecce unde colligitur propositum thema. Et est dictio demonstrativa. Dicit enim Grammaticus : Da demonstrandi, ut en, ecce. Et est excitativa, dicitur enim ter ecce, quia tria magna, alta, et transcendentia sunt acute et astute attendenda et contemplanda in ista benedicta incarnatione, sc. :

Divinalis benignitas ;
Humanalis utilitas ;
Virginalis humilitas.

Ecce sc. aperiatis aures cordis ad contemplandum cum magna devotione et affectione ista tria predicta.— Dico primo quod est acute contemplanda ex ista benedicta incarnatione divinalis benignitas, quam Deus nobis ostendit in ista sancta incarnatione. Quod Deus amore nostri factus sit homo, hoc est plusquam si aurum fieret lutum, vel celum plumbum, et hujusmodi. Creator factus est creatura, rex servitor, et Dominus servus, dives pauper, omnipotens debilis, eternus tempora-

* Le recueil des canevas autographes ne fait pas mention de ce sermon, non plus que du suivant. En revanche, le ms de Toulouse les contient tous les deux, identiques au recueil imprimé, sauf que le premier porte comme titre : *De Annuntiatione Dominica.*

Digitized by Google

lis, infinitus amore nostri factus est finitus, et parvus ut formica in humanitate, immensus circunscriptus in utero virginali, impassibilis factus est passibilis. Nullus intellectus potest cogitare nec comprehenre istam benignitatem. Totum hoc fecit ad adjuvandum nostram fragilitatem. Ecce divinalis benignitas.

Ex ista ratione quasi omnes prophetie loquentes de ista materia incipiunt per ecce. Unde David : « Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est anime mee. » (Psal. 53.) De isto adjutorio nota parabolam de illo magno rege, habente vineam juxta suum palatium, ad quam misit cultores, promittens eis magnum salarium si eadem die excolerent, alias quod nihil haberent, propter quod dicti cultores laborabant diligenter, tamen hora vesperarum habebant facere tantum quantum fecerant. Videns filius regis per fenestram quod illi non poterant perficere, voluit eos juvare, et intravit cameram, et se dissimulando recepit habitum cultoris, et juvit eos, et perfecerunt, et finaliter illi habuerunt salarium. Nonne videtur vobis magna benignitas in filio regis primogenito tantum humiliare se, ut servitores haberent lucrum eis promissum ? Talis fuit humilitas Filii Dei. Vinea regis est iste mundus : « Vinea enim Domini exercituum domus Israel est » (Esa. 5), ad quam misit cultores, sc. patriarchas, et prophetas, promittens salarium si ante solis occasum, id est mortem benefacerent, intrarent regnum celorum. Videns Filius Dei Jesus Christus per fenestram sue scientie quod non poterant acquirere lucrum glorie, quia ex morte Christi et ejus merito opera nostra sunt meritoria, et ante mortem Christi nullus quantumcunque sanctus poterat ingredi celum, erat enim porta clausa. Ideo filius regis intravit cameram uteri virginalis, sc. hodie, ubi indutus fuit veste illius rustici Ade, ut eos juvaret, qui usque ad mortem inclusive continue laboravit. Ecce quare dicit : Ecce enim Deus adjuvat me, adjutorio gratie in presenti, et Dominus susceptor est anime mee, sc. in gloria eterna. Item Esaias dans signum de ista incarnatione dicit, incipiens per ecce : « Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emanuel. » (Esai. 7.) Nota : Ecce virgo concipiet. Licet enim de aliis mulieribus posset carnem assumere, tamen de virgine assumpsit ; et pariet filium, non patrem, quia nunquam fuit homo, nec est, nec erit. Item nec Spiritum Sanctum, sed pariet filium. Magis enim erat conveniens quod filius incarnaretur, si volumus attendere ad finem hujus incarnationis, qui est ut peccatores et inimici fierent Dei amici, et Filii Dei, et heredes sive coheredes regni.

Hanc rationem tangit apostolus dicens : « Quos prescivit et predestinavit... in multis fratribus. » (Rom. 8.) Nota : *Emanuel. Ema*, id est nobiscum, *el* id est Deus, ideo Emanuel, id est nobiscum Deus, quia alias nisi fuisset Deus, nec posset seipsum salvum facere. Ideo inter alias

Digitized by Google

prophetias istam maxime contemplamur. Et quando angelus eam salutavit, istam prophetiam legebat ut ipsa Virgo revelavit Elizabeth. Cogitabat tunc Virgo intra se : O Domine, et qualis erit ista virgo, que sit digna concipere Filium Dei, esse mater Dei, et regina celi ? Et rogabat Dominum ne moreretur quousque illam videret, et posset illi servire dicens : Domine, conservetis mihi visum ut eam videam, auditum ut eam audiam, os ut sibi possim loqui, manus ut sibi serviam. O benedicta erit illa virgo ! Et flebat, nec poterat de se cogitare quod ipsa esset illa ex humilitate. Et cum sic cogitaret, subito Gabriel archangelus intravit sine portarum apertione. Et totus rutilans et pulcher cum magna reverentia virginem salutavit dicens : « Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. » Que cum audisset, turbata est in sermone ejus, non de angeli visione, quia dicit Hieronymus quod assueta erat videre angelos, sed turbata est in sermone ejus. Ante adventum angeli, virgo cogitabat de illa virgine, et de tanta gratia. Et statim angelus eam salutavit dicens : Ave gratia plena, quasi diceret : tu es illa virgo plena gratia.

Secundo cogitabat de tanta ejus propinquitate cum Deo, ut esset mater ejus. Ideo angelus dixit sibi : Dominus tecum. sc. in majori conjunctione quam cum aliis creaturis. — Tertio cogitabat de excellentia illius virginis super alias mulieres, ideo dixit sibi angelus : Benedicta tu in mulieribus. Et turbata est in sermone ejus. Si angelus salutasset eam modo consueto, ut bone persone salutant, non fuisset turbata, sed quando audivit istam salutationem. Hic habetis exemplum vos mulieres juvenes, si aliquis salutat vos modo consueto, non oportet vos turbari sed resalutare modo consueto, sed si modo inusitato vos salutat aliquis stultus, non oportet respondere nisi dicendo : Quid tu mecum habes ? etc., quia talis salutatio iniqua est, sc. quando dicitur : Deus vos salutet flos lilii, vel flos de paradiso, vel angelus gratiosus, vos estis mea vita, etc. Si virgo turbata fuit, sc. de angeli inusitata salutatione, cum tamen cum angelo non poterat peccare, quanto magis vos debetis turbari de modo inusitato hominum stultorum ? Et angelus consolans eam dixit : Ne timeas Maria, quia in ista salutatione non est peccatum. Invenisti enim gratiam apud Dominum, super omnes creaturas, supple. Et virgine consolata angelus sibi explicavit ambasiatam suam, incipiens per ecce, dicens : Ecce concipies in utero... Regni ejus non erit finis.

Ecce hic tota ambasiata, que habet octo clausulas secreta fidei Christiane continentes, que angelus sibi tunc declaravit. Primum ibi : Ecce concipies in utero.— Diceret aliquis : Quid opus est dicere in utero cum alibi non concipiatur ? Sicut quid opus dicere : vos videbitis oculis, cum per alias partes homo non videat ? Respondeo, quod non sine causa dixit angelus : Ecce concipies in utero, quia virgo Maria jam ante adven-

Digitized by Google

tum angeli conceperat Deum in mente contemplando illam prophetiam, sed angelus declarans sibi maternalem conceptionem, dixit: Concipies in utero, non solum in mente, in qua jam concepisti, sed in utero, declarans sibi modum conceptionis, ut avellana concepit granum sine fractura, etc. — Si dicatur ab aliquo: Hoc facit natura. Jam bene est, bestia. Et nunquid potest plus Deus qui virginem gravidavit? Et quando virgo Maria intellexit hoc, cogitate quale gaudium habuit.

Secundo dixit: « Et paries filium.» Ecce nativitas. Nam paries filium, non patrem, quia nunquam pater nec est nec erit homo, nec Spiritum Sanctum. — Sed diceret aliquis: Quomodo est possibile cum Pater, Filius et Spiritus Sanctus sint unum in essentia indivisibili, quod Filius assumpsit humanitatem, et factus sit homo, cum sint una entitas? — Declaretur per similitudinem de sole uno, in quo potest considerari pater generans, sc. substantia, et filius genitus, sc. radius, et spiritus spiratus, sc. calor, et tamen non est nisi unus sol, et transeunte radio per fenestram vitream, rubeam, vel alterius coloris, radius recipit illum colorem, et non substantia solis, nec calor. Sic fenestra clarior crystallo erit virgo Maria. Ideo cantat Ecclesia: « Celi fenestra facta es. » Et per eam transivit radius solis eterni, Filius Dei, intrans ad illuminandum domum hujus mundi sine fenestre fractione, imo clarior remansit. Et quando angelus dixit sibi: Paries filium, virgo intellexit quod esset mater non Patris, nec Spiritus Sancti, sed Filii.

Tertia clausula ibi: Vocabis nomen ejus Jesum. Ecce passionem, quia Jesus idem est quod salvator, ex cujus passione salvati sumus. Unde ait Gregorius: « Nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset.» Et quando Virgo audivit ab angelo hoc nomen Jesus, credo quod inclinavit se. Ratio, quia antiqui prophete habebant ipsum in magna reverentia. Esa. 26: « Domine, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio anime. Anima mea desideravit te in nocte. » Ideo laudabilis consuetudo est quando nominatur Jesus, inclinari. Si predicantes quando predicant coram papa inclinantur quando nominant eum, quanto magis quando summus papa nominatur?

Quartum: Hic erit magnus. Ecce descensionem ad inferos, quia sicut erat magnus in celo ante incarnationem, debuit etiam ostendi magnus in terra coram hominibus per miracula, voluit etiam ostendere suam magnitudinem in inferno contra ipsum litigando, et sanctos patres inde educendo. — Quintum ibi: Et filius altissimi vocabitur. Ecce resurrectionem. Dicunt philosophi quod diffinitio hominis habet unum genus et duas differentias, quia homo est animal rationale mortale. Ante passionem autem Christus erat rationalis et mortalis, ideo poterat vocari filius hominis, sed post resurrectionem tantum debet vocari filius altissimi, quia immortalis et impassibilis. — Sextum ibi: et dabit illi

Digitized by Google

Dominus Deus sedem David patris ejus. Ecce ejus mirabilem ascensionem, quia sicut cathedra David fuit altior per excellentiam et potentiam Domini aliis regibus, sic Christus in sua ascensione fuit collocatus in cathedra glorie ad regnandum super omnes creaturas. — Septimum ibi : Et regnabit in domo Jacob in eternum. Ecce sacramentum eucharistie. Ecce ecclesia dicitur domus Jacob, in qua est luctandum contra diabolum per humilitatem. Hoc est quantum ad hominum cognitionem, qui nesciunt ultimum diem mundi. Prima dies in qua nulla missa dicetur in hoc mundo, illa dies erit ultima hujus mundi. Hoc habetur ex illo textu Christi : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. » (Math. ult.) Ideo ait David : « Dominus in templo sancto suo, Dominus in celo sedes ejus. » — Octavum ibi : Et regni ejus, sive glorie, sive pene, non erit finis. Ecce judicium generale. Regnabit enim super malos et condemnatos rigore justitie, quia nunquam a penis liberabuntur. Super bonos, et beatos regnabit dulcore misericordie in celo sine fine. De ista clausula prophetavit David dicens : « Regnum tuum... in omni generatione, sc. salvandorum, et generationem, sc. damnandorum. » (Psal. 144.) Nunc habemus primum ecce hujus ambasiate.

Dico secundo quod hic est notanda humanalis utilitas. Non credatis quod pro sui utilitate et bono sit incarnatus, quia bonorum nostrorum non indiget, ut dicit David, sed pro utilitate nostra, quia omne bonum radicaliter procedit a Filii Dei incarnatione, sicut flores et fructus arboris a radice oriuntur. Sic totum bonum et maxime fidei et obedientie a radice incarnationis procedit, quia isto supposito alii articuli fidei levis credentie sunt, quia non est mirum si natus est de muliere, ex quo est homo. Item credis quod fecit miracula : dicatur practice, neque mirum ex quo est Deus. Idem potest dici de omnibus articulis fidei ad Christi humanitatem vel divinitatem pertinentibus. Patet ergo quod incarnatio Christi est radix sive janua omnium aliorum articulorum fidei, propter hoc dicebat Christus : « Creditis in Deum, et in me credite », sc. quantum ad humanitatem. (Joan. 14.)

Item in benedicta Filii Dei incarnatione est totum bonum de obedientia supernali. Antiquitus enim non fuit doctor qui non erraverit in via, quem possemus sequi, quia nec Moyses, quia peccavit, nec alios, nisi solum Jesum, qui hodie ut possimus ipsum sequi, recepit humanitatem ut esset visibilis. Unde Aug. ait : « Deus sequendus erat, qui videri non poterat, homo sequendus non erat, qui videri poterat. » Ut ergo homini exhiberetur qui ab homine videretur, et quem homo sequeretur, propterea Deus factus est homo. Item de utilitate et bono nostre redemptionis in benedicta incarnatione totum principium nostre

Digitized by Google

redemptionis fuit positum in bursa uteri virginalis, et in passione precium fuit solutum. Unde ait David : « Redemptionem misit Dominus populo suo. » (Psal. 110.) Idem ex utilitate et bono nostre salvationis, que ex incarnatione procedit, fit restauratio in celo et in terra. Ratio est, sicut enim de statera, quando una pars plus humiliatur, alia magis elevatur, ita Filius Dei humiliavit se ut nos exaltaret, ut dicit Gre. : « Deus qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede letitiam », sc. eternam, ut numerus angelorum reparetur. Et hoc significavit angelus virgini, quando dixit sibi secundum ecce : « Ecce Elizabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua. » Ad literam, dicunt glosse et postille quod hoc dixit angelus ad confortandum virginem. Sed spiritualiter intelligitur sic. *Elizabeth* secundum hebraicam interpretationem ex tribus nominibus hebraicis est compositum : *El,* id est Deus ; *I*, id est meus ; *Zabeth,* id est septima. *Elizabeth* id est Dei mei septima. Ista Dei mei septima est natura humana. A principio creavit Deus terram cum arboribus, aquam cum piscibus, aerem cum proprietatibus, ignem cum qualitatibus, celum cum planetis, naturam angelicam. Septimo formavit naturam humanam. Ecce Dei mei septima. Ista toto tempore vite sue fuit sterilis, quia non potuit concipere meritum pro gloria obtinenda usque modo in senectute.

Nota, quod septem sunt etates mundi vel hominis. Prima est infantia, ista fuit ab Adam usque ad Noe. Secunda pueritia, ista fuit a Noe usque ab Abraam. Tertia est adolescentia, ista fuit a Moyse usque ad David. Quinta est virilitas, ista fuit a David usque ad transmigrationem Babylonis. Sexta est senectus, a transmigratione usque ad Christi incarnationem. Septima est decrepitus, et ista durabit a Christo usque ad finem mundi. Et in ista Elizabeth, id est natura humana concepit meritum pro gloria obtinenda per fidem, spem, et charitatem. Ecce quare dicitur : « Ecce Elizabeth cognata tua », etc. Item Esaias ait : « A facie tua Domine concepimus... spiritum salutis. » (Esai. 26.)

Dico tertio quod est hic notanda virginalis humilitas, cum dicitur tertium ecce. Postquam enim angelus proposuit sibi suam ambasiatam, quod esset mater Dei, regina celi, etc., ipsa cum maxima humilitate respondit dicens : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. » Cogitate quod flexis genibus et cum lachrymis pre gaudio dixit ista verba : Ecce ancilla Domini. Notate hic devote quando virgo Maria dixit primum verbum, sc. ecce, non statim fuit gravida, nec mater Dei effecta, nec in secundo, nec in tertio, etc., sed in ultimo, sc. tuum. Et tunc statim virgo adoravit Deum in utero suo, quem non videbat oculis sui corporis, sed mentis. Sic est etiam in consecratione hostie in missa, non in primo verbo, nec in secundo est ibi corpus Christi, sed in ultimo,

Digitized by Google

et tunc sacerdos adorat hostiam gravidam, et tunc vos debetis adorare, et non ante, sic virgo Maria fecit. Bene est ergo hic contemplanda virginalis humilitas. Angelus vocabat ipsam dominam, matrem Dei, et reginam celi, et ipsa vocavit se ancillam : Ecce ancilla Domini, etc.

Recte fuit figurata humilitas Virginis per illam sanctam mulierem, que audita ambasiata regis David, que etiam nolebat in uxorem duci ut esset regina, sed dixit : « Ecce famula tua sit in ancillam ut lavet pedes servorum Domini mei. » (Reg. 25.) Abigail interpretatnr patris mei exultatio. Ecce virgo Maria que letificavit patrem suum Adam tristem et flentem ex suo peccato, eo quod occasione sui tot damnarentur. Ideo non modica exultatio fuit sibi revelatio hujus virginis in maledictione serpentis, quando Deus dixit diabolo in serpente existenti : « Inimicitias ponam inter te et mulierem... Ipsa conteret caput tuum. » (Genes. 3.) Ecce Abigail, id est patris mei exultatio, quam Christus rex voluit in reginam celi, que respondit : Ecce famula tua sit in ancillam ut lavet pedes servorum Domini mei. Ipsa enim virgo lavat pedes. Pedes enim sunt ultime voluntates corporis humani, etiam et mystici. Caput mundi fuit status patriarcharum, collum prophetarum, venter apostolorum, pectus et brachia martyrum, crura doctorum, tibie confessorum, finis mundi est tempus presens : « Nos sumus in quos fines seculorum devenerunt. » (1 Corinth. 10.) Et virgo lavat nos ab immundiciis peccatorum nostrorum, et maculis, quia continue orat pro nobis, quia alias jam fuissemus destructi. Ideo cantat Ecclesia sibi : « Monstra te esse matrem ; sumat per te preces qui pro nobis natus tulit esse tuus. »

Digitized by Google

De sancto Ambrosio

(Recueil imprimé)

Inextinguibile est lumen illius.
(Sap. 7.)

Pro aliquali declaratione hujus Verbi, et veniendo ad materiam predicandam, sciendum quod gratia divina existens in aliqua persona in hac vita potest considerari dupliciter: Primo respectu conditionis humane, et sic gratia Dei est variabilis et mutabilis, et potest deperdi. Ratio, quia conditio humana ex libero arbitrio est mutabilis ut gallus in campanili. Ideo gratia potest deperdi, vel per inclinationes carnis, vel per occasiones mundi, vel per tentationes diaboli. Ideo gratia spiritualis in creatura in hoc mundo non est ita firma quin possit mutari et deperdi. Ideo semper debet esse homo cum timore, quantumcunque homo sit sanctus et bonus, quia potest effici malus, nec peccatores debent desperare, quia possunt redire ad lumen gratie. Ideo dicit apostolus aliquibus qui prius fuerant mali : « Eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate. » (Ephe. 5.) Illi autem qui habent lumen gratie videant ne extinguatur vento superbie, vel luto avaritie vel luxurie et sic de aliis. Ideo Christus : « Vide ergo ne lumen quod in te est tenebre sint. » (Luc. 1.) Vel possumus loqui de gratia Dei respectu dispositionis divinalis que est impermutabilis, quia quod Deus ordinat, disponit, et predestinat, impermutabiliter ita venit. Ergo Gregorius in quadam oratione dicit : « Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur. » Modo loquendo de gratia Dei in beato Ambrosio respectu divine dispositionis dicitur : « Inextinguibile est lumen illius. » Patet thema.

Ad comprehendendum suam historiam in certis punctis invenio quod habuit quinque lumina.

Primo lumen de celesti devotione ;
Secundo lumen de intellectuali cognitione ;
Tertio lumen de spirituali prelatione ;
Quarto lumen de judiciali correctione ;
Quinto lumen de integrali perfectione.
Et de quolibet dicit thema : « Inextinguibile est lumen illius. »

Dico primo quod beatus Ambrosius habuit lumen de celesti devotione. Devotio enim nihil aliud est nisi quedam celestis illustratio in

Digitized by Google

corde hominis, qua dupliciter afficitur, et cum letitia operatur ea que Dei sunt. Nam aspectus rei dilecte movet affectum. Ideo David dicit: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti letitiam in corde meo. » (Psalm. 4.) Istud lumen habuit beatus Ambrosius, quia in vita sua habuit magnam devotionem et cum letitia magna servivit Deo. Signum erat quod lumen devotionis erat intus.

Dicatur cum adhuc esset duorum annorum, et dormiret, examen apum intravit os ejus, et exibant, ac si intrarent et exirent de alveario. Quod videns ejus pater, dixit: Aliquid magni erit in infantulo isto si vixerit. Apes autem faciunt mel, et figurabant dulcedinem devotionis ejus, et quia exibant de ore ejus, figurabant suam predicationem futuram. Nam quando fuit magnus in scientia et etate, predicavit fervide, cujus predicatio erat circa duo principaliter: Primo ut Deus cognosceretur. Secundo ut peccata vitarentur. Unde cum semel extirparet quoddam peccatum in quo quidam erat valde culpabilis, et sicut debuit corrigi, ipse fuit valde indignatus contra beatum Ambrosium, qui invocavit demones, dicens eis quod facerent de eo quicquid vellent, solum quod Ambrosium sibi interficerent, vel graviter verberarent, qui promiserunt se facturos. Cum autem venissent ad domum beati Ambrosii, in nullo potuerunt sibi nocere dicentes, circa ejus domum esse murum igneum, nec poterant ad eum accedere. Ecce quomodo Deus manifestavit suam devotionem.

Dico secundo quod habuit lumen de intellectuali cognitione, sc. habere scientiam non solum ex studio, sed etiam ex infusione. Scientia enim naturalis que habetur ex studio partim est sensualis, sc. quantum ad principium, et partim intellectualis, sc. quantum ad finem, quia nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu, ut vult Aristoteles. Sed scientia infusa, seu cognitio supernaturalis, tota est intellectualis, quia non pertinet ad portas sensuum, sed a fonte divini luminis procedens intrat intellectum per divinam potentiam. Unde David: « Apud te est fons vite et in lumine tuo videbimus lumen. » (Psal. 35.) Istud lumen habuit beatus Ambrosius. Primo enim habuit scientiam acquisitam.

Dicatur quomodo pater ejus prefectus Rome eum tradidit liberalibus artibus instruendum, quando autem studuit theologiam, mirabiliter se habuit, intantum quod habuit spiritum prophetie. Dicatur cum puero offerret manum ad osculandum, et soror noluit osculari, respondit Quando ero episcopus osculabimini, etc. Quidam Ambrosio fecit magnum festum et convivium, qui volens dare aliquam bonam doctrinam hospiti, interrogavit divitem de ejus vita, qui respondit quod erat beatior hujus mundi, ditissimus in bonis temporalibus, in filiis, etc., omnia sibi succedebant prospere, etc. Dicatur quomodo beatus Ambrosius dix

Digitized by Google

ad suos : Vadamus, vadamus, quia ira Dei est super domum istam, et statim tota illa domus submergebatur. Quod videns beatus Ambrosius cepit predicare servitoribus suis de timore Dei. Nota bene hic legendam. Ecce quomodo habuit spiritum prophetie.

Cogitate hic quando Deus dat adversitatem, signum est quod Deus ut pater corrigit filium. Malum signum est et reprobationis, quando omnia prospere succedunt. Ideo Christus ait Apoc. 3 : « Ego quos amo arguo et castigo. » Quot sunt in mundo qui in prosperis non cognoscunt Deum, et in adversis redeunt ! Idem de mulieribus. O benedicta adversitas que gentes trahit ad Deum ! Ideo Thom. 3 : « Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te. » Nota, cum iratus fueris secundum judicium gentium, que dicunt Deum iratum contra illum qui patitur adversitates. Sed non est ita, sed sicut medicus dans cauteria non reputatur iratus contra infirmum, nisi a fatuis, sic nec Deus dans adversitates.

Dico tertio quod habuit lumen, sc. de spirituali prelatione, prelatio enim spiritualis dicitur lumen : « Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. » (Luc. 11.) Hic comparatur prelatio lumini. Prelatus est lucerna, qui quando per Deum est electus, quando, sc. ipsemet non tractavit, nec per potentiam est intrusus, tunc est lucerna accensa, et stat in candelabro dignitatis ut lumen videatur. Ita fuit de beato Ambrosio qui non fuit intrusus, sed ipsum Deus elegit.

Dicatur quomodo beatus Ambrosius erat in civitate Mediolani, et mortuo episcopo civitatis fuit pro episcopi electione, quia est magnus episcopatus. Et cum essent in ecclesia ut introducerent unum episcopum, unus voluit habere illum, alii alium. Cum autem beatus Ambrosius causa sedande seditionis, que erat in populo, perrexisset ad ecclesiam, subito fertur vox infantis insonuisse « Ambrosium episcopum. » Ad quam vocem totus populus clamavit « Ambrosium episcopum ». Dicatur quid fecit, ut evaderet ne esset episcopus. Primo cum minis, minabatur enim graves populo punitiones, etc., nec sic potuit populum a proposito revocare, tunc cogitavit intra se dicens: Isti credunt quod ego sum bonus homo, etc. Ideo introduxit ad se meretrices publicas, non ut peccaret cum eis, sed ut evaderet, quia semper fuit virgo, ut testatur Hieronymus ; nec propter hoc populus cessavit, imo clamando dixerunt: Peccatum tuum sit super nos, tantum sis episcopus noster. Scripsit imperatori ut contradiceret, et ipse approbavit. Deinde fugit, et abscondit se, sed inventus fuit. Deinde iterum voluit fugere, sed in crastinum invenit se ad portam que Romana dicitur. Tunc cognovit Dei voluntatem, et accepit cum fletu, ac si duceretur ad furcam.

Digitized by Google

Quando autem fuit consecratus episcopus, incepit magnam abstinentiam, semper fuit sibi quadragesima, expendebat redditus in piis causis, predicabat, scribebat libros, et habuit lumen spiritualis prelationis. — Questio quare tantum contradixit, cum sciret se multa bona posse facere. Responsio, quia prelatio habet onus importabile, nisi Deus juvet, sc. obligandi se ad reddendum rationem de tot animabus quot sunt in diocesi, cum tamen de sua homo debet tremere. Hoc cogitabant sancti antiquitus, sed modo non curant nisi de bonis temporalibus, non attendentes illud verbum terribile Sap. 6 : « Judicium durissimum his qui presunt fiet... tormenta patientur. » Nota : Judicium durum fiet, dando computum de sua vita, cum sit multum difficile bene vivere in tanta abundantia. Durius in computo reddendo de divitiis, sed durissimum in computo reddendo de animabus. Sed exiguus dicit : Domine, animam meam porto. David : « Anima mea in manibus meis semper. » (Psal. 118.) Idem de rectoribus communitatis, qui etiam coacti debent venire, etiam proclamando, quia si sustinent peccata notaria, damnantur. Ideo dicit : « Fortioribus autem fortior instat cruciatio. » (Sap. 6.) Ideo Eccl. 7 : « Noli querere fieri judex... peccata duplicia. »

Dico quarto quod habuit lumen de judiciali correctione. Nam judicialis correctio non est nisi lumen. Hoc dicit Apostolus : « Omne enim quod manifestatur lumen est. » (Ephe. 5.) Istud lumen habuit beatus Ambrosius ad arguendum et corrigendum magnos et parvos, divites et pauperes. Et licet esset episcopus, nihilominus posuit se ad audiendum confessiones, et quando veniebant aliqui ad confitendum frigidi, ipse animabat eos ut dicerent peccata, quia non est ita in curia Dei sicut in curia seculari. In curia enim Dei absolvuntur, et in curia seculari condemnantur. Et flebat, ut provocaret peccatores ad flendum, et orabat pro eis dicens : Tu pastor bone, reduc ovem errantem. Magnos autem feriebat graviter, ut patet de Theodosio imperatore, qui peccavit puniendo quandam civitatem, occidendo innocentes. Cui negavit ingressum ecclesie, donec publicam ageret penitentiam. Et dicenti sibi quod David peccasset, illico respondit : « Secutus es errantem, sequere et penitentem. » Quod ubi audivit, ita suscepit ut publicam penitentiam non abhorreret. Propter hoc in Lombardia beatus Ambrosius depingitur cum funiculis, quia ita percutiebat magnos Dominos omnes, et etiam parvos, amicos, et inimicos, etc.

Dico quinto quod habuit lumen de integrali perfectione, quando, sc. creatura perseverat in bona vita usque in finem, quia nec diaboli tentationibus, nec mundi occasionibus, nec carnis inclinationibus dimittit bonam vitam inceptam. Tunc lumen sancte vite integraliter perficitur,

Digitized by Google

cum usque in finem indesinenter continuatur. Juxta illud Prover. 4 : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. » Ideo Christus dicit : « Vide ergo ne lumen quod in te est... lucerna fulgoris illuminabit te. » (Luc. 11.) Istud lumen habuit beatus Ambrosius. Postquam enim vixit sancte et virtuose, dicatur quomodo convertit Augustinum, qui tunc temporis ibi legebat Rhetoricam, et veniebat ad sermones beati Ambrosii, et fuit ad fidem Christi conversus. Tunc temporis erat etiam ibi quidam alius infidelis, valde aptus, nec aliquis poterat illum ad fidem catholicam trahere. Fuit dictum sibi quod iret ad audiendum sermones Ambrosii, ivit, et vidit angelum Dei loquentem cum Ambrosio ad aurem cum predicaret, et statim conversus fuit. Cum autem in fine vite sue jaceret, apparuit sibi Dominus dicens : In pascha eris mecum in paradiso. Tunc beatus Ambrosius vocavit sacerdotes dicens eis, quomodo erat iturus ad Dominum in pascha. De hoc scientes cives et rectores civitatis, dixerunt inter se : Lombardia est modo perdita, quia ex sancta vita istius Ambrosii Deus dissimulavit peccata nostra. Ideo vadamus ad eum ut roget pro vita sua ne modo moriatur, et ita fecerunt. Sed beatus Ambrosius scens Dei voluntatem determinatam, noluit pro vita sua orare, sed respondit : Non ita conversatus sum apud vos ut pudeat me vivere. Canonici autem congregati in camera sua, tractabant de episcopo futuro submisse loquendo. Aliqui dicebant quod Simplicianus esset bonus. Respondit beatus Ambrosius : senex est, sed bonus. Ab hora autem undecima, quando migraturus erat, usque ad horam mortis extensis manibus in modum crucis oravit. Honoratus autem sacerdos, vir excellens, qui quiescebat in domo, tertio audivit vocem dicentem : Surge, festina, quia modo es recessurus. Qui descendens obtulit ei totum corpus, postea emisit spiritum, et multi pueri viderunt multa miracula. Modo autem est in lumine, quod quidem lumen est inextinguibile.

Digitized by Google

De beato Georgio

(Canevas autographe)

Beatus vir qui inventus est sine macula.
(Eccl. 31.)

Antiquitus data est talis lex : « Homo qui obtulerit victimam Domino, immaculatum offeret ut sit acceptabile. Omnis macula non erit in eo. » (Lev. 22.) Ratio est propter excellentiam Dei, in quo nulla est macula, et sacrificium debet condecere eum cui offertur. Alia ratio quia sacrificia veteris legis erant figure passionis Christi. Ideo Deut. 17 : « Non immolabis Domino Deo tuo ovem aut bovem in quo est macula », etc. Propterea beatus Georgius ut sacrificium martirii sui esset acceptum Deo, seipsum obtulit immaculatum. Juxta quod dicit thema : « Beatus vir », etc.

Primo : Sine macula superbie, quamvis esset genere nobilissimus, militum tribunus et miles semper victoriosus.

Secundo : Sine macula luxurie, quamvis mulieres inveniret in predis terrarum, et esset juvenis pulcherrimus. — Nota de filia regis quam solam invenit.

Tertio : Sine macula avaritie. — Nota de contemptu thesaurorum oblatorum sibi per regem propter liberationem filie.

Quarto : Sine macula ire.— Nota quam patienter toleravit tormenta.

Quinto : Sine macula gule. — Nota de veneno bis sibi oblato, quod innocuus bibit.

Sexto : Sine macula acidie. — Nota quod animose intravit inter rotas, et post in caldariam plenam plumbo liquefacto.

Septimo : Sine macula invidie. — Nota quod non invidit bonis Daciani sibi promissis ; quin ymo, eo deluso, martyrium sustinuit. Juxta illud Psal. 17 : « Deus qui precinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam. »

Digitized by Google

De sancto Georgio

(Manuscrit de Valence)

Le texte et le début sont les mêmes que dans le canevas autographe. La division est annoncée explicitement.

Ad primum, de macula superbie quam non habebat beatus Georgius, licet haberet tres excellentias per quas debebat esse superbus, tamen non erat. — Primo quia erat de nobili genere, tamen propter hoc non habebat superbiam aliquam, ex hoc quia cogitabat et sciebat quod habebat mori et putriri a terra et a vermibus comedi. — Secundo quia erat tribunus, id est capitaneus mille hominum, et tamen propter hoc nullum *ergull* de superbia habebat, sciens quod de quanto magis erat altus in regimine, de tanto plus erat obligatus dare computum coram Deo, et ideo erat humilis valde. — Tertio erat victoriosus multum in guerris et batallis, et tamen propter hoc non habebat in se inflamentum cordis et *ergull* de superbia, sciens quod illud non veniebat a se sed a Deo qui dat victoriam quandoque minoribus superando majoribus, quandoque e contra. Et dicebat : « Non nobis, Domine, non nobis », etc. (Ps. 113.)

Et modo moraliter. Videamus an ista macula superbie sit in vobis, ut non contemnatis minorem vobis, neque parem, neque majorem. Et maxime, non contemnatis Ecclesiam : nam multi sunt, qui contemnunt sententiam excommunicationis, stando in ea per duos, vel tres menses, et aliquoties annos, dicendo : Non curo de excommunicatione quia non comedit panem. Et bene est damnata creatura que hoc dicit. Nam ecce quid dicam vobis de me qui scio quid sit excommunicatio : quod si diceretur mihi, quid vellem magis habere, scissos pedes et brachia, et etiam caput, vel esse excommunicatum per spatium unius *Ave Maria*, quid responderem ? Et dico, quod magis vellem et caput habere scissum et alia, et ita mori, quam esse excommunicatum adhuc per illud breve tempus : nam anima est mortua durante excommunicatione. Et ideo, si estis excommunicati, faciatis rationem de vobis, et absolvemini. Ad quod habetur 1 Petr. : « Deus superbis resistit », etc.

Ad secundum de macula luxurie. Et sine hoc fuit beatus Georgius, licet esset valens pulcher miles, et multe mulieres juvenes et domicelle enamorabantur de eo, et ipse non curabat de eis, licet faceret eis placitum honeste, et erat gratiosus eis. Imo plus, quia cum recipiebat aliquam villam vel castellum per vim armorum, omnes mulieres juvenes, ne vilipenderentur ab hominibus armorum, recipiebat sub custodia sua.

Digitized by Google

Et imo computabo vobis hic unum miraculum : nam in quadam villa non habebatur aqua nisi in una fonte *(sic)* in qua erat unus draco qui devorabat gentes. Et illi de illa villa fecerunt oracionem ad quoddam ydolum quod tenebant ut ostenderet eis remedium contra draconem. Et demum respondit quod non poterant liberari nisi filia regis ei traderetur, et tunc exinde liberaliter possent venire ad aquam. Et cum rex audivisset, displicens habuit facere, et tradidit filiam bene ornatam vestibus aureis in deserto. Et cum domicella pulchra staret timida, sperando quando draco veniret, apparuit beatus Georgius ; et salutavit eam, et ipsa narravit sibi.

Et modo moraliter : Nam multe sponsate sunt que accedunt jam corrupte et pregnate ad matrimonium : quod est peccatum mortale. Et multi faciunt hoc propter amorem carnalem damnatum, preveniendo sponsam cognoscere : vel faciunt propter metum, ne ligentur per aliquos divinos et conjuratores, cum accedunt ad missam. Tamen contra hoc est remedium, ut sc. confiteantur *lo novio et nuvia* (sponsus et sponsa) : et tunc demon non poterit habere posse in ligando. Item, alii sunt, qui dimittunt uxorem ut aliam pulchriorem recipiant : quod non potest fieri ; ut habetur Mat. 19 : « Deus ab initio... homo non separet. »

Ad tertium de macula avaritie. Et sine hoc fuit beatus Georgius, nam quum reciperet villas, non curabat de *robo*, sed semper habebat confidentiam in Deo, quod sicut ei dabat victoriam in conquistando, daret ei provisionem necessariam. — Et probatur per exemplum. Nam quum quidam rex vellet dare ei filiam suam, et totum tesaurum et regnum, nam senex erat ; et noluit acceptare, quia non erat propter illud, sed solum propter honorem Dei. Et ideo rogavit regem, si sibi vellet facere placitum ut per totam terram suam destrueret ydolos et adoraret Deum Jesum, creatorem celi et terre. Item de tesauro, quod edificaret ecclesias et hospitalia pauperum.

Et modo moraliter : nam usura que solum reperiebatur in Judeis modo est in christianis, nam non commodarent sine usura. Er ideo cavete ab ista macula, ut habetur Luc. 12 : « Cavete ab omni avaritia... ejus qui possidet. »

Ad quartum de macula ire. Et sine hoc fuit beatus Georgius, nam in bellis non habebat aliquam iram et turbacionem animi ; et maxime in tormentis fuit inventus sine macula, cum tormentaretur per Dacianum, et cum diceret sibi Dacianus ut oraret ydolas, respondit beatus Georgius : « Dii autem gentium demonia », ut in ps. *Cantate*. Et cum audivisset Dacianus fecit eum ponere in equuleo, et cum ferreis *esquinssabant* ejus latera, et cum *fallis* igneis affixis ad latera ejus ; et non obstan-

Digitized by Google

tibus eis pacienter sustinebat dicendo : « Igne me examinasti, et non inventa in me iniquitas », sc. ire.

Et modo moraliter : non velitis habere iram contra aliquam creaturam, sed concordiam et pacem cum omnibus : tamen irasci bene potestis contra vos metipsos propter peccata, habendo displicitum de illis, et affligendo carnes, per asperam penitentiam, et maxime disciplinando se ; nam melior modus non potest esse, quam disciplinare se pro attingendo remissionem peccatorum suorum. Et precipue de duobus peccatis, sc. luxurie : nam caro que peccavit castigatur ; et de homicidio, nam effunditur sanguis proprius, propter effusum in homicidio ut habetur Gen. 7 : « Quicumque effuderit humanum sanguinem », etc. Et de tali ira loquitur beatus Paulus, Eph. 4 : « Sol non occidat super iracundiam vestram. »

Ad quintum de macula gule. Et sine hoc fuit beatus Georgius, nam licet miles jejunabat omnia jejunia indicta ab Ecclesia. Nam licet dicantur milites quod ideo ut habeant bonas vires in bellis non debent jejunare et observare abstinentiam ; sed dico quod magis valeret ut abstinerent a luxuria que una vice nocet magis ad vires diminuendas, quam tres dies jejunare in pane et aqua. Et ideo non debent se excusare milites a jejuniis et abstinentia gule, sed abstineant a luxuria. Et qualiter fuerit beatus Georgius sine hoc macula gule, probatur per quoddam miraculum. Cum Dacianus fecisset dare ei ut biberet unam scutellam veneni, ut ipsum inebriaret et derideret eum quidam incantator, ipse bibit bis, tamen nullum malum habuit. Et incantator videns miraculum ita magnum, convertit se ad fidem catholicam. Et hoc, sc. quod venenum non fecit sibi malum, propterea Deus voluit, quia beatus Georgius semper fuit sine macula gule, et abstinens ; et ideo voluit ut per potum veneni non moreretur. Et ita habuistis, quomodo beatus Georgius fuit sine hoc macula gule.

Et modo moraliter : Bona gens, abstineatis ab hac macula gule ; nam multi sunt damnati, quia non solum non jejunant ; sed etiam comedunt carnes, ut habetur Luce 21 : « Attendite vobis, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate. »

Ad sextum de macula accidie. Et hanc non habebat beatus Georgius, nam sicut erat diligens in temporalibus militando et bellando, ita erat plus diligens in spiritualibus. Et ecce quomodo ; et audiatis, et advertatis, milites et scutiferi, ut addiscatis de beato Georgio ; nam quolibet die de mane et sero faciebat orationem devotam. Primo flectendo genua in terra, et post signando se in *Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Post dicebat *Credo in Deum* distincte per articulos, et post dicebat *Pater noster* et *Ave Maria* pluries, et post, cum erat dies, audiebat

Digitized by Google

missam devotam et integram cotidie ; et post faciebat sua negocia. Et qualibet septimana die sabbati confitebatur, et communicabat die dominica. Et ita erat sine macula accidie.

Et habebat virtutem diligentie. Et hec diligentia demonstratur cum Dacianus mandavit ut intra duobus rotis per girum moventibus poneret se, alias quod renegaret fidem Christi. Et beatus Georgius libenter et diligenter surrexit ut poneret se intra rotas et moreretur propter honorem Dei. Et venerunt duo angeli, et tenebant rotas. Et post fecit eum ponere nudum in caldera plena de *blumbo*. Et ipse libenter ingressus fuit, et non comburiebatur *(sic)* nec moriebatur, sed Deus conservabat eum propter diligentiam quam habuit propter honorem suum ; et Dacianus renegabat propter illud.

Et modo moraliter : Bona *gent*, abstineatis ab hac macula acidie, et sicut estis diligentes multum circa temporalia, sitis etiam diligenter et expediti in servitio Dei et circa spiritualia. Et non stetis in taberna vel platea, sed audiatis missam devote et integram, et faciatis servitium Dei diligenter, ut habetur Ecclesiastici 9 : « Quodcumque potest operari manus tua », etc.

Ad septimum de macula invidie. Et hanc non habuit beatus Georgius. Et hoc demonstratur cum Dacianus videns quod non poterat eum vincere per tormenta, incepit eum honorare et rogare ut adoraret ydolam suam *(sic)*, et daret sibi majorem partem de suis tesauris. Et beatus Georgius cognovit quod volebat eum decipere. Et ideo dixit in se : Melius est ut ego decipiam eum quia credidit me decipere, et erit deceptus. Et dixit sibi : « Placet, ego adorabo. » Sed tamen non dixit quem adoraret. Et tunc Dacianus fecit congregare totam villam ad locum ubi stabant ydola ut viderent quomodo adoraret beatus Georgius. Et beatus Georgius clam et cooperte signabat christianis ut non intrarent cum infidelibus ; et ita faciebant. Et cum fuissent congregati intra domum ubi stabant ydola ipse flexit genua et dixit : « Ego adoro, sed non ydola ; ego adoro, sed non demonem ; ego adoro, sed non creaturam, sed Jesum Christum Filium Dei, redemptorem mundi, virtute cujus ista domus cadet nunc. » Et ita factum fuit ; et omnes mortui fuerunt. Sed tamen Dacianus nondum venerat ibi. Et dixit beato Georgio : Et tale opus fecisti ! Et respondit beatus Georgius : *Esculta*, et dicam modicum tibi. Et portabat eum ad quamdam domum. Et dixit Dacianus : Certe non faciam.

Et modo moraliter : Et hoc non displiciat Sarracenis et Judeis, nam videtis quod beatus Georgius fecit *apartare* Christianos de infidelibus. Ita dico vobis quod licet potestis facere placita Sarracenis et Judeis quia proximi sunt, et adhuc poterunt baptizari et illuminari, tamen non debent

Digitized by Google

Christiani habitare cum ipsis, nec interesse in circumcisionibus nec in conviviis eorum, nec nutrire filios suos, nec econtra. Qui ista faciunt infideles sunt sicut honorificando actus et ritus ipsorum. Item quod pejus est hodie, et in hac villa faciunt unam infidelitatem de agno *a pascua :* et damnati sunt omnes qui consentiunt in iis, nam agnus erat figura de passione Christi. Et ideo, si vultis ad pascha comedere agnum, comedatis agnum, id est Christum natum de ove, id est Virgine Maria, et dimittatis exinde agnum Judeorum. Et ita licet possitis amare honeste ipsos, tamen non participare et habitare cum eis, quia alius populus est ; ut habetur, II Cor. 6 : « Separamini de medio eorum », etc.

Et ita finaliter fecit ei (Dacianus) amputare caput.

Et ita habuistis septem maculas sine quibus fuit beatus Georgius. Et debetis vos abstinere ab ipsis ; et tunc dici poterit de vobis sicut de beato Georgio : « Beatus vir qui inventus est sine macula. »

De sancto Georgio, martyre

(Recueil imprimé)

Beatus vir qui inventus est sine macula.
(Habetur verbum istud originaliter in libro Eccl. 31, et recitatum est in epistola hodierna.)

Ista solennitas annualis beati Georgii fit propter adjutorium quod exhibuit Christianis in captione nobilis civitatis Majoritatis. Sed prius salutetur virgo Maria, etc.

Declarationem hujus verbi et introductionem materie recipio a quadam lege a Deo antiquitus data, in qua ostendit quomodo sibi offerri debet sacrificium victorie dicens : « Homo qui obtulerit victimam... macula non erit in eo. » (Levit. 22.) Hoc est propter excellentiam Dei, in quo nulla est macula, purissimus est in substantia sua. Ideo antiquitus valde respiciebatur sacrificium, ne haberet aliquam maculam in oculis, nec esset cecum vel contractum, etc. Dicebat enim illa lex : « Non immolabis Domino Deo tuo », etc. (Deut. 17.) Ovis signat personam simplicem, bos autem personam nobilem, habens duo cornua, sc. potentie et scientie. Caveant ergo tales si volunt Deo offerre sacrificium, quod sit sine macula, quia alias abominabile esset Domino. Propterea beatus Georgius ut sacrificium martyrii sui esset Deo acceptum, seipsum obtulit immaculatum, quia non legitur unquam habuisse

Digitized by Google

maculam peccati mortalis. Ideo de eo dicit thema : « Beatus vir », sc. in virtute, « qui inventus est sine macula ». — Patet thema.

Ego invenio in sacra scriptura septem maculas, secundum quod sunt septem peccata capitalia, sc.:

Prima macula est de superbia et vanitate ;
Secunda de luxuria et carnalitate ;
Tertia de avaritia et cupiditate ;
Quarta de ira et malignitate ;
Quinta de gula et voracitate ;
Sexta de pigritia et ociositate ;
Septima de invidia et perversitate.

Nullam istarum habuit beatus Georgius, ut videbitis. Ideo : Beatus vir qui inventus est sine macula, qui enim habet aliquam maculam de istis, non intrabit in regnum celorum : « Non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens. » (Apoc. 21.)

Dico primo quod beatus Georgius fuit sine macula superbie et vanitatis per gratiam Dei. Nota quatuor que communiter dant superbiam militibus, que omnia habuit excellenter beatus Georgius, sed custodivit se a macula superbie.

Primum est nobilitas de sanguine.
Secundum pulchritudo de corpore.
Tertium dominium de hominibus.
Quartum victoria de inimicis.

Quando enim miles cogitat : Ego sum nobilis de genere antiquo, etc., superbit in corde, Beatus Georgius habuit nobilitatem sanguinis. Dicit historia quod erat Capadocie nobilissimus, sed nunquam ex hoc ascendit superbia in caput suum. Duas nobilitates habebat in anima, quia filius regis Christi, et regine, sc. ecclesie. Et de ista nobilitate se appreciabat. Secunda in corpore, sed de ista non curabat, immo dicebat cum David : « Que utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptione ? » Secundo pulchritudo corporis est multis occasio superbie, vadunt ornati ut fatui.

Non opus est follo suspendere cymbala collo.

Sed beatus Georgius licet pulcherrimus, non tamen se appreciabat, nisi de pulchritudine anime, ut esset alba et clara per veram fidem, et rubea per memoriam passionis, ornata virtutibus. Recordabatur de verbis Salomonis dicentis : « Fallax gratia et vana est pulchritudo », sc. corporis, etc. (Prov. ult.) Tertio dominium hominum est occasio superbie, quando miles se videt capitaneum multorum, etc. Beatus Georgius fuit tribunus, sc. capitaneus mille hominum armorum, nec superbiebat, nec alicui faciebat injuriam, nec ipse nec sui gubernabant se nisi humi-

Digitized by Google

liter et simpliciter. Juxta illud : « Quanto magnus es... non eris curiosus », etc. (Eccl. 3.) Quarto victoria inimicorum consuevit dare superbiam victoriosis. Beatus Georgius fuit semper victoriosus. Bene habebat materiam superbiendi, sed totum aitribuebat Deo, etc., ut supra.

Secundo fuit sine macula luxurie, id est carnalitatis, intantum quod creditur fuisse virgo, quando enim capiebat aliquam villam, castrum, vel civitatem, homines carnales solent se dare ut lupi ad cadaver. Beatus Georgius custodiebat, et conservabat mulieres, ac si fuisset pater omnium earum. Imo dicam vobis unum factum singulare quod accidit in quadam provincia juxta Cappadociam, in qua omnes erant idolatre. Rex vero illius provincie habebat unicam filiam. Demones vero qui non contentantur de paucis peccatis, sed paulatim deducunt ad magna, eorum ordinatione actum est, ut gentes illius provincie offerrent filios suos et filias suas diabolo. De hoc David in Psal.: « Immolaverunt filios suos et filias suas demoniis. » Juxta civitatem regis illius erat stagnum, in quo erat draco ingens qui adorabatur ut Deus. Rex vero invocavit Deum suum, quod si juvaret eum offerret sibi filiam suam, quia adjutus a demone oportuit eum implere promissum. Georgius vero divina revelatione dimissa gente sua solus sine famulo venit. Qui videns puellam taliter ornatam et flentem, descendit de equo querens ab ea qualiter, etc. Que narravit beato Georgio totum factum dicens quod Deus petebat eam in cibum suum, intantum quod ejus pater, licet esset rex non potuit eam liberare. Ad quam beatus Georgius : Non dubites, quia virtute nominis Christi ego liberabo te hodie.

Dicatur quomodo draco exivit de lacu, et beatus Georgius signavit se signo sancte crucis, et exivit contra eum, quem percussit. Quo facto duxit puellam ad patrem suum. Cogitate, quando domicella vidit militem pulchrum et ita audacem, cogitate quomodo dicebat patri, quod daret sibi ipsum in virum, quia magis vellet eum quam imperatorem. Pater autem dabat sibi filiam suam in uxorem cum regno. Respondit beatus Georgius : Non detis eam mihi, sed Christo Domino, et baptizetur, quia Christus illam filiam liberavit. Tunc baptizati sunt puella et rex pater ejus, et ultra xx milia fuerunt in illa civitate baptizati. Ecce quomodo erat sine macula luxurie et carnalitatis. O quot milites duxissent eam libenter, dicentes : Veni, filia, ad aulam meam, et bene tibi faciam, etc., ut ipsi devorassent eam, et non draco. Sed beatus Georgius ut miles urbanus liberavit eam et tradidit patri suo, nec voluit eam, nec regnum. Et potuit dicere illud Thob. 3 : « Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi », etc. Hic habent exemplum milites, qui modo non curant nisi de luxuria, nec sufficiunt eis mulieres cujusvis conditionis sive status.

Digitized by Google

Tertio fuit sine macula avaricie et cupiditatis. Cum enim potuisset multa congregare in captione villarum, civitatum, et castrorum, non curabat. Item rex ille, cujus filiam liberavit, ex quo nolebat filiam suam in uxorem, dabat sibi infinitum thesaurum, noluit recipere, sed ut daret pro ecclesiis construendis et hospitalibus pro pauperibus personis, instruxit. Patet ergo quomodo fuit sine macula, et « qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris ». (Eccl. 31.) Sed hodie est tanta avaritia militum, quod predantur vassallos, dicendo quod sunt gratiose petitiones, tamen, includunt eos in carceribus vel alio loco, dicendo : Non exibitis quousque detis tantum. Ecce gratiose petitiones ; retinent sibi decimas et primitias. Etiam ipsimet arrendant jura ecclesiastica cum magno periculo, alias non permittunt colligere decimas et primitias. Etiam ipsimet retinent solidatam servorum et ancillarum, quia jam redditus non sufficiunt, tot sunt vanitates. Ideo dicebat Christus : « Videte et cavete ab omni avaricia. » (Luce 12.)

Quarto fuit sine macula ire et malignitatis. Nunquam enim voluit vindictam de aliqua injuria sibi facta nisi secundum ordinem justitie, sed patienter sustinebat injurias, remittendo bono corde. Dicatur quot injurie fuerunt sibi facte in tormentis, quas patienter sustinuit pro Christo. Regnantibus autem Diocletiano et Maximiano imperatoribus, qui graves persecutiones dederunt Christianis, isti miserunt Dacianum versus partes Capadocie ad persequendum Christianos, ut sc. abnegarent fidem, vel tormentis interirent, qui infra mensem interfecit plusquam viginti milia Christianorum, et multi deficiebant in tormentis. Tunc beatus Georgius dixit intra se : Diu militavi, et bellavi cum equo et armis corporalibus, ideo jam de cetero volo bellare pedibus et cum armis spiritualibus. Dedit omnia bona sua pauperibus, et in simplici habitu venit coram Daciano qui cruciabat Christianos, et clamando dixit illum versum psalterii : « Omnes dii gentium demonia, Dominus autem celos fecit. » Tunc Dacianus interrogavit eum unde esset, et quis vocabatur. Qui respondit se Capadocem esse quoad nationem, quoad nomen respondit et dixit : Ego vocor Georgius, et sum miles nominatus per totum mundum. Tunc Dacianus jussit illum poni in eculeo. Dicatur quid est eculeus. Qui memorans quod Christus fuit extensus in cruce sustinuit patienter. Tunc Dacianus dedit sibi aliud tormentum, cum ferreis tenalibus totum corpus fecit dilaniari, sed cogitans effusionem sanguinis Christi in cruce sustinuit patienter. Deinde applicavit laminas igneas ad latera ejus. Deinde jussit verbera et plagas sale confricari. Et beatus Georgius dicebat : « Non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam. » (Ro. 8.) Patet ergo quod non habuit iram, nec odium, nec malam voluntatem, sed dulciter sustinuit. Ideo cantatur :

Digitized by Google

« Non murmur resonat, non querimonia. » Secus de militibus modernis impatientibus et bricosis. Ideo Job. 5 : « Virum stultum interficit iracundia. » Stultus qui volens recipere vindictam de inimico reciperet venenum. Ita est de iracundo querente vindictam, primo interficit seipsum : « Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est », sc. sui ipsius. (1 Joan. 3)

Quinta macula est gule et voracitatis : Ista enim macula destruit corpus et animam. Primo destruit visum, secundo anhelitum corrumpit, tollit fortitudinem, quia vinum percutit nervos, aufert intellectum, inducit podagram, morbum caducum, et alias infirmitates. Ideo Christus : « Attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate. » (Luc. 21.) Bestie recipiunt necessitatem cibi et potus, et homines ultra necessitatem. Ab ista macula fuit liber beatus Georgius. Fuit enim valde abstinens, semper jejunabat quadragesimam et vigilias ecclesie, quatuor tempora, et bis in qualibet hebdomada, sc. feria quarta et sexta. Et modo dicunt milites confessoribus : Non detis mihi jejunia, quia ego indigeo fortitudine, jejunent clerici. Dicatur quomodo melius custodirent fortitudinem cavendo a mulieribus ex quibus perdunt fortitudinem corporis, et audaciam animi.

Sexta macula est pigritie et ociositatis. Dicatur de diligentia beati Georgii in spiritualibus. In tempore enim pacis faciebat bellum contra corpus suum per penitentiam, quolibet mane genibus flexis, cum silentio audiebat missam, quolibet die dominico communicabat. Ex ista diligentia Deus dedit sibi virtutem. Dicatur quomodo Dacianus volens ipsum terrere fecit rotas cum gladiis, ut legitur de beata Catharina, ut fidem Christi abnegaret. Sed beatus Georgius signando se saltavit in medium rotarum, et in nullo sibi nocuerunt, sed virtute Dei confracte sunt, et multos gentiles necaverunt. Deinde ponitur in sartagine plena fervente plumbo, sed facto signo crucis ibi quasi in balneo roris jam cadentis sedebat. Sed modo milites tempore pacis dant se ocio et peccatis, etc. Cuilibet tamen eorum dicit scriptura : « Quodcumque potest facere manus tua, id est virtus, instanter operare », etc. (Eccl. 9.)

Septima macula est invidia et perversitas, quia comuniter persone excellentes et notabiles quando audiunt commendari vel laudari alium, statim intrat in corda eorum vermis invidie, et oderunt illum. Ab ista macula fuit immunis beatus Georgius, non enim invidebat alicui. Dacianus enim cogitavit quod generosus animus magis inclinaretur precibus et dulcibus sermonibus quam tormentis seu terroribus. Ideo blandimentis tentavit emollire beatum Georgium dicens : Georgi, nunquid vides quanta est patientia deorum nostrorum ? Ideo si vis tenere leges

Digitized by Google

et decreta imperatorum, eris magnus, etc. Et sic voluit decipere beatum Georgium cum malitia. Respondit beatus Georgius: Modo dicis mihi ista post tam dura tormenta, quare non dixisti a principio? Voluit decipere Dacianum per suam sapientiam beatus Georgius, simulans quod vellet Deos adorare tam solenniter. De quo gaudens Dacianus fecit preconizare quomodo beatus Georgius adoraret Deos, etc. Cum autem deductus esset in templum, in porta templi adoravit dicens : Ego adoro non idola, sed Deum verum. Ego adoro non demones, sed Christum salvatorem. Subito ignis descendit de celo, et templum cum idolis et multis gentibus qui exiverant omnino destruxit. Quo audito, Dacianus indignatus voluit vel quod adoraret idola, vel quod moreretur : O stulte dixit beatus Georgius, et quomodo credis quod adorem Deos tuos quos ego destruxi? Propter quod Dacianus protulit sententiam capitalem contra sanctum Georgium. Et primo quod fustibus cederetur.

Cum ergo fuisset distractus per civitatem, et capitalem sententiam signo crucis se muniens recepisset, Dacianus inde recedens igne celesti subito consumptus est. Et beatus Georgius in celo receptus. Non enim invidit bonis Daciani sibi promissis, quinimo eo deluso martyrium sustinuit. Juxta illud : « Deus qui precinxit me virtute ab bellum, et posuit immaculatam vitam meam. » (Psalm. 7.)

Digitized by Google

De beato Marcho

(Canevas autographe)

Qui timet Deum faciet bona.
(Eccl. 15, et in epistola.)

Inter alia per que potest habere sufficientiam habundantia bonorum tam spiritualium quam corporalium est timor Dei. Ideo timor Dei comparatur fonti seu paradiso in terra. Eccl. 40 : « Non est in timore Dei minoratio... Timor Domini paradisus », etc., propter habundantiam omnium bonorum quam secum affert. Ps. 33 : « Timete Dominum, omnes sancti ejus », etc. Ideo de beato Marcho dicit thema : « Qui timet Deum », etc.

Nota ergo inter alia quatuor bona in beato Marcho :

Fidelem conversionem ;

Humilem conversationem ;

Veram devotionem ;

Perfectam dilectionem.

De primo nota quomodo ad predicationem beati Petri fuit ad fidem Christi conversus, et ab eo baptizatus, atque in divino sermone ejus discipulus. Ideo 1 Pet. 5 : « Salutat vos Marchus, filius meus. »

De secundo nota quomodo amputavit sibi pollicem ne episcopus aut etiam sacerdos efficeretur. Ecclesiastici 3 : « Quanto magnus es humilis », etc.

De tertio nota quomodo ex devotione ad nomen Jhesu sanabat infirmos, singulariter Cerdonem in introïtu Alexandrie. Cor. 2 : « Non judicavi me scire aliquid », etc.

De quarto nota ejus martirium in Alexandria, juxta illud Joan. 15 : « Majorem hac dilectionem nemo habet », etc.

De sancto Marco

(Recueil imprimé)

Qui timet Deum faciet bona.
(Eccl. 15 et in epistola hodierna.)

Presens sermo noster erit illius gloriosissimi evangeliste beati Marci, quia hodie est sua solennitas et festum. Si placet Deo habebimus multas

Digitized by Google

bonas doctrinas pro intellectus illuminatione, et vite correctione, et peccatorum detestatione. Sed primo salutetur virgo Maria, etc.

Pro brevi declaratione hujus Verbi, et materie introductione, sciendum quod inter alia per que quis potest habere sufficientiam et abundantiam bonorum tam spiritualium quam etiam temporalium est timor Dei : quando enim creatura in corde suo timorose proponit non facere aliquid contra Deum, nec corde cogitando, nec ore loquendo, nec opere perficiendo, dicens : Deus custodiat me ne faciam aliquid contra ejus voluntatem. Quando surgunt de mane, commendant se Deo dicendo : Modo incipit ista dies, ideo, Domine, guberna me ne faciam malum. Item si incipiunt viam, vel si ponunt se ad mensam dicunt : Modo habeo recipere refectionem, ideo, Domine, utinam cum mensura comedam et bibam ne te offendam. Item quando ponunt se ad dormiendum, et in operibus aliis. Talis timor dat abundantiam bonorum spiritualium. Nam si aliquis habet intra domum suam fontem vivum, certum est quod talis non habebit penuriam aque. Ita timor Dei in domo conscientie est ut fons redundans gratiarum spiritualium, virtutum, et perfectionum, et meritorum. Autoritas : « Timete Dominum omnes sancti ejus, sc. Christiani, qui in baptismo sanctificantur, quoniam non est inopia timentibus eum. Divites sc. bonorum temporalium eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum sc. timorose, non minuentur omni bono. » (Psal. 33.) In historia enim beati Marci inveni tria bona magna que habuit.

Primum fuit conversio de veritate ;
Secundum perfectio de humilitate ;
Tertium devotio de sanctitate.

Dico primo quod primum bonum beati Marci fuit conversio de veritate, quia primo fuit Judeus de tribu Levi, et de genere Aaron, erat enim sacerdos, et ad predicationem beati Petri apostoli fuit ad fidem conversus, sc. Christi. Cogitate quod venit cum multis argumentis et rationibus, quas sibi solvit beatus Petrus. Prima fuit de trinitate. Secunda de Christi incarnatione. Tertia de passione. Quarta de lege Moysi, sc. de duratione ejus. Quinta de tempore Messie.

Ad practicam, quando beatus Marcus audivit quod beatus Petrus et alii apostoli predicabant de Trinitate, quod est unus Deus, et ille Deus est Pater, et Filius et Spiritus Sanctus, dixit Marcus : Hoc non potest esse, quia dicitur Deut. 6 : « Audi, Israel, Dominus Deus unus est. » Istam rationem faciunt hodie Judei. Sed ecce responsio clara : quia persone non sic sumuntur in Deo sicut in nobis. Quia quelibet persona in nobis facit unam essentiam. Credunt enim Judei quando dicimus tres personas, quod sint quasi tres gigantes, vel tres reges, sed sumuntur ut

Digitized by Google

De beato Marcho

(Canevas autographe)

Qui timet Deum faciet bona.
(Eccl. 15, et in epistola.)

Inter alia per que potest habere sufficientiam habundantia bonorum tam spiritualium quam corporalium est timor Dei. Ideo timor Dei comparatur fonti seu paradiso in terra. Eccl. 40 : « Non est in timore Dei minoratio... Timor Domini paradisus », etc., propter habundantiam omnium bonorum quam secum affert. Ps. 33 : « Timete Dominum, omnes sancti ejus », etc. Ideo de beato Marcho dicit thema : « Qui timet Deum », etc.

Nota ergo inter alia quatuor bona in beato Marcho :

Fidelem conversionem ;

Humilem conversationem ;

Veram devotionem ;

Perfectam dilectionem.

De primo nota quomodo ad predicationem beati Petri fuit ad fidem Christi conversus, et ab eo baptizatus, atque in divino sermone ejus discipulus. Ideo 1 Pet. 5 : « Salutat vos Marchus, filius meus. »

De secundo nota quomodo amputavit sibi pollicem ne episcopus aut etiam sacerdos efficeretur. Ecclesiastici 3 : « Quanto magnus es humilis », etc.

De tertio nota quomodo ex devotione ad nomen Jhesu sanabat infirmos, singulariter Cerdonem in introïtu Alexandrie. Cor. 2 : « Non judicavi me scire aliquid », etc.

De quarto nota ejus martirium in Alexandria, juxta illud Joan. 15 : « Majorem hac dilectionem nemo habet », etc.

De sancto Marco

(Recueil imprimé)

Qui timet Deum faciet bona.
(Eccl. 15 et in epistola hodierna.)

Presens sermo noster erit illius gloriosissimi evangeliste beati Marci, quia hodie est sua solennitas et festum. Si placet Deo habebimus multas

Digitized by Google

bonas doctrinas pro intellectus illuminatione, et vite correctione, et peccatorum detestatione. Sed primo salutetur virgo Maria, etc.

Pro brevi declaratione hujus Verbi, et materie introductione, sciendum quod inter alia per que quis potest habere sufficientiam et abundantiam bonorum tam spiritualium quam etiam temporalium est timor Dei : quando enim creatura in corde suo timorose proponit non facere aliquid contra Deum, nec corde cogitando, nec ore loquendo, nec opere perficiendo, dicens : Deus custodiat me ne faciam aliquid contra ejus voluntatem. Quando surgunt de mane, commendant se Deo dicendo : Modo incipit ista dies, ideo, Domine, guberna me ne faciam malum. Item si incipiunt viam, vel si ponunt se ad mensam dicunt : Modo habeo recipere refectionem, ideo, Domine, utinam cum mensura comedam et bibam ne te offendam. Item quando ponunt se ad dormiendum, et in operibus aliis. Talis timor dat abundantiam bonorum spiritualium. Nam si aliquis habet intra domum suam fontem vivum, certum est quod talis non habebit penuriam aque. Ita timor Dei in domo conscientie est ut fons redundans gratiarum spiritualium, virtutum, et perfectionum, et meritorum. Autoritas : « Timete Dominum omnes sancti ejus, sc. Christiani, qui in baptismo sanctificantur, quoniam non est inopia timentibus eum. Divites sc. bonorum temporalium eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum sc. timorose, non minuentur omni bono. » (Psal. 33.) In historia enim beati Marci inveni tria bona magna que habuit.

Primum fuit conversio de veritate ;
Secundum perfectio de humilitate ;
Tertium devotio de sanctitate.

Dico primo quod primum bonum beati Marci fuit conversio de veritate, quia primo fuit Judeus de tribu Levi, et de genere Aaron, erat enim sacerdos, et ad predicationem beati Petri apostoli fuit ad fidem conversus, sc. Christi. Cogitate quod venit cum multis argumentis et rationibus, quas sibi solvit beatus Petrus. Prima fuit de trinitate. Secunda de Christi incarnatione. Tertia de passione. Quarta de lege Moysi, sc. de duratione ejus. Quinta de tempore Messie.

Ad practicam, quando beatus Marcus audivit quod beatus Petrus et alii apostoli predicabant de Trinitate, quod est unus Deus, et ille Deus est Pater, et Filius et Spiritus Sanctus, dixit Marcus : Hoc non potest esse, quia dicitur Deut. 6 : « Audi, Israel, Dominus Deus unus est. » Istam rationem faciunt hodie Judei. Sed ecce responsio clara : quia persone non sic sumuntur in Deo sicut in nobis. Quia quelibet persona in nobis facit unam essentiam. Credunt enim Judei quando dicimus tres personas, quod sint quasi tres gigantes, vel tres reges, sed sumuntur ut

Digitized by Google

in sole, in quo designatur Pater, et Filius et Spiritus Sanctus, tamen non est nisi unus sol, sed est tante perfectionis, quod de se generat radium quem mittit huc, et tamen non recedit ab eo. Modo substantia solis potest dici pater generans, radius filius genitus, et calor ab utroque procedens potest dici Spiritus Sanctus, et tamen non est nisi unus sol. Sic intelligimus nos trinitatem, quia Deus non est minoris virtutis quam sol. Et dixit Petrus Marco : Attende quod prophete quando loquuntur de Deo ponunt tria ad innuendum Trinitatem personarum. Unde in autoritate allegata dicitur : Audi, Israel, Dominus Deus tuus, tria nomina sunt ibi, ad innuendum Trinitatem personarum. Item Esa. 6 : « Vidi Dominum sedentem... replebant templum. » Ubi inter cetera vidit duos angelos clamantes, alter ad alterum : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Et sic de multis aliis autoritatibus posset dici. O ! dixit Marcus, credo Trinitatem, aliter intelligebam ego, sed errabam, modo video clare.

Secunda fuit de incarnatione Verbi. Dicebat enim Marcus : Vos dicitis quod Deus factus est homo, quomodo hoc est possibile, cum scriptura dicat Deum esse immutabilem ? « Ego Dominus et non mutor. » (Malach. 3.) Si factus est homo, igitur mutatus est. Sed ista ratio procedit ex ignorantia, quia licet Deus sit immutabilis, etiam est infinitus, et est ubique. Et omnis creatura est plena divinitate, quia divinitas implet totum mundum, ut claritas solis totum aerem. Incarnatio ergo nihil aliud est nisi quod illa humanitas in utero virginis formata a Spiritu Sancto erat plena divinitate, non solum potentialiter, ut est in ceteris creaturis, sed etiam personaliter, quia alias nec seipsum posset salvare. Sicut enim ferrum ignitum calefacit et illuminat non virtute ferri sed ignis, ita illa humanitas Christi habuit virtutem redimendi genus humanum, et salvandi credentes et obedientes ratione divinitatis sibi conjuncte, alias enim nec se nec alios posset salvare. Ideo dixit Petrus Marco : Non intelligatis quod Deus sit mutatus, sed illa humanitas fuit substantiata in divinitate personaliter. Tunc Marcus credidit incarnationem.

Tertia fuit de Christi passione. Dixit Marcus : Vos dicitis quod Christus sustinuit mortem et passionem in cruce, ut salvaret sibi credentes et obedientes, cum tamen dicit David : « Omnia quecumque voluit Dominus fecit. » Si ergo Christus erat Deus, sine morte et passione poterat salvare dicendo : Ergo parco omnibus, decetero custodiatis vos, quemadmodum unus rex facit unam generalem remissionem, quare ergo voluit pati, capi, et ligari ? Respondit ei Petrus dicens : Scias quod in Deo justitia et misericordia sunt sua essentia et substantia. In nobis autem justitia et misericordia sunt qualitates accidentales. Ideo homines aliquoties faciunt contra justitiam, aliquoties contra misericordiam. Sed

Digitized by Google

Deus in omnibus operibus suis ostendit suam justitiam, non contra misericordiam, sicut nec contra divinitatem suam. Si ergo remisisset generaliter omnibus, ut dicis, opus esset misericordie, sed ubi fuisset sua justitia? si autem damnasset omnes in inferno, fuisset rigor justitie, et ubi fuisset sua misericordia? Oportuit ergo servare modum, in quo ostenderetur sua justitia summa, solvens in cruce precium sanguinis, etc., ut ostenderetur summa misericordia, quia ipse non tenebatur, voluit solvere. Et quod ita debuit fieri, et quod Deus deberet pati, idem David prophetaverat in psalmo : *Deus, Deus meus respice,* etc. In quo psalmo ponit clare Christi passionem. Item Esaias : « Vere languores nostros ipse tulit », etc. (Esa. 53.) Item Dan. 5 : « Post hebdomadas LXXII occidetur Christus. » Tunc beatus Marcus credidit.

Quarta fuit de lege Moysi, cum sit bona a Deo data, et multis et magnis miraculis approbata, quare ergo est dimittenda? — Respondit beatus Petrus, quod lex Moysi fuit bona et sancta suo tempore, sed modo jam non esset bona. Dicatur similitudo de patre, qui dat leges pedagogo pro filiis parvis nutriendis, promittens eis fructus, etc. Talis lex bona est pro pueris nutriendis, sed non pro adultis, quia aliam legem et promissionem dant pueris, et aliam viris perfectis. Ita fuit de lege Moysi, data a patre Deo pueris Judeis, sed modo oportet recipere legem evangelicam, et istam petebat David dicens : « Legem pone mihi, Domine », etc. (Psal. 118.) Et nunquid habebat jam legem Moysi? — Imo, sed petebat legem evangelicam. Tunc beatus Marcus credidit.

Quinta de tempore Messie. Dicebat beatus Marcus quod nondum tempus erat completum, quia Esaias dederat signum dicens : « Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. » (Esa. 2.) In isto capitulo Esaias loquitur de conversione gentium per Messiam facienda, non violenter sed gratiose. Ibidem : Et fluent ad eum omnes gentes », etc. Cum ergo dicitur : et conflabunt, etc., intelligitur quod pro conversione gentium non exercebuntur ultra ad prelium, sed predicando et dicendo : Domus Jacob venite, et ambulemus in lumine Dei nostri. Tunc beatus Marcus credidit, et fuit letus, et rogavit beatum Petrum pro gratia speciali quod ipsemet baptizaret eum, et ita fecit et recepit ipsum in discipulum suum. Ecce quomodo predicatione beati Petri fuit ad fidem Christi conversus, et ab eo baptizatus, atque in divino sermone ejus discipulus. Ideo beatus Petrus vocavit ipsum filium dicens : « Salutat vos Marcus filius meus. » (1 Pet. 5.) Patet quomodo beatus Marcus habuit primum bonum, sc. conversionem de veritate.

Secundum bonum quod habuit fuit perfectio de humilitate. Ille dicitur habere perfectionem humilitatis vite, qui quanto est major, tanto est humilior, juxta illud Eccles. 3 : « Quanto magnus es, humilia te in

Digitized by Google

omnibus. » Ita fecit beatus Marcus, quando enim fuit ad fidem conversus, habuit tantam scientiam theologie, quod effectus est secundus evangelista. Mattheus fuit primus, Marcus secundus. Ecce quantam gratiam fecit Deus, et sicut scripsit evangelium, ita predicabat, et dicta sua confirmabat miraculis. Quando enim predicabat de Trinitate, quod erant tres persone, et unus Deus, non solum hoc confirmabat autoritate, sed etiam miraculo, suscitando mortuum sibi adductum, dicendo : Sicut est verum quot Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Deus, ita corpus, et anima, et vita : ista tria uniantur in isto. Et statim suscitabatur. Item quando predicabat de Incarnatione, de Passione et Resurrectione. Item aliis confirmabat miraculis, et poterat dicere : « Non audeo aliquid loqui eorum que per me non efficit Christus. » (Rom. 15.) Et cum toto hoc erat ita humilis quod pro nullo se habuit. Videns enim quod papa, sc. beatus Petrus tantum ipsum diligebat, ex humilitate, ne faceret ipsum sacerdotem nec episcopum, abscidit sibi pollicem. Magnum mirabile fuit : nonne esse sacerdotem est bonum ? — Imo, si habet tria, sc. claram scientiam, sanctam vitam, et bonam famam, alias melius esset clerico non habere manus nec pedes.

Debet enim primo habere scientiam claram, ut intelligat quod legit, ad minus ad literam, et sciat sacramenta Ecclesie, et formam eorum. Beatus Marcus qui erat tantus theologus, non reputabat se sufficientem ad sacerdotium. Ideo abscidit pollicem ut non promoveretur. Modo autem quilibet se reputat sufficientem, et dicunt infinitos errores in evangelio, etc. Et quando deberent studere, dant se ad venandum et ludendum, et faciunt se procuratores, et illa ignorantia vadunt ad infernum : « Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. » (Osee 4.)

Secundo in sacerdote requiritur sancta vita, ut vivat sc. caste et honeste, quia habet tractare corpus Dominicum suis manibus, cujus lingua aperit celum. Ideo debet cavere a mendaciis et blasphemiis. Corpus sacerdotis est sepulchrum Christi : cogitate quantam sanctitatem debet habere in vita. Et quod peccatum illorum, qui projiciunt corpus suum in latrinam luxurie, majus peccatum est quam si duo projicerent sanctum sepulchrum Christi in cloacam. Ideo dicit scriptura : « Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur ne percutiat eos. » (Exod. 19.) Ideo beatus Marcus licet esset sanctus, tamen non reputabat se dignum.

Tertio debet habere sacerdos bonam famam. Non sufficit clerico quod secrete sit bonus, sed quod omnes dicant bonum de eo. Antiquitus quando unus clericus transibat per viam vel per vicum, licet tarde transiret, omnes assurgebant dicendo : Deus me habeat in vestris orationibus. Modo autem sunt tot vitia et vanitates sacerdotum et clericorum,

Digitized by Google

quod pejus loquuntur de ipsis quam de Judeis, ex eorum mala vita: « Vos sacerdotes... contemptibiles omnibus populis. » (Malach. 2.) Ecce ratio quare beatus Marcus, licet haberet claram scientiam, sanctam vitam, et bonam famam, tamen non reputabat se dignum sacerdotio ex humilitate. Ideo abstulit sibi pollicem. Sed Deus providit, quia beatus Petrus vocavit eum, volens eum ordinare in sacerdotem et episcopum Alexandrie. Respondit: Pater, non est possibile, ostendit sibi pollicis defectum. Sed beatus Petrus oravit, et curatus est, et factus est sacerdos et episcopus Alexandrie. Ideo Luc. 18: « Omnis qui se humiliat exaltabitur. »

Tertium magnum bonum beati Marci fuit devotio de sanctitate, que est quando homo in omnibus que facit et dicit dat gloriam et honorem Deo. Multa bona opera perduntur, quia multi nesciunt dare honorem Deo, sed dant honorem suis operibus. V. gr.: Quare facitis filium sacerdotem? Ut vivat delicate, et inquiete; hic deficit devotio sanctitatis; sed bene si facitis filium sacerdotem ut oret pro vobis, et Deus ex eo laudetur et glorificetur. Item si facitis filium religiosum ut sit abbas, vel magister in theologia, vel episcopus. Idem de remissione injuriarium amore hominum. Istud opus perditur, quia in judicio quando Christus dicet vobus: Ecce quid ego feci pro te, quid fecisti tu pro me? Si tu vis dicere: Domine, ego remisi mortem patris, etc. Dicit Christus: Amore cujus regis? Respondens: Pro amore talis Domini qui me rogabat, etc. Et Christus: Ideo vadas ad eum ut det tibi paradisum, qui habebit satis facere ut habeat pro seipso. Sed quando remissio fit pro amore et honore Dei, tunc est devotio sanctitatis. Ideo apostolus: « Regi seculorum immortali, soli Deo honor et gloria. » (1 ad Timoth. 1.) Sic fecit beatus Marcus, qui venit Alexandriam, ubi predicando et miracula faciendo convertit innumerabiles homines, et fuit sibi dictum quod rectores terre indignabantur contra eum. Respondit: Non curo, ex quo ego do honorem Deo in omnibus. Cum autem ibi jam multiplicatis fratribus, et Ecclesia ab eis constructa miraculis corruscaret, et ipse cum in festo pasche concurrente tunc cum festo gentilium celebraret divina, ligato fune ad collum ejus traxerunt eum per civitatem gratias agentem. Deinde occluso eo in carcere, apparuit ei angelus primo, et secundo Dominus Jesus Christus confortans eum. Cum autem in crastino traherent eum per civitatem ut prius, oravit dicendo: « In manus tuas Domine commendo spiritum meum. » Et tradidit spiritum. Cum autem reliquias ejus vellent comburere, tanta facta est tempestas quod fugerunt gentiles. Et viri religiosi sepelierunt corpus ejus quod postmodum apud Venetias est translatum. Igitur « in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria, et imperium in secula seculorum, amen ». (1 Pet. 4.)

Digitized by Google

Le ms de Valence, d'ailleurs tout semblable, est sensiblement plus faible. Les mots catalans et les formules de basse latinité : *secundum scitis,* comme vous savez ; *non poterat ingredi in intellectu quod...* il ne pouvait pas entrer dans sa tête que..., ne nous apprennent plus rien. Ce qui ressemblerait à une idée est sans caractère (1) :

Et modo queritur quare beatus Marcus fugiebat dignitatem sacerdotalem, quia pollicem sibi abscidit.— Respondeo : Quod ideo quia licet esse presbyterum et episcopum bonum sit, tamen est periculosum ; nam magna perfectio requiritur ad illud, ut quis sit dignus ad vocandum Filium Dei cum ore suo in sacrificio altaris. Et sancti Patres fugiebant a similibus, reputantes se indigni ad tantum ministerium. Et ideo beatus Marcus licet esset sanctus et perfectus, reputabat se indignum ad illud, juxta illud Luce 12 : « Cui multum datum est, multum queretur ab ipso. »

On y trouve cependant le quatrième point du canevas développé ainsi qu'il suit :

Quartum magnum bonum beati Marci : « Fuit de spirituali devotione », et maxime in nomine *Jesu.* Nam cum dicebat Jesus, semper inclinabat caput, et osculabatur crucem factam in manibus cum pollicibus, et hoc in publico ; sed in secreto, faciebat crucem in terra, et osculabatur ibi. Et ideo quia tantam devotionem habebat in nomine Jesu, per virtutem ejus curabat infirmos, claudos, et cecos, et surdos, et ressuscitabat mortuos, et ita habebat spiritualem devotionem. Et ad hoc fecit unum miraculum. Quoniam cum ipse beatus Marcus fuisset electus in episcopum, et accessisset pedester ad recipiendam possessionem sui episcopatus, contigit quod sotularis suus fuit ruptus, et *foradatus.* Et inveniens *sutorem* rogavit eum ut sueret sotularem. Et cum fecisset cum *alesna,* foradavit sibi manum ; propter que fuit scandalizatus contra beatum Marcum dicendo : « Male venissetis et invenissem te *(sic)*, quia hoc habeo propter te. » Et tunc beatus Marcus expuit in terram, et de luto ita facto posuit in foramine manus faciendo crucem cum nomine Jesus, et statim nihil apparuit in manu. Et ut ista faceret propter spiritualem devotionem, dicebat : « Ego non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum. »

(1) Il ne faut pas perdre de vue que ce ms de Valence est un recueil de *mementos* dictés le soir, après les dures fatigues de la journée. La forme y est complètement négligée. C'est pourquoi le sermon prononcé le lendemain, sur le même plan, est ordinairement préférable.

Digitized by Google

Et modo moraliter. Vos videtis quod apostoli curabant infirmos et faciebant multa miracula per virtutem istius nominis Jesus, tamen idem potestis vos facere, si habetis devotionem in eo, ut Marc. ult.: « Qui crediderint in nomine meo demonia ejicient », etc. Et nota quod dicit : Crediderint ; non dicit : apostoli fuerint et sancti, etc. Et ideo qui signaverint devote cum isto nomine Jesus super plaga vel infirmitate sine dubio, si salus debet esse anime, Deus dabit sanitatem et curabitur paciens. Et ideo, bona *gent,* in vestris necessitatibus recurratis ad nomen Jesus et non ad divinos. Item si vestra bestia habet malum in pede vel alibi, faciatis *Jesus* devote ; nam jam dicit David in ps.: « Jumenta et homines salvabis, Domine. »

De perfecta dilectione quam habuit beatus Marcus erga Deum, plures sunt gradus dilectionis : Primus est dare verba pro Deo instruendo, predicando et consulendo, etc. Secundus est dare pecuniam et bona temporalia pro Deo, et iste major primo. Tertius dare placita mundi Deo, sc. affligendo carnem, disciplinando et martyrizando se, et dando vitam pro Deo. Et iste est major superioribus : « Majorem dilectionem nemo habet... pro amicis suis. » (Joan. 15.) Et hunc gradum dilectionis habuit beatus Marcus, nam sustinuit pro Deo martyrium. Et ecce quomodo : nam cum staret celebrando in altare, cum corda ad collum receperunt eum, et *rastrando* portaverunt eum ad carcerem. Et ibi Deus confortabat eum, et quod non fuit mortuus. Sed post venientes ad eum, cum non invenissent eum mortuum, extraxerunt et rastrabant quod a *pedaços* de cruribus et costis *arrincabatur* caro. Et ita finaliter finivit dicendo : « In te, Domine, speravi... In manus tuas commendo spiritum meum. »

Et modo hic venit una questio, cum hic dicatur quod magnum meritum fuit consecutus beatus Marcus : quid valet magis ad meritum consequendum effundere sanguinem disciplinando se, vel per martyrium ? Et dico quod tanto pro tanto magis valet effundere sanguinem voluntarie quam per martirium, quia quando voluntarie, fit propter caritatem que est virtus majore pacientia, propter quam suffertur martirium, ut habetur 1 Cor. 18 : « Major horum caritas ». Et ideo, bona *gent,* effundatis sanguinem disciplinando vos maxime propter caritatem, ut habetur Hebr. 12 : « Recogitate eum qui talem sustinuit », etc.

Digitized by Google

De sancto Vitale, martyre*

Beatus vir qui in sapientia morabitur.
(Eccl. 14.)

Nota tria signa et opera sapientie vere.
Ordinare suam intentionem ;
Evitare culpe offensionem ;
Congregare bonam operationem.

De primo, secundum philosophum sapientis est ordinare, sc. opera sua, in debitum finem. De gubernatore navis patet : Sed heu ! quia Deut. 32 dicitur : « Gens absque consilio est », etc. Nota quod dicitur : « Novissima providerent » ; nam gubernans navem in novissima navis parte se ponit. Sic et nos, juxta illud : « In omnibus operibus tuis », etc. (Eccl. 7.)

De secundo, sapientia contrariatur peccato sicut calidum frigido. Secus de scientia. Ecclesiastici 3 : « Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis. » Nota exemplum in serpente cavente incantationem, juxta illud ps. 57 : « Furor illis secundum similitudinem serpentis », etc. « Estote ergo prudentes sicut serpentes. » (Mat. 10.)

De tertio, ad sapientiam pertinet gubernare omnes potentias anime, et etiam omnia corporis membra. Ideo : « Que desursum est sapientia.. fructibus bonis. » (Jac. 3.) Nota exemplum in formica, juxta illud Prov. 6 : « Vade ad formicam, piger », etc.

* Entre saint Marc et saint Pierre Martyr, il y a un canevas autographe pour la fête de saint Vital. Aucun recueil ne le mentionne. La raison en est sans doute que le sujet est resté dans le vague, comme on va le voir.

Digitized by Google

De beato Petro, martyre

(Canevas autographe)

Coronabitur qui legitime certaverit.
(II Tim. 2.)

Nota quod corona datur a Deo vincentibus :
Intellectum per simplicem credentiam ;
Voluntatem per humilem obedientiam ;
Carnem per nitidam continentiam ;
Dyabolum per utilem sapientiam ;
Mundum per rigidam patientiam.

Omnibus his modis fuit victor beatus Petrus ; ideo de ipso dicit thema : « Coronabitur », etc.

De primo, intellectus noster naturaliter querit rationem rei mirabilis et invise, antequam assentiat firmiter. Unde propter admirari inceperunt philosophi philosophari. Ideo secretis mirabilibus fidei simpliciter assentientes de hoc triumpho coronam meremur, II Tim. 4 : « Bonum certamen certavi, fidem servavi », etc. — Nota de beato Petro quomodo adhuc puerulus fidem defendit contra patruum. Item quomodo continue desiderabat et petebat mori pro fide.

De secundo, voluntas nostra naturaliter est liberi arbitrii, ideo contra proprium arbitrium obediendo propter Deum de hoc triumpho coronam meretur. Tob. 3 : « Hoc habet pro certo omnis qui colit te », etc. — Nota de beato Petro quomodo non solum divinis preceptis, sed etiam consiliis evangelicis intrando religionem fuit obediens. Ideo Deus e contrario obediebat sibi in miraculis. Nota de blasfemo heretico.

De tertio, caro nostra impudice concupiscit adversus spiritum ; ideo eam per continentiam castificando meremur etiam coronam de hoc triumpho. Sap. 4 : « O quam pulchra est casta generatio ! » etc. — Nota de beato Petro quomodo virginitatem illibatam semper servavit. Ideo ad tactum carnis sue, ymo etiam et vestium, infirmi curabantur.

De quarto, dyabolus adversarius Christianorum, tanquam leo rugiens circuit quem devoret. Ideo qui per sapientiam divine predicationis ipsum abjiciunt a cetu fidelium merito coronantur. I Pet. 5 : « Pascite qui in vobis est gregem Dei. » — Nota de excellentia predicationis beati Petri et pro fide et contra hereses. Hic dicatur de nube adducta contra estum solis mirabiliter.

De quinto, mundus iste pressuram tribulationum dat fidelibus

Digitized by Google

Christi, sed per finalem patientiam vincitur gloriose. Apoc. 2 : « Esto fidelis usque ad mortem. » Et Jac. 1 : « Beatus vir qui suffert tentationem. » — Nota martyrium beati Petri.

In Festo sancti Petri Mediolalensis, O. P.

Le début de ce sermon manque dans le ms de Valence : nous l'empruntons au recueil imprimé ; mais les développements sont autrement vivants dans le ms. Nous les reproduisons préférablement au recueil.

(Recueil imprimé)

Coronabitur qui legitime certaverit.
(Verbum istud habetur textualiter 2 ad Timoth. 2. Et recitatum est statim in epistola hodierna.)

Hodie per totum mundum in nostra religione predicatorum fit festum de beato Petro Martyre. Et sicut fit totum festum de eo, ita erit et sermo noster. Et habebimus multas bonas doctrinas ad instructionem virtutum, et correctionem peccatorum, et consolationem animarum nostrarum. Salutetur virgo Maria primo, etc.

Istud verbum propositum pro themate et fundamento sermonis habet talem intellectum : Ille coronabitur in celis corona glorie, qui legitime certaverit in hoc mundo per victoriam. Amore vestri ego quesivi quot bella habemus in hoc mundo, pro quibus habendo victoriam coronemur in celo. Et inveni quod quinque bella, in quibus vincentibus a Deo datur corona glorie in paradiso.

Primo contra nostram intelligentiam, de quo habemus victoriam per simplicem credentiam.

Secundo contra nostram voluntatem, de quo habemus victoriam per humilem obedientiam.

Tertio contra nostram carnem, et de illo habemus victoriam per puram abstinentiam.

Quarto contra diabolum, et de illo habemus victoriam per veram sapientiam.

Quinto contra mundum, de quo habemus victoriam per mansuetudinem et patientiam.

Omnibus his modis fuit victor beatus Petrus.

Dico primo quod in hoc mundo habemus prelium satis forte, sc. in

Digitized by Google

nostra intelligentia naturali. Intellectus enim noster naturaliter querit rationem rei mirabilis, et immense, et transcendentis, dicendo : Quomodo hoc est possibile ? Ac si modo diceretur ab aliquo : Noveritis quod ego vidi equos volare, statim intellectus cogitat et bellat dicens : Quomodo est possibile hoc, cum non habeant alas ? Item si dicatur quod ultra mare sunt homines qui habent unum pedem solum tam magnum quod tegunt se cum eo contra pluviam et solem, statim intellectus querit rationem antequam assentiat firmiter, ideo est regula philosophie, quod propter hoc admirari ceperunt philosophi philosophari, id est questiones facere ; maxime quando videbant eclypsim solis et lune, dicebant quare est hoc, quomodo est possibile ? et hujusmodi. — Modo nihil est tam extraneum et tam transcendens mirabile quam secreta fidei Christiane, sc. quod sunt tres persone distincte, et quod non sit nisi una essentia et divinitas trium personarum, statim intellectus bellat querens rationem. Sed vincitur per simplicem credentiam captivando et subjugando eum ad credendum illud quod dixit ille qui non potest mentiri, nec decipere, nec decipi ; et sui apostoli predicaverunt. et Ecclesia affirmat et determinat. — Item de sacramento altaris, quod ex verbis ipsius sacerdotis forte peccatoris celum aperiatur, et Christus descendat in hostiam, et etiam in multas hostias, ut vox mea in vestras aures, et cum dividitur hostia, non dividitur Christus, sed totus integer manet in qualibet particula, ut imago in speculo est in qualibet ejus parte. Statim intellectus querit quomodo est hoc possibile, et quomodo stat Christus in hostia sedendo, an jacendo, et hujusmodi. Sed victoria habetur per simplicem credentiam : Domine, ego credo simpliciter, ex quo vos ordinastis, et Ecclesia tenet, et tot miraculis est confirmatum. — Ista est victoria ex qua meremur coronam in celo, sic subjugando et captivando intellectum nostrum. De hoc dicit apostolus : « Destruentes omnem altitudinem... in obsequium Christi. » (2 Corinth. 10.) Ex tali victoria datur corona a Deo, non unius regni corruptibilis, que hodie habetur, et cras perditur, sed datur cotona glorie duodecim stellarum, ut dicitur de virgine Maria. Apocal. 11 : « Mulier amicta sole », etc. Moraliter potest dici de quolibet Christiano habente triumphum per simplicem credentiam. Ista mulier est anima Christiana, amicta sole, id est Christo. Et luna, sc. scientie philosophie sub pedibus ejus, non curando in his que fidei sunt de rationibus. In capite ejus corona stellarum duodecim, id est duodecim articulorum fidei, secundum quod fuerunt duodecim apostoli, qui articuli continentur in *Credo*. Ecce hic duodecim veritates tanquam duodecim stelle. Esset pulchra corona regine in qua esset stella matutina, pulchrior est corona que datur anime, que habet victoriam de intellectu suo. De qua dicit apostolus : « Fidem servavi, in reliquo, supple seculo, reposita est mihi corona. » (2 Timoth. 4.)

Digitized by Google

In isto bello habuit triumphum beatus Petrus martyr qui fuit Lombardus de civitate Cumana, ubi erant multi heretici et infideles, et ejus parentes omnes fuerunt infideles, inter quos exivit beatus Petrus ut rosa inter spinas...

(Manuscrit de Valence)

... Cum quadam die venisset de scola increpavit eum suus avunculus, et quesivit ab eo quam lectionem addiscebat : et dicebat sibi quod *Credo in Deum*. Et tunc avunculus dixit sibi quod quis sibi docuerat talem lectionem ? Et dixit quod Deus. Et respondit avunculus : Tu vadis deceptus, quia Deus, verum est quod creavit res invisibiles que sunt super celum, sed res visibiles et que sunt infra celum, et celum non fecit Deus sed demones. Et tunc respondit beatus Petrus quod ipse non credebat quod demones fecissent tam magnam rem sicut celum, et solem, et terram, et mare, sed Deus tantum creavit et fecit visibilia et invisibilia propter suam infinitam potentiam. Et tunc avunculus videns quod ita sibi respondebat sine metu, stupebat habere *minyo tatany et arlot* (puerulum ad huc sugentem ubera, et regem *Arlot*, sc. *humbrecito de poco que llamaban rey por desprecio, uno que cree saber todo*). — Et tu dicis hoc propter tuam ignorantiam et presumptionem. Et tunc videntes et stantes sibi dicebant : « Non *tabuxetis* eum ita ; [*tarabuster*], sed rationem altercate cum ipso. » Et tunc dixit avunculus : « Placet mihi, nam cum modica ratione istum puerulum presumptuosum vincam. » Et dixit : « Fatue puer et *Arlot*, quomodo potes dicere quod Deus creavit res corporales, sc. aurum et argentum, etc., cum sint mala propter que quis peccat et dampnatur ? Nam Deus non potest facere malum nec esse causa peccati, nec vult ut quis faciat peccatum. Et ideo diabolus creavit talia mala ut temptaret nos per que faceret nos dapnare. » — Et tunc respondit beatus Petrus quod ipse credebat quod Deus omnia creaverat bona non obstante ratione sua, quia cum dicit quod erant mala et causa peccandi aurum et argentum, dico quod illud provenit ex defectu creature que inordinate cupit et utitur illis, quia Deus bona et ad bonum finem creavit. Et multi sunt qui bene utuntur et salvantur ; et ideo bona sunt de se. Et ita demones nil poterant facere nec creare in hoc mundo nec in alio, sed solus Deus, et omnia bona. Et ita credo. — Et tunc avunculus dabat ei *sceriafa (?), tabuxando* eum : *Eh ! tatany minyo !* altrecuidado ! [outrecuidant : *Ell que no ha sino* v *vel* vi *anyos, cuyda e quiere saber mas que los mayores.*]

Et ita videtis quomodo beatus Petrus vicit in hoc bello captivando et subjugando intellectum ad credendum. Et modo idem faciatis, bona *gent*, et ideo dicatis quotidie *Credo in Deum*, ut habetur Rom. 10 : « Si credis in toto corde tuo », etc.

Digitized by Google

Ad secundum, de *batalla* contra *sua propria voluntat,* per humilem obedientiam, nam licet manus cujuslibet hominis possint ligari, tamen naturaliter non propria voluntas, ut habetur Job 15 : « Deus ab initio constituit esse consilii sui. » Glossa : liberi arbitrii. Nam naturaliter tua voluntas inclinat te ad superbiam, et ad luxuriam quia tu es calide complexionis ; sed Deus mandat humilitatem et castitatem ; et ideo oportet vincere per humilem obedientiam. Item si inclinat te ad avariciam vel ad gulam, etc. Et ideo habetur Tob. 3 : « Hoc habet pro certo, Domine, omnis qui te colit... coronabitur. »

Et hanc *batallam* fecit et victoriam beatus Petrus, nam in omnibus preceptis Dei fuit obediens, et non solum in x preceptis sed in consiliis, nam contempsit mundum, quia non bene stabat inter spinas, et intravit religionem Dominici. Et, cum Prior vidisset eum, habuit magnum placitum de eo. Et beatus Petrus totam regulam et in ceremoniis ad unguem observavit vincendo suam voluntatem. Et est sic quod qui facit voluntatem Dei Deus facit voluntatem ejus, ut habetur Joan. 9 : « Si quis cultor Dei est », etc. — Et demonstratur in quodam miraculo, cum ipse disputasset cum quodam acuto infideli qui faciebat subtiles rationes. Et tunc beatus Petrus rogavit Deum quod si ille infidelis erat de numero suorum electorum, quod ei daret cognoscere errorem in quo stabat, alias ut faceret quod amplius non loqueretur ; et in continenti obmutescit quod non poterat loqui, nec voluit converti.

Et ideo, bona *gent,* si vultis ut Deus faciat quod vultis, faciatis quod ipse vult ; et si vultis coronari in gloria, licet non tam perfecte sicut beatus Petrus, tamen aliqualiter observetis decem precepta.

Ad tertium bellum contra propriam carnem. Et bene est fortis ista *batalla*, quod spiritus et caro de nocte et die semper stant *batallando,* et in stricto loco, sc. octo vel novem palmorum de longo et duos de *ancho,* nam corpus cujuslibet non habet plus. Et ideo Gal. 6 : « Caro concupiscit adversus spiritum », etc. Sed ista *batalla* vincitur jejunando, vel disciplinando, vel per cilicium, vel vigilando, etc.; et tunc cum caro que est fragilis fuerit *atediata* per continentiam, dicit spiritus : Dimitte me et dimittam te. Et isto modo coronabitur quis vincendo..., ut habetur Sap. 4 : « Quam pulchra est casta generatio cum caritate », etc. — Et dicit : cum caritate, ut continentia fiat respectu et amore Dei, non autem respectu et timore mundi et verecundie, ut multe mulieres que sunt caste timore mariti vel patris, vel justicie, vel scandali, vel alterius periculi mundani. Et idem de religiosis et presbiteris, etc. — Et hanc *batallam* vicit beatus Petrus, nam nunquam amisit virginitatem suam nec corporaliter nec mentaliter, sed cum veniebat sibi tentatio aliqua, cito faciebat in fronte et in corde : Jesus ! adjuva me. Et ideo conservavit se per multas abstinentias ; nam in tantum jejunabat quod non

Digitized by Google

poterat aperire *las barras* [*mâchoires*] ad comedendum. Sed quia propter servitium Dei receperat illud, Deus sanavit eum. Et quia tantam munditiam observavit quod Deus fecit sibi gratiam in manibus quod cum tangebat infirmos, illos curabat ; et etiam per tactum sui gremii quidam fuit curatus *de mal de vientre,* quia exiit quidam *lombric* magna de ventre ; et etiam alium curavit per tacturam gremii, ut latius videas in vita sua.— Et ideo, bona *gent,* belletis fortiter contra propriam carnem, et dabitur vobis corona sicut beato Petro.

Ad quartum bellum contra demones per sapientiam divinalem, nam demon ita cotidie de die ac nocte insidiatur personas quomodo poterit per suas tentationes facere dapnare, sicut leo stat insidiando circum circa oves ut eos devoret, ut habetur Pet. 5 : « Adversarius vester diabolus », etc. Et ideo stando in sancta vita et devotione et bonis operibus vincemus demones. Et habetur victoria duobus modis : primo conservando se in gratia Dei ; et ista bona *maneria* est vincendi demonem, sed melior est secunda, sc. quando quis non solum se conservat in gratia Dei non peccando, sed ultra lucratur multas animas per bonas doctrinas. Nam magis facit scutifer qui conservat castellum sibi commissum, et ultra illud lucratur alia castella. Et ideo magis remunerabitur a Domino. Sic est in proposito casu, lucrare alias animas predicando contra vicia et peccato. « Pascite qui in vobis est gregem.» (1 Pet.5.)— Et hanc victoriam habuit beatus Petrus multum valenter, nam non solum fuit contentus salvare suam animam, sed etiam lucrare infinitas animas per suam predicationem cui Deus dabat multam virtutem propter suam bonam vitam. Et ad hoc fecit unum miraculum. Cum quidam infidelis dixisset beato Petro predicanti quod faceret miraculum ut gentes qui audiebant ad solem multum calidum non sustinerent tantam *congoxam ;* et ipse dixit : Si tu convertis te ad fidem Christi, et promittis, ego virtute ejus faciam. Et ideo ibi stantes dixerunt sibi : Promitte. Et ipse noluit promittere. Sed non obstante, beatus Petrus rogavit Deum, et in continenti venit quedam *nubuleta* sicut *un papallo* super eos faciens umbram. — Et ita predicatores faciant bonam vitam, et predicacio habebit virtutem.

Ad quintum bellum contra istum mundum per finalem patientiam ; nam si aliquis religiosus est qui velit servare regulam ad litteram, alii mundani dicent ad hoc ut dicat missas beati Amatoris (?). Vel non permittunt vivere, sed dicunt : per hypocrisiam facit, etc. Item de vobis : si aliquis vult esse devotus, alii deridebunt eum, et quod vult esse singularis. Item si mulier vult dimittere vanitates et simpliciter accedere : « *Minoreta se fara ab maestro Vicente.* »

Et ita fecit beatus Petrus de Verona qui propter derisiones non dimisit bonam vitam facere, sed per finalem patienciam usque ad mortem perseveravit, ut habetur Joan. 2 : « Esto fidelis usque ad finem. » Et

Digitized by Google

fuit mortus *(sic)* per infideles qui persequebantur eum propterea quia convertebat multos ; et fuit ei *tracta* a multis religiosis quia reprehendebat vitia eorum. Et cum quadam die predicaret, *inspiritatus* predixit omnibus quod modice erat vita ejus ; nam infideles *spectabant* eum ut occiderent, et stabant eum spectando in itinere per quod accedebat de una villa in aliam. Et in itinere erant arbores *pins* et *carrasques* [*chênes verts*]. Et cum ambulassent, socius incepit *spavescere*, et spiritus ejus sentiebat jam quod eis post evenerat, et dixit beato Petro : Ecce, pater, pavorem habeo, et omnes spiritus mei commoventur, nunquid vos habetis hoc ? — Et respondit beatus Petrus : Ne timeas sed cantemus. — Et non putetis quod cantassent cantilenas vanas sicut vos communiter facitis, que omnes tendunt ad *papyrum (? sic)*. Jam *mentenen ?* [*Vous m'entendez ?*] Sed cantabant quemdam *ympnum* pascalem. Et beatus Petrus incepit primum versum sic : ... [*En blanc dans le ms.*] Et socius respondebat sequentem sic : ... [*En blanc.*] Et cum beatus Petrus diceret alium versum, sc. [*en blanc*] exierunt infideles armati *tenir amort* [*sic, bien écrit*]. Et primum ictum dederunt in capite cum uno *cladio* (gladio) magno quod usque ad medietatem capitis divisit sibi caput. Et tunc flexis genibus dicebat : « In manus tuas, Domine », etc. Et cum hoc dixisset, venit quidam alius, et *afinxit* gladium *de punta* in corde ipsius, et ita expiravit. Et anima ejus nunc est coronata in gloria. Et animam ejus recepit virgo Maria cum multis angelis qui exierunt sibi obviam et cum melodiis eum *atenderunt.* — Et ita recte potest dici thema : « Coronabitur qui legitime certaverit. »

Digitized by Google

De sanctis Tiburtio, Valeriano et Maximo *

(Canevas autographe)

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.
(Mat. 10.)

Bernardus: Virtus boni operis perseverantia est, sicut perfectio circuli est conjunctio linee ad suum principium.

Nota tria in quibus debemus finaliter perseverare:

Operando bonum diligenter;

Subportando malum patienter;

Exorando Deum reverenter.

De primo: Ratio hujus est perseverantia premii quantum Deus vivit: cui debet correspondere meritum quantum homo vivit. Mat. 25: « Quantum habundabit iniquitas », etc. Nota: usque in finem dicit, id est usque ad ipsum Christum; nam mercenarius portitor honeris *(sic)* pretiosi si antequam veniat ad Dominum projiciat honus in via, non meretur mercedem, sed supplicium. Mat. 11: « Venite ad me, omnes qui laboratis », etc.

De secundo: Ratio est conditio vite presentis, in qua sine adversitate non transitur; sicut longum viagium per mare. Hebr. 12: « In disciplina perseverate », etc. Nota: adversitatem vocat disciplinam, qua pater celestis filios flagellat. Tres rami hujus discipline sunt: afflictio penitentialiter voluntaria; tribulatio naturaliter necessaria; persecutio hostiliter adventaria. Prov. 3: « Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias. »

De tertio: Ratio est quia cum « omne datum optimum », quantum ad operationem boni, « et omne donum perfectum », quantum ad subportationem mali, « desursum sit » (Jac. 1), ipsa oratio reverentialis est quasi via per quam dona divine misericordie ad nos etiam indignos descendunt. Luc. 11: « Si perseveraverit pulsans », etc. — Nota exemplum de principe latronum dicente cotidie salutationem angelicam. Ps. 65: « Benedictus Deus, qui non amovit », etc.

* Cette fête se trouve dans le mois d'avril. Elle porte, dans le ms, la date: *Feria V de Trinitate*, date qui varie selon les années. Je n'ai trouvé nulle part le développement de ce canevas. On peut voir, du reste, qu'il peut s'appliquer à tous les saints.

Digitized by Google

De apostolis Philippo et Jacobo

(Canevas autographe)

Computati sunt inter filios Dei.
(Sap. 5.)

Inter sanctos apostoli dicuntur filii Dei; ratio est ista: Filiatio divina causatur in homine ex habitatione Spiritus Sancti per quam efficimur participes deitatis; sicut fetus conceptus non habet rationem humane filiationis donec infundatur spiritus rationalis qui complet humanitatem. — Nota ad hoc miraculum beati Petri martyris de muliere pariente frustum carnis. Ideo Rom. 8: « Quicumque spiritu Dei aguntur, si sunt filii Dei. » Item ps. 81: Ego dixi: « Dii estis et filii excelsi omnes. » Constat autem quod apostoli omnes excellenter fuerunt pleni Spiritu Sancto, et consequenter filii Dei. — Nota similitudinem digitorum in manu propter propinquitatem ad essentialem filium qui est principium Spiritus Sancti. Rom. 8: « Nos ipsi primitias spiritus habentes... Ipse enim... quod sumus filii Dei. » Recte ergo de apostolis Philippo et Jacobo propositum verbum dicit: « Computati sunt inter filios Dei. » — Nota hujus divine filiationis figura manifesta in eis, ex legenda eorum.

Primo: Dicatur hystoria Philippi cum opportunis moralitatibus.

Secundo: Historia Jacobi breviter et per conclusiones.

De sanctis Philippo et Jacobo, apostolis

(Recueil imprimé) *

Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei
(Habetur verbum istud textualiter, Sap. 5.)

Hodie est festum duorum gloriosorum apostolorum.

Et si de uno apostolo est magna solennitas, multo major de duobus. Ita et sermo erit de duobus apostolis. Et si placet Deo, habebimus bonas doctrinas ad virtutum instructionem, peccatorum correctionem, et vite reformationem. Sed primo salutetur virgo Maria, etc.

* Nous mettons le recueil imprimé avant le manuscrit de Valence parce que le plan de ce dernier est différent. Le ms de Toulouse est identique à l'imprimé.

Digitized by Google

Pro hujus verbi declaratione, sciendum quod inter omnes sanctos qui fuerunt a principio mundi, et sunt et erunt in posterum, qui prius et excellentius dicuntur filii Dei sunt apostoli. Licet omnes sancti, et devote persone dicantur filii Dei, magis proprie et super omnes apostoli dicuntur filii Dei. Ratio est ista. Nam filiatio divina causatur in homine ex vita spirituali, que habetur per gratiam et presentiam Spiritus Sancti, alias quantumcunque sit magnus, vel prelatus, vel magister, seu graduatus, si non habet vitam spiritualem, non est filius Dei, sed inimicus. Sicut enim fetus conceptionis non habet rationem humane filiationis, donec infundatur anima rationalis, que complet humanam vitam, et dat esse substantiale in specie humana. Nota ad hoc pulchrum miraculum beati Petri martyris de muliere pariente frustum carnis, etc. Patet ergo quod filiatio humana venit ex spiritu rationali, quo deperdito per mortem, illud corpus non dicitur filius nec filia vestra proprie loquendo. Ita licet homo sit genitus a Deo in baptismo, et sit confirmatus, et sit magnus Dominus, etc., nisi habeat vitam spiritualem, et Spiritum Sanctum secum per gratiam, non dicitur filius Dei, sed quando post baptismum et confirmationem homo vivit in vita spirituali, quia plus curat de anima, que est spiritus, et melior corpore, quam de corpore, dolet de peccatis preteritis, cavet de futuris, talis dicitur filius Dei : « Quicunque spiritu Dei aguntur, id est reguntur, hi filii Dei sunt. » (Rom. 8.) Item alia de veteri testamento, David loquens personis que tenent vitam spiritualem dicit : « Ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes. » (Psal. 81.) Nota : dii estis non essentialiter, sed per participationem.

Modo ad propositum. Constat quod inter omnes sanctos apostoli excellentius tenuerunt vitam spiritualem, et fuerunt pleni Spiritu Sancto. Nam doctrina est clara in sancta theologia, quia Christus est fons omnium gratiarum spiritualium, Ideo sancti qui fuerunt Christo propinquiores fuerunt magis spirituales, quia qui magis appropinquat Christo fonti spirituali, magis est spiritualis. Modo inter sanctos qui fuerunt ante Christum vel post eum, Apostoli fuerunt Christo propinquiores, quia cum ipso steterunt, comederunt, et biberunt. Ideo fuerunt magis spirituales et majores sancti. Nota similitudinem digitorum in manu ad digitum longiorem. Sancti patriarche qui ante Christum, fuerunt sancti et spirituales, sed magis sancti et perfecti fuerunt prophete, qui fuerunt Christo propinquiores, ut Moyses, David, et alii ; sed inter eos sanctior fuit Joannes Baptista, quia fuit Christo propinquior, quia Christum baptizavit. Unde dicit Christus de eo Nat. 1 : « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. » Virgo autem Maria super omnes fuit spiritualior, quia fuit Christo propinquior, quia ipsum portavit in utero novem mensibus. Post virginem autem majores sancti, et magis spirituales, et plus pleni Spiritu Sancto fuerunt sancti apostoli. Post eos sancti martyres, et post sancti confessores. Ultimo venimus nos qui jam

Digitized by Google

nihil valemus, non sumus nisi labrusca in vineis. Ideo dicebant apostoli : « Nosipsi primitias spiritus habentes. » Glosa : Quia tempore prius et ceteris abundantius. (Rom. 8.) Recte ergo de apostolis dicit thema : Ecce, sc. rationem et modum quomodo, sc. isti duo apostoli computati sunt inter filios Dei. — Patet thema.

Modo predicare de vita unius apostoli est magnus sermo, quanto magis de duobus apostolis ! Ideo dicam modicum de quolibet. In beato Philippo notavi tria signa divine filiationis, quorum, sc.:

Primum est dilectio spiritualis ;

Secundum predicatio evangelicalis ;

Tertium passio martyrialis.

Quantum ad primum, dilectio quam beatus Philippus habebat ad suos parentes et amicos tota erat spiritualis. Primus apostolus vocatus a Christo fuit Philippus, ut patet Joan. 1. Dixit sibi Christus : « Sequere me. » Nondum Christus hoc verbum dixerat alteri. Philippus vero illuminatus et instructus a Christo voluit etiam attrahere et ducere fratrem suum ad Christum, ut sibi daret aliquid non temporale, sed ut salvaret animam ejus, et ibat querendo fratrem suum Nathanaelem, qui erat magnus doctor in lege. Quo invento dixit sibi Philippus : « Quem scripsit Moyses in lege et prophete, invenimus Jesum. Veni et vide. » (Joan. 1.) Et duxit eum ad Christum, quasi vellet dicere : Domine, sicut me illuminastis et convertistis, illuminetis et convertatis fratrem meum.— Placet mihi, dixit Christus. Et dixit de Nathanaele : « Ecce vere Israelita in quo dolus non est. — Dicit ei Nathanael : Unde me nosti! Respondit Jesus et ait : Priusquam Philippus te vocaret, cum esses sub ficu vidi te. Tunc Nathanael a Christo illuminatus et conversus dixit Christo : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. » (Joan. 1.) Ecce quomodo ostenditur amor spiritualis beati Philippi erga fratrem suum. In hoc deficimus modo in mundo, quia tota dilectio nostra ad parentes et amicos est carnalis, diligimus corpora, honores, et officia, etc., comedere, et bibere, ridere, et truffari ; valde pauci sunt qui habeant amorem spiritualem, diligendo animam alterius, eum inducendo ad bonam vitam, omni tamen homini precipit Christus dicens : « Hec mando vobis ut diligatis invicem. » Domine, et quali amore? Respondet : Sicut dilexi vos amore spirituali. (Joan. 15.) Ideo bonus vir debet diligere uxorem suam, non solum dilectione seu amore carnali, sed etiam spirituali: Quia si vir sit bonus et devotus, et uxor vana et pomposa, vir debet tenere bonos modos ut eam trahat ad Christum, et econverso uxor virum ribaldum, et parentes filios suos justruendo ut sciant se signare et orare, etc. Etiam debent dare oportunitatem audiendi missam, confitendi, etc., vicinus vicinum, socius socium, religiosus alium religiosum, clericus clericum trahant ad Christum, quantum possunt bonis modis.

Digitized by Google

Ista est dilectio spiritualis, bona, et sancta. Ideo dicit scriptura : « Sponsus et sponsa dicunt : Veni. » (Apoc. ult.) Sponsus est Christus, sponsa est ecclesia, qui dicunt : Veni, sc. ad paradisum, dimittas vias inferni. Tu enim vadis per viam superbie que ducit ad infernum. Ideo veni per viam humilitatis, et sic de aliis. Et qui audit, sc. verbum Christi, obediendo discat, sc. alteri : Veni.

Quantum ad secundum signum filiationis divine beati Philippi, fuit predicatio evangelica sive apostolica. Postquam enim diu vixit cum Christo spiritualiter, finaliter post Christi passionem, ascensionem, et Spiritus Sancti receptionem, Philippus memorans verbum Christi dicentis : « Eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judea, et Samaria, et usque ad ultimum terre. » (Act. 1.) Nota : Eritis mihi testes de vita mea, conversatione, predicatione, passione, resurrectione, et ascensione. Propter hoc beatus Philippus primo incepit predicare in Hierusalem in plateis et vicis civitatis, ubi fecit magnum fructum, convertendo multos ad fidem Christi. Deinde per villas et castra predicando visitavit totam Judeam. Deinde transivit ad provinciam Samarie. Deinde transivit ad Asiam que est major pars mundi. Dicit historia quod innumerabiles ad fidem Christi convertit. Ideo Philippus dicitur os lampadis, propter suam luculentam predicationem. Lampas enim habet os latum, secundo est uncta oleo, tertio est clara ad illuminandum. Ita os beati Philippi fuit latum ad predicandum, ubique unctum, et medicinale ad convertendum populos multos, clarum ad illuminandum corda gentium. Ergo dicitur per prophetam : « Si separaveritis preciosum a vili, quasi os. » etc. (Hier. 15.) Preciosa res est fides catholica, vilis est error et idolatria. Hoc seperabat beatus Philippus ore predicando. Item preciosa res est virtus, vilis res est vitium. Hoc separabat beatus Philippus. Idem de superbia et humilitate, avaritia et liberalitate, luxuria et castitate, et sic de aliis, beatus Philippus separabat preciosum a vili, quia superbum convertebat, et faciebat ipsum humilem, et sic de aliis. Ideo sequitur. Ipsi convertentur ad te, sc. ad fidem quam tu predicas. Et tu non converteris ad eos, sc. ad eorum sectam et errorem.

Est hic questio quomodo unus homo simplex secundum mundum tantos populos convertebat, quia erant antiquati in eorum secta mala, et statim credebant et convertebantur ad Christum. Idem de peccatoribus assuetis in peccatis, et statim convertebantur ad virtutes, et modo cum simus tot predicatores, non possumus convertere unum infidelem, imo jam conversi pervertuntur, quia apostoli converterunt quasi totum mundum, quia in omnem terram exivit sonus eorum, etc., et modo multi perversi sunt. Pro responsione dicatur quomodo apostoli habebant tria, quare neque mirum si gentes convertebantur : sc. primo doctrina apostolorum tota erat celestis, inclinando gentes ad amorem Dei, et ad

Digitized by Google

amandum celestia. Modo autem doctrina multorum tota est poetarum damnatorum, quomodo ergo poterit aliquem salvare talis doctrina? Aures tangit nubibus atris, etc., sed non convertit corda. Doctrina celestis et evangelica habet oppositum, non habet illas cadentias doctrine poetarum, sed doctrina evangelica frangit et penetrat corda, et illuminat intellectum, et inflammat voluntatem. Detur exemplum de aqua, que ascendit naturaliter tantum quantum descendit. Si vero procedit a principio infirmo, non potest ascendere. Ita est de doctrina evangelica, que ab altissimo principio procedit ab illo fonte, de quo Eccl. 1 : « Fons sapientie verbum Dei in excelsis. » Ideo facit ascendere personam devote predicantem, et ipsum observantem usque ad celum. Sed aqua doctrine poetarum procedit a principio et fonte humani intellectus, quomodo ergo faciet te ad celum ascendere? Propter hoc dicebat Christus : « Omnis qui bibit ex hac aqua, sc. doctrine philosophie secundum intellectum allegoricum, sitiet iterum. Qui autem biberit aquam quam ego dabo ei, non sitiet in eternum. » (Joan. 4.) Et quia beatus Philippus predicabat doctrinam evangelicam et celestem, et disputabat sine forma philosophie, simpliciter dicendo verba fidei, gentes credebant et convertebantur, quia hoc promiserat eis Christus dicens : « Ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere. » (Luc. 21.)

Secunda ratio est quia apostoli habebant vitam spiritualem, non curabant de bonis hujus mundi, imo dicebant gentes : Quid vult iste homo, vult pecunias an dignitates? Respondebant alii : Non. Ergo quid vult? Dicebant alii : Nihil aliud vult nisi honorem Dei et salvationem animarum. Jejunabant, faciebant magnas penitentias et afflictiones in suis personis, vitabant familiaritates. Nos vero modo nescimus predicare nisi pro vanitate, ut videamur, et laudemur, vel pro pecuniis acquirendis, vel pro familiaritatibus habendis. Non est ista vita spiritualis, quia in mala hora intrastis religionem, quia licet litera regis vel pape sit optime ordinata, et colore rhetorico falerata, si vero non habet sigillum non credatis aliquid. Ita sermo rhetoricus et optime ordinatus est ut litera regis Christi vel pape, sed quando ille qui predicat caret sigillo bone vite, non creditur sibi. Ista est causa quare modo non convertuntur infideles nec peccatores. Apostoli autem habebant vitam spiritualem, et sicut dicebant ore, ita servabant opere. Ideo credebatur eis. Ideo Apostolus : « Non audeo aliquid loqui eorum que per me non efficit Christus. » (Rom. 15.)

Tertia ratio : non solum habebant doctrinam celestem, et vitam spiritualem, sed etiam habebant opera divina, sc. in miraculis que faciebant, quia quando predicabant de articulis fidei, ut de Trinitate, de Incarnatione Christi, et Passione, resurrectione, et Ascensione, probabant hoc non solum autoritatibus sacre scripture, sed etiam per demonstrationem

Digitized by Google

Ista est dilectio spiritualis, bona, et sancta. Ideo dicit scriptura : « Sponsus et sponsa dicunt : Veni. » (Apoc. ult.) Sponsus est Christus, sponsa est ecclesia, qui dicunt : Veni, sc. ad paradisum, dimittas vias inferni. Tu enim vadis per viam superbie que ducit ad infernum. Ideo veni per viam humilitatis, et sic de aliis. Et qui audit, sc. verbum Christi, obediendo discat, sc. alteri : Veni.

Quantum ad secundum signum filiationis divine beati Philippi, fuit predicatio evangelica sive apostolica. Postquam enim diu vixit cum Christo spiritualiter, finaliter post Christi passionem, ascensionem, et Spiritus Sancti receptionem, Philippus memorans verbum Christi dicentis : « Eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judea, et Samaria, et usque ad ultimum terre. » (Act. 1.) Nota : Eritis mihi testes de vita mea, conversatione, predicatione, passione, resurrectione, et ascensione. Propter hoc beatus Philippus primo incepit predicare in Hierusalem in plateis et vicis civitatis, ubi fecit magnum fructum, convertendo multos ad fidem Christi. Deinde per villas et castra predicando visitavit totam Judeam. Deinde transivit ad provinciam Samarie. Deinde transivit ad Asiam que est major pars mundi. Dicit historia quod innumerabiles ad fidem Christi convertit. Ideo Philippus dicitur os lampadis, propter suam luculentam predicationem. Lampas enim habet os latum, secundo est uncta oleo, tertio est clara ad illuminandum. Ita os beati Philippi fuit latum ad predicandum, ubique unctum, et medicinale ad convertendum populos multos, clarum ad illuminandum corda gentium. Ergo dicitur per prophetam : « Si separaveritis preciosum a vili, quasi os. » etc. (Hier. 15.) Preciosa res est fides catholica, vilis est error et idolatria. Hoc seperabat beatus Philippus ore predicando. Item preciosa res est virtus, vilis res est vitium. Hoc separabat beatus Philippus. Idem de superbia et humilitate, avaritia et liberalitate, luxuria et castitate, et sic de aliis, beatus Philippus separabat preciosum a vili, quia superbum convertebat, et faciebat ipsum humilem, et sic de aliis. Ideo sequitur. Ipsi convertentur ad te, sc. ad fidem quam tu predicas. Et tu non converteris ad eos, sc. ad eorum sectam et errorem.

Est hic questio quomodo unus homo simplex secundum mundum tantos populos convertebat, quia erant antiquati in eorum secta mala, et statim credebant et convertebantur ad Christum. Idem de peccatoribus assuetis in peccatis, et statim convertebantur ad virtutes, et modo cum simus tot predicatores, non possumus convertere unum infidelem, imo jam conversi pervertuntur, quia apostoli converterunt quasi totum mundum, quia in omnem terram exivit sonus eorum, etc., et modo multi perversi sunt. Pro responsione dicatur quomodo apostoli habebant tria, quare neque mirum si gentes convertebantur : sc. primo doctrina apostolorum tota erat celestis, inclinando gentes ad amorem Dei, et ad

Digitized by Google

amandum celestia. Modo autem doctrina multorum tota est poetarum damnatorum, quomodo ergo poterit aliquem salvare talis doctrina? Aures tangit nubibus atris, etc., sed non convertit corda. Doctrina celestis et evangelica habet oppositum, non habet illas cadentias doctrine poetarum, sed doctrina evangelica frangit et penetrat corda, et illuminat intellectum, et inflammat voluntatem. Detur exemplum de aqua, que ascendit naturaliter tantum quantum descendit. Si vero procedit a principio infirmo, non potest ascendere. Ita est de doctrina evangelica, que ab altissimo principio procedit ab illo fonte, de quo Eccl. 1 : « Fons sapientie verbum Dei in excelsis. » Ideo facit ascendere personam devote predicantem, et ipsum observantem usque ad celum. Sed aqua doctrine poetarum procedit a principio et fonte humani intellectus, quomodo ergo faciet te ad celum ascendere? Propter hoc dicebat Christus : « Omnis qui bibit ex hac aqua, sc. doctrine philosophie secundum intellectum allegoricum, sitiet iterum. Qui autem biberit aquam quam ego dabo ei, non sitiet in eternum. » (Joan. 4.) Et quia beatus Philippus predicabat doctrinam evangelicam et celestem, et disputabat sine forma philosophie, simpliciter dicendo verba fidei, gentes credebant et convertebantur, quia hoc promiserat eis Christus dicens : « Ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere. » (Luc. 21.)

Secunda ratio est quia apostoli habebant vitam spiritualem, non curabant de bonis hujus mundi, imo dicebant gentes : Quid vult iste homo, vult pecunias an dignitates? Respondebant alii : Non. Ergo quid vult? Dicebant alii : Nihil aliud vult nisi honorem Dei et salvationem animarum. Jejunabant, faciebant magnas penitentias et afflictiones in suis personis, vitabant familiaritates. Nos vero modo nescimus predicare nisi pro vanitate, ut videamur, et laudemur, vel pro pecuniis acquirendis, vel pro familiaritatibus habendis. Non est ista vita spiritualis, quia in mala hora intrastis religionem, quia licet litera regis vel pape sit optime ordinata, et colore rhetorico falerata, si vero non habet sigillum non credatis aliquid. Ita sermo rhetoricus et optime ordinatus est ut litera regis Christi vel pape, sed quando ille qui predicat caret sigillo bone vite, non creditur sibi. Ista est causa quare modo non convertuntur infideles nec peccatores. Apostoli autem habebant vitam spiritualem, et sicut dicebant ore, ita servabant opere. Ideo credebatur eis. Ideo Apostolus : « Non audeo aliquid loqui eorum que per me non efficit Christus. » (Rom. 15.)

Tertia ratio : non solum habebant doctrinam celestem, et vitam spiritualem, sed etiam habebant opera divina, sc. in miraculis que faciebant, quia quando predicabant de articulis fidei, ut de Trinitate, de Incarnatione Christi, et Passione, resurrectione, et Ascensione, probabant hoc non solum autoritatibus sacre scripture, sed etiam per demonstrationem

Digitized by Google

evidentem seu potissimam, sc. per miraculum. Ideo neque mirum si convertebantur gentes. Ideo dicitur de Apostolis : « Illi autem predicaverunt sequentibus signis. » (Mar. ult.) Dicam vobis unum singulare de beato Philippo, qui predicando per Syriam venit ad quandam civitatem ubi erat quidam draco terribilis qui emittebat anhelitum ut furnus de calce emittit fumum, et corrumpebat omnes de illa civitate, et interficiebat multos. Quibus dixit Philippus : Credite mihi, et statuam istam confringite, et in loco ejus crucem Domini adorate, ut infirmi vestri curentur, et sanentur, et mortui suscitentur. Et inceperunt clamare dicendo : Tantum fac ut sanemur, et hunc Martem protinus confringemus. Tunc sanctus Philippus draconi precepit ut in locum desertum iret, et nulli noceret. Qui statim recessit, et ulterius non comparuit. Tunc sanctus Philippus omnes sanavit, et tribus mortuis ex dracone beneficium vite impetravit. Sicque universis credentibus eis presbyteros et diaconos ordinavit.

Nota moraliter : Draco corrumpens communitatem est nobilis persona vivens in mala vita, quia ejus exemplo omnes corrumpuntur. Si in aliquo loco est aliquis clericus vel religiosus concubinarius, talis dicitur et est draco corrumpens et occidens omnes, audiendo missam suam, etc. Sed habetis duo remedia, sc. primum intimare prelato, secundum quod rectores faciant ordinationem quod omnes male mulieres essent in lupanari, etc., et sic draco exibit de vobis, et infirmi et mortui ex peccatis suscitabuntur, etc. Ideo dicit scriptura : « Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit ? Auferte malum ex vobismetipsis. » (1 Cor. 5.) Vide ibi pulchra.

Quantum ad tertium signum divine filiationis, est ejus passio martyrialis. Pro Christo enim sustinuit martyrium. Unde cum predicasset, et multos populos convertisset, et esset jam annorum octoginta septem, post hec infideles eum tenuerunt, et cruci ad instar magistri sui, sc. Jesu Christi quem predicabat affixerunt, et crucifixum etiam lapidaverunt eum. Et sic ad dominum migravit, et feliciter vitam complevit. Moraliter : Ita nos velimus mori in cruce penitentie, quia sicut crux fuit Christo afflictio, sed in ea voluit mori, ita penitentia est afflictio, et in illa oportet nos mori si volumus salvari. Ideo apostolus : « Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » (Gal. 5.)

Modo videamus de vita beati Jacobi que est longa, sed eam dicam breviter in decem conclusionibus.

Prima conclusio quare dicitur Jacobus minor, ad differentiam Jacobi Zebedei fratris Joannis exangeliste, qui dicitur major, eo quia prior fuit apostolus Christi. Unde hec consuetudo in religionibus observatur, ut ille, qui ingreditur prior, major vocetur, et ille qui posterior, minor,

Digitized by Google

licet sit prior etate, aut sanctitate, vel dignitate. Ideo dicebat apostolus de se : « Ego sum minimus apostolorum. » (1 ad Cor. 15), cum tamen sit de majoribus in dignitate et sanctitate. Sed quia ultimus fuit vocatus ad apostolatum, dicit : Ego sum minimus, etc. — Secunda conclusio quod dicebatur Jacobus justus, propter meritum excellentissime sanctitatis. Nam secundum Hieronimum tante reverentie et sanctitatis fuit, quod vinum et siceram non bibit, carnes nunquam manducavit. — Tertia conclusio quod dicebatur Jacobus frater Domini. Sed quomodo? Quia certum est quod virgo Maria non peperit nisi Christum Jesum, quomodo ergo dicitur frater Domini, cum non esset nisi consanguineus germanus filius Marie Cleophe? Sed dicebatur frater Domini, quia simillimus sibi fuisse perhibetur intantum ut plerique in eorum specie fallerentur. Unde cum Judei ad capiendum Christum pergerent, a Juda qui Christum a Jacobo tanquam eorum familiaris optime discerneret, signum osculi acceperunt, dicente Juda : « Quemcumque osculatus fuero ipse est, tenete eum », etc. (Mat. 26.) Tanta erat similitudo eorum quod sanctus Ignatius qui erat in Antiochia, et nunquam viderat Christum, in epistola ad beatum Joan. dicit : « Si licitum est mihi apud te, ad Hiurosolyme partes volo acedere, ut videam illum venerabilem Jacobum qui cognominatur justus, quem referunt Christo Jesu simillimum facie, vita, et modo conversationis, ac si ejusdem uteri frater esset gemellus. Quem, dicunt, si video, video et ipsum Jesum Christum, secundum omnia corporis ejus lineamenta. » — Quarta conclusio quod erat magne orationis et devotionis. Toties in oratione genua flectebat, ut callos in genibus sicut in calcaneis videretur habere. Hic solus inter apostolos propter nimiam sanctitatem suam permittebatur intrare in sancta sanctorum, non quidem causa immolationis sed orationis. — Quinta conclusio quod mortuo Domino in die veneris sancta, votum vovit se non comesturum donec videret Dominum a mortuis surrexisse, sicut dicunt Hieronymus et Josephus in libro de viris illustribus. In ipsa autem die resurrectionis cum usque ad diem illam non gustasset, eidem Dominus apparuit, ac eis qui cum eo erant et dixit : Ponite mensam et panem. Deinde panem accipiens benedixit, et dedit Jacobo dicens : Surge, frater mi, comede, quia filius hominis a mortuis resurrexit. — Sexta conclusio, quia primus inter apostolos missam celebravit. Nam propter excellentiam sue sanctitatis sibi hunc honorem apostoli fecerunt. In Antiochia Petrus missam celebravit. Marcus in Alexandria. Jacobus in Hierusalem. Quando apostoli debebant ire ad predicandum per mundum, tenuerunt consilium quis eorum esset episcopus Hierusalem, et fuit conclusum quod Jacobus. O qualis honor, in civitate ubi incepit Christianitas, ubi Christus passus est ! Apostoli autem omnes erant sacerdotes et episcopi ordinati a Christo, sed non ut in certis

Digitized by Google

civitatibus essent episcopi. — Septima conclusio, quia habuit singularem patientiam. Unde cum septimo anno episcopatus ejus apostoli ad diem pasche convenissent, interrogante eos Jacobo quanta per eos fecisset Dominus, coram populo referebant. Cum ergo septem diebus Jacobus cum aliis apostolis in templo predicasset coram Caypha et aliquibus Judeis intantum ut jam prope esset quod baptizari vellent, repente quidam templum ingrediens clamare incepit : O viri Israelite, quid facitis, cur ab istis magis vos decipi permittitis ? — Intantum autem populum concitavit, ut apostolos lapidare vellet. Ascendit autem homo iste super gradus ubi Jacobus predicabat, et ipsum precipitavit deorsum, et extunc claudicavit. Cum alios infirmos sanaret, noluit seipsum sanare, sed propter honorem Jesu Christi illam divisam voluit portare ut bonus miles. — Octava conclusio, quod fuit martyr gloriosus. In anno enim episcopatus sui octavo videntes Judei quod non possent occidere Paulum, eo quod ad Cesarem appellasset, et Romam missus fuisset, persecutionis sue rabiem in Jacobum converterunt, contra eum occasionem querentes. Ideo ad eum convenerunt dicentes : Oramus te ut revoces populum, quia ipse errat in Jesu, putans quod ipse sit Christus. Deprecamur ergo te ut dissuadeas omnibus convenientibus in die Pasche, de Jesu ; tibi enim obtemperabimus omnes, et de te tam nos quam populus testimonium ferimus, quia justus es, et personam nullius accipis. Statuerunt illum ergo super pinnaculum templi, et voce magna clamantes dixerunt : Virorum justissime, cui omnes obtemperare debemus, annuncia nobis quid tibi videtur de Jesu. Tunc Jacobus cum ingenti voce respondit : Quid me interrogatis de filio hominis ? Ecce ipse sedet in celis a dextris Dei, venturus judicare vivos et mortuos. Hoc audientes Christiani gavisi sunt valde. Pharisei autem et scribe dixerunt : Male fecimus tale testimonium prestare Jesu. Ascendamus et precipitemus eum deorsum, et clamaverunt dicentes : O o ! et justus erravit ! Ascenderunt ergo, et precipitaverunt eum, et lapidibus obruebant eum dicentes : Lapidemus Jacobum justum. Qui dejectus non solum mori non potuit, sed conversus et super genua procumbens orabat dicens : Rogo, Domine, dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt. Tunc unus ex ipsis perticam fullomis arripiens valido ictu caput ejus impetiit, et cerebrum excussit, talique martyrio migravit ad Dominum.

Nona conclusio quod refert Josephus quod propter peccatum mortis Jacobi justi factum est excidium Hierusalem, et dispersio Judeorum, sed non solum ob mortem Jacobi, sed etiam ob mortem Domini, precipue hec destructio facta est, secundum quod Dominus dicit in evangelio Luc 19 : « Non relinquent in te lapidem super lapidem. » Titus enim filius Vespasiani imperatoris Hierusalem cepit, et captam subvertit, templumque funditus destruxit. Et sicut Judei Christum triginta denariis emerunt, sic et ipse uno denario triginta Judeos vendidit, ut narrat

Digitized by Google

Josephus. Nonaginta septem millia Judeorum venditi sunt, et undecies centena millia fame et gladio perierunt.

In Festo SS. A. Philippi et Jacobi

(Manuscrit de Valence)

Quomodo possumus viam scire ?
(Joan. 14.)

Recitative in evangelio scribitur verbum istud.

Secundum quod scitis, hodie est solemnitas, et festum de duobus apostolis, sc. beato Philippo et Jacobo ; et quilibet requirit unam predicationem de se ipso, tanta possunt dici de eis : et ideo ego, et socii mei divisi sumus sic, quod ego predicarem de beato Philippo modo, et unus de sociis de beato Jacobo post prandium. Et ideo presens sermo erit de beato Philippo, et sic dicamus : *Ave Maria.*

« Quomodo possumus viam scire ? » (Joan. 14.)

Pro declaratione istius verbi sciatis quod ista vita presens, non est nisi quedam via ad ambulandum, et non ad morandum, sed semper ad ambulandum usque simus in alia vita glorie. Et ita due porte sunt in hac vita ; et per unam intramus, sc. per nativitatem : et per aliam eximus, sc. per mortem. Nam unus nascitur hic, et alter moritur ibi ; et ita ista vita non est nisi quedam via ad ambulandum semper, et non remanendum, Hebr. 13 : « Non habemus hic manentem civitatem », etc. Et ideo si hic non possumus remanere, oportet quod sciamus hanc viam, ut per bonam viam accedamus ad paradisum, et non per malam ad infernum, Jeremie 6 : « State super vias... refrigerium animabus vestris. »

Ut sciamus quomodo possumus viam, sc. eundi ad paradisum, scire invenio ego, quod sicut via beati Jacobi de Galicia scitur in regno per signa que sunt ibi posita, sc. *montones* lapidum vel cruces : ita via ista presentis vite scietur ut accedatur ad paradisum per signa, sc. per sex virtutes. Que signa posuit beatus Philippus, quas ipse habuit. Et sunt hec :

Primum signum et virtus, est charitas ;
Secundum est simplicitas ;
Tertium est humilitas ;
Quartum est benignitas ;
Quintum est pietas ;
Sextum est firmitas.

Et sic, si vultis scire viam ut positis ambulare ad gloriam, et non erretis, respiciatis hec sex signa, que posuit beatus Philippus, Isaie 30 : « Hec est via, ambulate in ea », etc.

Digitized by Google

Ad primum signum : Est charitas, sc. amor et dilectio Dei, et glorie paradisi. Et hanc virtutem in beato Philippo docet nobis Joannes I : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. » Et cum Judei vidissent Christum euntem pauperem, quia haberent dare ei ad comedendum, noluerunt eum recipere, et nullus sequebatur eum, nisi beatus Andreas ; et iret per Jerusalem, beatum *incontravit* Philippum, et dixit sibi : Philippe, « sequere me ». *(Ibid)* et statim omnibus dimissis sequutus est eum. Et iste fuit primus discipulus, quem Christus vocavit, licet beatus Andreas jam accessisset cum eo ex propria voluntate : quia non fuit vocatus per Christum. Et postquam beatus Philippus factus fuit discipulus Christi, rogavit eum ut vellet recipere in suo servitio suum fratrem Nathanael ; et cum invenisset eum, dixit beatus Philippus sibi : « Quem scripsit Moyses in lege, et prophete... Veni, et vide. » *(Ibid.)* Ex tunc fuit in servitio Dei, et Christus recepit eum. Et ita videtis quod signum monstravit nobis beatus Philippus ad accedendum ad gloriam per charitatem : nam omnia dimissit per Christum et sequutus est eum.

Et ideo moraliter. Bona *gent,* si vultis accedere ad paradisum, assimiletis beato Philippo, licet non possitis in tanta perfectione quod possitis dimittere omnia vestra bona, et domum, et filios ; sed ad minus dimittatis peccata, et malam vitam, et apartetis vos ab illis, et sequimini Christum amando eum. Et similiter habeatis charitatem erga proximum, licet ita perfecte non possitis, sicut beatus Philippus, qui perquirebat suum fratrem, ut salvaretur in servitio Christi. Nam modicum prodesset charitas erga Deum, cui non haberet charitatem erga proximum. Et ideo si habes inimicos, non persequaris eos, sed parce eis, faciendo pacem. Item, si Deus faceret gratiam alicui, vel marito, vel uxori, vel e contra, ut exeant de peccato, debet trahere alium : nam non debet solum quis esse contentus de propria salvatione, sed etiam procurare salvationem proximorum. Et ideo faciatis venire vestras filias, et domesticos ad missam, et sermonem, et recipere sacramenta : alias ecce terribile verbum I Thim : « Si quis autem suorum... est infideli deterior. »

Ad secundum signum : De simplicitate. Et simplicitas est totum se dare Deo, et intentionem totam rectam ad ipsum : alias si aliquid immisces, non est simplicitas, sed duplicitas. Et hanc simplicitatem beati Philippi docet beatus Joannes evangelista, cap. 6, cum dicit : « Unde ememus panes, ut manducent hi ?... » Quasi vellet dicere, quod ipse Christus solus erat sufficiens providere, etc, Et ita beatus Philippus totam suam spem, et confidentiam posuit in Christo Deo.

Et modo moraliter. Bona *gent,* caveatis ut habeatis simplicitatem, et non duplicitatem : ut multi qui recipiunt Christum, credendo eum creatorem celi et terre, etc. Sed post negant eum, eundo in infirmitatibus ad divinos, et ad divinas.

Digitized by Google

Item, multi credunt Christum liberasse eos de perditione, et ex alia parte credunt contrarium, accedendo ad divinos ut inveniant *lassam,* vel aliam rem perditam. Item, tu credis quod Deus creat creaturas in ventre matris : sed ex alia parte credis contrarium, tu mulier, cum accedis ad divinos, ut impregneris. Fatua, nullus potest creare in utero mulierum nisi Deus. Item, tu credis quod Christus desvinculavit te redimendo de potestate demonis ; et ideo non accedas ad divinos, ut *desligent* te, si es ligatus causa uxoris, etc., Ps. 43 : « Si obliti sumus nomen Dei nostri. » Et ideo, rectores istius ville, provideatis ut extirpentur divini, et divinationes non fiant.

Ad tertium signum : De humilitate. Et humilitas vera est, quando quis potest facere aliquid per se, et invitat alium equalem se ut ipse faciat. Et hanc docet beatus Philippus, ut dicit Joan. 12 : « Erant autem quidam gentiles ex his », etc. Et ita hic demonstratur humilitas Philippi. Nam licet esset notissimus, et familiarissimus Christo, tamen dixit beato Andree, ut ipse diceret Jesu, cum ipse potuisset dicere sine eo : sed hoc fecit per humilitatem.

Et ita moraliter. Bona *gent,* humiliate vos vestro majori et dominis, et precipue Ecclesie, non contemnendo sententiam excommunicationis.

Et ut sciatis quid sit excommunicatio data, *computabo* vobis unum miraculum, per quod videbitis ejus virtutem. Quidam furatus fuit breviarium ecclesie de altari. Et cum presbyter vidisset, incontinenti minus, perquisivit eum. Et sequebantur quendam qui ibat per iter, et in veritate ipse receperat : et cum vidisset venientes ad se de malo sono, posuit breviarium inter quandam arborem magnam concavatam. Et venientes ad eum non reperierunt in posse ipsius, et dimiserunt. Sed post fuit excommunicatio data, et arbor fuit siccata per virtutem excommunicationis. Et ita, bona gens, humiliate vos.

Ad quartum signum : De sanctitate. Et sanctitas stat in duobus, sc. quando creatura totam terram et mundana projicit de corde suo, et elevat ipsum ad celestia. Item, et plus, quando non est contenta de propria salvatione, sed procurat salvationem aliorum. Et hanc habuit beatus Philippus, ut habetur Joan. 14 : « Non turbetur cor vestrum... et sufficit nobis. » Et ita non erat terra in corde ipsius, ut curaret de dignitatibus, et honoribus, sed « sufficit nobis ut ostendas Patrem ». Et nota quod beatus Philippus ita erat sanctus, quod non dixit : sufficit mihi, sed « sufficit nobis ». Volendo non solum suam salvationem, sed etiam communem aliorum discipulorum.

Et ita moraliter, ut vos de ista villa nobili, non solum procuretis vestram utilitatem, sed etiam, et magis utilitatem communitatis : nam utilitas propria solum prodest uni, sed utilitas communitatis prodest omnibus. Nam perdita navi, et perdentur camere, et merces, et omnia

Digitized by Google

contenta in eis. Et ita procurate diligentius communia quam propria, et non defraudetis communitatem per falsas *ambaxiatas* ad regem, vel alios, et facere propria negotia cum bonis communitatis. Et circa hoc audiatis quid dicam vobis : quod licet magna virtus sit esse largum de propriis bonis ; tamen major, et maxima virtus est esse avarum de bonis communitatis. Nam quando aliquis rector communitatis debet expendere aliquid, debet esse remisso modo, et cum maturitate et diligentia ministrare ; imo, potius expendere de proprio, quam male expendere de communi. Et ideo beatus Paulus avisavit nos, 1 Corinth. : « Nemo quod suum est querat », etc.

Ad quintum signum : De pietate. Nam postquam Christus ascendit in celum, beatus Philippus habens pietatem de animabus, ne damnarentur, accessit ad predicandum, convertendo gentes ad fidem, et instruendo eas in fide. Et sanabat multos infirmos, et faciebat alia multa miracula, per que convertebat totum mundum, et civitates, et villas. Et ita propter hanc pietatem convertendi animas, sustinebat magnos labores itinerando, et sudando, et equitando in uno asino.

Et computabo vobis hic unum miraculum, quod fecit beatus Philippus, ex quo poterimus recipere moralitatem. Ecce cum ipse venisset ad unam villam infidelium, ut converteret eos, et destrueret idolam quamdam nominatam Martem : et ipsi receperunt eum vinculatum, et per vim inclinando eum, flexis genibus, faciebant adorare idolam. Et dicebat beatus Philippus : Hoc maximum malum est, *car porie costar aço, algu sen podrie penedir* [*cela pourrait coûter cher, et quelqu'un pourrait s'en repentir*]. Et cum hoc facerent, ex idola exiit quidam magnus draco, et et cum *alendo* occidit filium principis, et alios infirmos, et contractos fecit. Et cum starent sic, dixit beatus Philippus : Ha ! non dicebam ego, quod caro constare istud ? [*que cela coûterait cher.*] Et tunc dixerunt sibi, quod curaret eos, et faceret resuscitari mortuos, et quod destruerent idolam ; et ita fecerunt. Et beatus Philippus per virtutem Jesu Christi quem predicabat resuscitavit mortuos, et curavit omnes infirmos, et contractos, et projecit draconem in loca deserta. Et ob hoc omnes fuerunt conversi per ipsum.

Et modo moraliter. Bona *gent,* caveatis ut in hac villa non sit istud idolum, sc. avaritie : et draco, sc. *el logro* (lucrum), non sit intra ea *(sic).* Sed credo quod sic est : nam facitis usuram coopertam cum *baratiis* (comutationibus) et fraudibus, dicendo quod est emptio, et est commodatum : et ita draco, id est *el logro*, est intra idolam, videlicet intra avaritiam. Et ideo abstineatis habendo licitos redditus, Deut. 23 : « Non fenerabis fratri tuo », etc.

Et non obstat allegatio quam faciunt usurarii, qui dicunt quod de sua moneta bene possunt recipere aliquid, cum ipsi possent interim

Digitized by Google

lucrari cum ipsa. Et dico, quod non est pecunia sua, sed Dei, psal. 23 : « Domini est terra, et plenitudo ejus » ; et ideo cum non sint domini, sed ministratores Dei, debent juxta voluntatem ejus ministrare : alias proditionem faciunt, faciendo usuram de pecunia Domini. Item dico, quod bene dicunt quod possent lucrari, si non commodarent : quia magis lucrarentur tunc commodando sine usura, ut dicit allata authoritas.

Ad sextum signum : De firmitate, sc. perseverare usque ad finem : nam modicum prodesset habere supradictas virtutes, et non habere istam, perseverando usque ad finem. Et hanc virtutem docuit nobis beatus Philippus, nam cum ipse continuasset per suam predicationem convertere multos infideles, et intrasset per quandam villam, statim ipsum receperunt ; et sicut predicabat Christum crucifixum adorandum, crucifixerunt eum sicut Christum. « Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit. » (Math. 10.)

Et modo moraliter. Bona gens, multi sunt in hac villa, qui posuerunt se in via ambulando per penitentiam, et bona opera, sc. disciplinando se, etc. Item rectores universitatis faciendo ordinationes bonas ut peccata, et vitia publica extirpentur. Et ideo perseverate usque ad finem, et non deficiatis, ne dicatur de ordinationibus factis : « Hodie facta, hodie fracta. » Nam in multis villis, et civitatibus contingit sic. Sed timeo ut non contingat eis sicut civitati de Ninive. Cum propheta Jonas predicasset eis ut corrigerentur, et fecerunt : tamen non perseverarunt. Propter quod ira Dei venit super eam. Et ideo perseverate in bonis operibus inceptis, ut habetur 1 ad Corinth. 15 : « Itaque, fratres mei... quod labor vester non est majus in Domino. »

Et sic modo habetis sex signa, sive virtutes quas nobis dimisit beatus Philippus in hac via presentis vite, ut possimus scire ire per eam. Et ita habetis sermonem expletum de beato Philippo ; sed si volueritis audire sermonem de beato Jacobo, *unus ex meis sociis post prandium hora nona predicabit vobis*, etc. Et cras, que est dies sabbati, *redemus* ad materiam relictam de Antichristo, de tempore quando veniet.

Deo gratias.

Voici le sermon annoncé : In eodem festo SS. Philippi et Jacobi.

Solvite. Habetur Math. 21, originaliter. — Et ut possimus impetrare graciam Dei, convertamus ad virginem Mariam dicendo ei : *Ave Maria*.

Solvite, etc. — Bona *gent*, verba ista sunt scripta per Matheum a xxi cap., et sententia est ista : *desatare* te, vel *desligabo* te. — Et primo intelligentibus modo : Primo de Christi conditione miraculosa ; secundo de peccatoris conversione gratiosa ; tertio de sacerdotum jurisdictione virtuosa.

Digitized by Google

Ad primum, quod in primo verbo « solvite » demonstratur conditio Christi miraculosa, nam sicut sol facit cursum quotidianum per totum annum, per duodecim menses, ita Deus facit, qui dicitur sol justitie, facit cursum per totum annum, per duodecim menses, id est per duodecim articulos fidei qui continentur in *Credo*. Et sicut mensis habet quatuor septimanas, per quem sol naturaliter facit cursum, ita sol Christus quatuor modis, sc. credendo, considerando, delectando et loquendo. — Primo, credendo, sc. quod Deus est creator celi et terre, et omnium rerum et creaturarum mundi. — Item secundo credere quod Jesus Christus est Filius Dei, et recepit carnem humanam, et considerando ejus beneficia multa que pro nobis fecit, volendo se in tantum humiliare recipiendo carnem nostram fragilem. — Et tertio delectando se contemplando passionem ejus et opprobria que sustinuit pro nobis peccatoribus.— Et quarto loquendo, dicendo quotidie de mane et sero : *Credo in Deum*. — Ecclesia dicit : « Felix es, sacra virgo Maria... sol justitie Christus Deus noster. » Et sic ecce hic prima parte sol justicie, ubi demonstratur Christi conditio miraculosa.

Et sic veniamus ad secundum, de conversione peccatoris graciosa, que fit per contritionem et dolorem cordis de peccatis. Ps. 50 : « Cor contritum et humiliatum », etc. Et dicit « cor contritum », id est per dolorem territum *(sic)* ; et « humiliatum », ut, postquam habens cor contritum per displicitum peccatorum, humilia te recipiendo firmum propositum amplius non revertendi ad peccata. Et tunc peccata sunt soluta, et peccator est conversus graciose ad bonam vitam. Et de hoc contritione cordis *computabo* unum miraculum de quadam muliere pulchra et *putana* que venerat ad predicationem ut fuisset visa per juvenes ; et cum predicator vidisset eam, predicavit contra luxuriam fortiter, etc. *(sic)*. Et ideo dicit thema : « Solvite », loquendo de peccatoris conversione gratiosa.

Et ideo veniamus ad tertium, de sacerdotum jurisdictione virtuosa, que est cum peccator habet contritionem de peccatis suis, et recepit propositum amplius non reverti, et confitetur omnia illa confessori, tunc per jurisdictionem virtuosam sacerdotis peccator erit absolutus ab omnibus peccatis. Et de hoc habetur Mat. 15 : « Quidquid ligaveritis super terram », etc.

Et quia reverendus magister hodie predicavit vobis de beato Philippo (1), dicam vobis de beato Jacobo, recitando ejus historiam, que narrat quatuor in quibus fuit singulariter virtuosus, ut sequitur : primo in excellencia *personal* ; secundo in penitencia *virtual* ; tertio in presidentia clericali ; quarto in patientia martiriali.

(1) L'écriture de ce sermon, identique à celle des autres, fait présumer que le recueil de Valence est *dicté*, et non pas écrit de la main du maître.

Digitized by Google

Ad primum excellencia *personal,* nam descendit de tali et tali *(sic),* etc., secundum quod est in historia sua, legitur in tantum quod si Christus dimisit aliquam hereditatem in hoc mundo per successionem, quod beatus Jacobus minor precederet alium Jacobum majorem, etc.

Ad secundum de penitencia *virtual*, nam ut historia refert, nunquam comedit carnem, sed multas abstinencias faciendo, in tantum quod ex quo Christus mortuus fuit usque resurrexit non comedit aliquid corporale, et continue flexis genibus stabat in oracione et contemplacione, sicut de camelo, ut in historia latius continetur.

Ad tertium de presidentia clericali, nam fuit primus episcopus Jerusalem, etc., ut latius *(sic)*, etc.

Ad quartum de patientia martiriali ; nam cum stasset predicando contra infideles, inceperunt eum lapidare, et finaliter venit quidam tirannus et inimicus fidei, et cum baculo dedit sibi in capite *machucando* illud ; et finaliter confitendo fidem catholicam mortuus fuit ibi, et tradidit spiritum Deo. Et ideo potest dici thema de eo secundum intellectum tercium : « solvite », sc. de persecutionibus et tormentis istius mundi. Et collocavi te in gloria : ad quam perducat nos, etc.

ISTUM SERMONEM FECIT FRATER JOANNES DE ALCOY.

Il n'est pas téméraire de penser que ce frère Jean d'Alcoy est le scribe complaisant qui, chaque soir, écrivait sous la dictée du Maître. Le style est le même, les mots catalans viennent également en aide à un latin déjà plus que faible. La division porte le même cachet. Quant au fond, c'est visiblement un pastiche timide des autres sermons.

.....

Digitized by Google

De Cruce

(Canevas autographe)

Mihi absit gloriari nisi in cruce.
(Gal. 6.)

Hoc verbum potest tripliciter pertractari : Primo in persona Christi ; secundo Helene ; tertio christiani.

Inter omnes modos moriendi Christus solam mortem crucis acceptavit, cum tamen ei aliter multoties mors fuerit intemptata.

Primo quidem mortem per gladium refugit, ut patet Mat. 2. Unde Job 1 : « Pueros percusserunt gladio ? », etc. — Moraliter sequetur excommunicatio que fit per gladium Petri, timenda : « Fugite ergo a facie gladii », etc. (Job 19.)

Secundo mortem per precipitium recusavit, ut patet Luc. 4. — Moraliter significatur superbia declinanda. Ps. 72 : « Defecisti eos », etc, Job 30 : « Elevasti me, et quasi super ventum », etc.

Tertio mortem per lapidationem vitavit, ut patet Joan. 8. — Moraliter signatur avaricia fugienda. Ps. 90 : « Ne offendas ad lapidem pedem tuum. » Eccl. 32 : « In via ruine non eas », etc.

Quarto mortem per toxicationem evasit, juxta illud Jer. 11 : « Tu, Domine, demonstrasti mihi... super me consilium. » — Moraliter signatur luxuria cavenda. Prov. 23 : « Ne intuearis vinum quando flavescit. »

Quinto mortem crucis acceptavit, juxta illud Joan. 19 : « Et bajulans sibi crucem », etc.; quasi dicat : « Mihi absit gloriari nisi in cruce. » — Moraliter signatur penitentia assumenda. Gal. 5 : « Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt », etc.

De Inventione Sancte Crucis (Sermo I)

(Recueil imprimé)

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.
(Verbum istud habetur textualiter, Gal. 6, et officialiter in epistola hodierna.)

Solennitas ista et festum presens dicitur inventio sancte crucis, quia beata Helena, mater Constantini imperatoris, cum multis miraculis inve-

Digitized by Google

nit crucem Domini nostri Jesu Christi, quam Judei absconderunt. De hoc etiam erit sermo noster. Si placet Deo, habebimus bonas doctrinas ad intellectus illuminationem, vite ordinationem, et animarum nostrarum consolationem. Sed primo salutetur virgo Maria.

In presenti sermone intendo pertractare verbum propositum tripliciter :

Primo in persona Christi in cruce patientis ;

Secundo in persona beate Helene crucem requirentis ;

Tertio in persona cujuslibet hominis vere credentis.

De primo, pertractando verbum in persona Christi in cruce patientis dicit ipse Christus : Mihi absit, sc. quod veniam ad gloriam resurrectionis corporis, nisi per crucem. Invenitur enim clare in sacra scriptura quod Christus multoties fuit in periculo mortis inter Judeos, et diversimode fuit ejus mors intentata, sed nullus alius modus moriendi placuit sibi nisi in cruce, alios modos moriendi vitavit fugiendo, vel aliter. Sed ad mortem crucis venit gratis ipsemet de Gallilea in Hierusalem. Primo quidem fuit in periculo moriendi statim quando fuit natus. Tunc enim regebat Herodes alienigena, qui favore imperatoris Romani obtinuit regimen Judeorum, qui audiens nativitatem regis Judeorum a regibus orientis, et locum nativitatis a rabinis Judeorum, voluit ipsum occidere propter quod misit homines armorum ut occiderent omnes pueros civitatis Bethleem, et ejus atinentie, et ita factum est. Sed angelus Domini apparuit Joseph, dicens quod fugeret in Egyptum cum puero et matre ejus. Et sic evasit Christus. Et fuit completa prophetia Job 1 : « Pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus. » Queritur quare ista mors non placuit sibi. Responsio moralis : ad instruendum nos ut vitemus mortem gladii spiritualis, sc. excommunicationis. Legitur quod in passione solus Petrus portabat gladium : « Symon Petrus habens gladium eduxit eum, et percussit pontificis servum, et abscidit auriculam ejus dextram. » (Joan. 18.) Ratio, quare solus sanctus Petrus portabat gladium, quia solus papa vel prelatus habet gladium sententie excommunicationis. Et in hac authoritate demonstratur quis possit excommunicare, et quomodo, et contra quem, et quare : ideo dicit : « Habens gladium. » Item, secundo, demonstratur quomodo proferatur excommunicatio, sc. cum denuntiatione, et publicatione, ut sciatur et videatur per omnes, ne ullus feriatur per gladium excommunicationis, sed omnis se respiciat, ne feriatur ab illo gladio : alias si sine denuntiatione proferretur excommunicatio, esset prophana, et ideo dicit : « Eduxit eum. » Item, tertio, demonstratur contra quem est publicanda, sc. contra subditos episcopi : alias excommunicatio lata contra non subditos episcopi non valeret : nam Petrus percussit servum pontificis ; et ideo dicit : « Et percussit pontificis servum. » Item quarto demonstratur quare, sc. quod non pro minima re,

Digitized by Google

sed pro magna et ardua causa, sc. inobedientia, debet sententia excommunicationis proferri ; et ideo dicit : « Amputavit auriculam dexteram », que est major sinistra. Et ideo beatus Paulus qui fuit legatus, juxta illud « Pro Christo legatione fungimur », non reperitur quod protulerit excommunicationem, nisi in bono casu, ut habetur 1 Cor. 5 : « Ego tradidi eum Satane. » Et ideo caveatis ne sitis vulnerati cum isto gladio excommunicationis ; nam ideo Christus noluit mori per gladium, ut nos reciperemus exemplum, ne moreremur excommunicati, sed quod fugeremus, sicut ipse fugit.

Iste gladius multum est timendus et cavendus. Sicut enim gladius materialis scindendo dividit membrum a corpore, ita gladius excommunicationis dividit et scindit hominem qui est membrum mysticum ecclesie a corpore ecclesie intantum, quod si in ecclesia daretur mihi optio quid vellem potius an perdere digitum, an stare in excommunicatione ? potius vellem perdere digitum, etiam manus et pedes, etc., quam esse excommunicatus per mediam horam. Nihil sic debet formidare christianus quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore ejus, non est membrum ejus, quod si non est membrum ejus, non vegetatur spiritus ejus.

Dicatur miraculum de arbore nucum. Ecce ratio quare Christus noluit mori gladio, ut nos vitemus gladium spiritualem, qui ferit quando dicitur : Denunciamus talem excommunicatum esse, etc. « Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum est gladius. » (Job. 19.) Fugit homo faciem gladii, quando ponit se in ratione, quia statim homo invenit absolutionem. Nullus dicat : ita bene comedo, bibo, et dormio sicut ante excommunicationem, comedo panem, etc., sed non comedit anima, quod est pejus.

Secundo Christus fuit in periculo moriendi precipitatus, ut recitatur Luc. 4. Christus enim natus fuit in civitate Bethleem, et fuit nutritus in civitate Nazareth. Ideo dicitur Jesus de Nazareth. Et incepit predicare et miracula facere in civitate Capharnaum. Tunc Judei dixerunt : « Quanta audivimus de te facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.» (Luc. 4.) Respondit eis Christus in sententia quod non merebantur, quia non credebant in eum, imo despiciebant eum dicendo : Nonne hic est filius fabri, et illius mulieris Marie ? Et repleti sunt omnes ira, et surrexerunt, et ejecerunt eum extra civitatem, et duxerunt eum usque ad supercilium montis, super quem civitas illa erat edificata ut precipitarent eum. Ipse vero reddidit se invisibilem eis, qui dicebant perquirendo eum : et ubi est ? « Jesus autem transiens per medium illorum ibat. » (Luc. 4.)

Quare noluit sic mori ? Quia si voluisset, per istam mortem etiam salvasset totum mundum. Ratio quare noluit sic mori, ut daret nobis instructionem vitandi mortem precipitii, que fit ex peccato superbie.

Digitized by Google

Quando enim demon vult aliquem precipitare in infernum, primo facit eum ascendere in supercilium montis superbie. V. gr.: Primo de religiosis, quando enim religiosus vivit devote in claustro, servando regulam et constitutiones, talis via plana vadit ad paradisum, sed diabolus volens ipsum precipitare in infernum, ponit in corde suo hanc imaginationem dicens: Quare tu non vadis ad studium, et forte esses magister in theologia, et post confessor regis, deinde episcopus. Et sic dimittit devotionem et observantias, etc. Et quando est alte in supercilio montis, precipitatur in infernum. De qua dicit David diabolo: « Dejecisti eos cum allevarentur. » (Psal. 72.) Idem de simplici clerico, quando habet parvum beneficium, non curat de concubina, quia non posset providere sibi et filiis, nec dat amicis. O ! dicit diabolus, ego faciam te ascendere. Ponit in corde suo ut ponat se cum magnis Dominis, ut cum eis habeat beneficia, etc., et quando sunt alte, precipitantur a diabolo.

Idem de vobis laicis, quando mechanicus vel laborator vivit simpliciter de suo labore vel officio, vadit recte ad paradisum per viam planam, sed diabolus ponit se in corde suo dicens: Quare tu non esses in consilio et in officiis ville ut talis ? etc. Et quando sunt, tunc nihil aliud querunt quam lucrum temporale. « Dejecisti eos », etc. Idem de mulieribus; quando enim mulier vivit simpliciter, curat de domo, de filiis, diligit virum suum, et obedit ei in omnibus licitis et honestis, talis mulier recte vadit ad paradisum, sed diabolus ponit in corde suo ut sit domina, quomodo possit suppeditare virum, et quod nihil faciat nisi quod ipsa ordinabit dicens: Quare ego non faciam ut talis facit, et quare non ibo ut talis sic induta? Si est aliqua mulier, que ambulat humiliter et simpliciter non curando se pingere *cellas :* O ! dicit demon, expecta; et ponit in corde: O ! si tu te pingeres et ornares sicut talis, similiter esses pulchra, et attendereris ab hominibus et philocapti essent de te, etc. Et sic demon impellit eam in infernum. Et ideo, filie mee, caveatis a superfluitate ornamentorum et maxime horum *tocados* [*ricarum capitis*]; quia quindecim ulnas panni habent, et ego non imaginor rationem utilitatis istorum *tocatorum*. Nam cum venitis ad me ad benedictionem, et flectitis genua, datis mihi hic in fronte; et ideo non possum percipere utilitatem tante superfluitatis, nisi unam, nescio si vos facitis propter illam. — Quedam mulier, cum haberet maritum, et occidisset quendam, et jure incontinenti revoluto, portaretur ad furcam, accedebat flendo: Heu misera ! Et cum esset prope furcam, non habebant *fogam* [*funem*] cum qua eum suspenderent. Dixit ipsa: Quid queritis funem ? ecce hic meum velum. Et ita fuit suspensus maritus cum *toca* [*rica*] uxoris. Et sic nescio si facitis propter hanc utilitatem. Et sic, amore Dei, relinquatis tantam superfluitatem, quia nescio quis primo invenit: nam quedam apparent Papise, cum velo et conspectu alto et erecto:

Digitized by Google

quedam sunt singulares, que portant diadema sicut sancte et apostolice. Et ideo, bona gens, caveatis ut demon non faciat vos ascendere in montem superbie, et impellat vos in infernum per suos dolos. Et ideo dicit David : « Propter dolos, dejecisti eos dum allevarentur. » O quot moriuntur precipitati ! Ideo dicit Job in persona precipitati diabolo : « Elevasti me... morti trades me. » (Job 30.) Ecce ratio quare Christus noluit mori precipitatus.

Tertio fuit in periculo moriendi lapidatus, ut narratur a Joanne evangelista, 8 et 10 cap. Cum enim episcopus predicaret Judeis de sua divinitate dicens : « Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, sc. legem evangelicam, mortem non videbit in eternum. » (Joan. 8.) Cui dixerunt Judei : Quem teipsum facis ? Respondit Jesus : « Amen amen dico vobis, antequam Abraam fieret ego sum. » Tunc Judei dixerunt : Moriatur. Tulerunt lapides ut jacerent in eum. Dicit Joannes : « Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. »

Quare noluit mori ista morte ? Respondeo, quod ad instructionem nostram ex peccato avaritie. Avarus enim est ut lapis durus et frigidus, nullam habens pietatem de proximo indigenti. De avaro dicit Job : « Cor ejus indurabitur quasi lapis. » (Job 12.) Avari ergo moriuntur lapidati. Tot lapidibus percutiuntur quot sunt modi avaritie. Primus lapis est primus modus avaritie, qui dicitur rapina. Isto lapide percutiuntur Domini temporales a diabolo, quando non sunt contenti suis redditibus, quia non sufficiunt, tot sunt vanitates quas faciunt, et perquirunt modos varios, etc., contra suos vasallos. Secundus lapis dicitur symonia. Isto lapide percutiuntur prelati, clerici, et religiosi, qui nesciunt dare beneficia, nec ministrare sacramenta nisi cum pecuniis, etc., totum oportet emere. Tertius lapis dicitur usura. Antiquitus soli Judei lapidabantur isto lapide, sed modo et Christiani, si prestent aliquid alicui, statim dicunt : Vos dabitis mihi tantum ; usura est et damnatio, quia pro prestando nec etiam papa posset aliquid recipere sine peccato. O ! quot lapidantur isto lapide. Item si habent aliquid vendere ad *speram*, vendunt amplius propter expectationem, usura est. Item si prestant super possessiones, recipiunt fructus. usura est. Item si pro mutuo obligant libertatem alterius ad cavandum vel molendum in suo molendino. Si ergo vis censualia, sit vera emptio et vera venditio, et pretium sit justum, aliter autem quovis modo quis capiat pecuniam, vel aliquid equivalens ultra sortem, usura est, et animarum damnatio. Imo sola spes usurarium facit. Quartus lapis est fraus, male vendendo vel emendo. Isto lapide lapidantur mercatores, tabernarii, hospitalarii, et hujusmodi. Quintus lapis est calumnia. Isto lapide lapidantur juriste, advocati, judices, procuratores, et notarii, qui calumniose dilatant questiones, faciunt quod durant lites, quandiu sentiunt pecunias, etc. Sextus lapis est qui dicitur

Digitized by Google

detentio. Isto lapide lapidantur qui detinent sibi solidatam servorum, ancillarum, et decimas et primitias, et legata defunctorum, non complendo testamenta. Item illi qui detinent illud quod invenerunt. Ecce quot lapides projicit diabolus contra homines. Ideo Christus noluit mori lapidatus. Ideo dicit scriptura : « In viam ruine, id est avaritie non eas », etc. (Eccl. 32.)

Quarto fuit in periculo moriendi intoxicatus seu potionatus. Ipse enim venit pauper in hunc mundum, juxta prophetiam Zacha. 9 : « Exulta filia Syon, salvator ipse pauper. » Et intantum tenuit vitam pauperem in hoc mundo, quod non habebat domum nec cameram post sermonem, sed invitabatur ab aliquo, etc. Judei vero inimici sui videntes quod eum non poterant occidere, nec precipitando nec lapidando, voluerunt ipsum potionare secrete, et invitabant eum ad prandium. Et potestis cogitare si faciebant sibi salsam de arsenico sublimato, potionando vinum vel aliud. De hoc propheta in persona Christi dicit : « Tu Domine demonstrasti mihi... et non memoretur amplius. » (Hiere. 11.) Sed Christus qui omnia sciebat, nolebat comedere de cibo venenato.

Quare noluit mori ista morte ? etc. Responsio : Ad instruendum nos, ut vitemus mortem potionatam ex peccato luxurie. Qui enim vult potionare, communiter ponit venenum in cibo dulci et delectabili. Ita facit demon. Cibus dulcis et delectabilis videtur luxuria, etc., sed ibi est venenum peccati quod animam occidit. Cibus est venenatus, nisi fiat inter virum et uxorem, servando modum, etc. « Nunquid poterit aliquis gustare quod gustatum affert mortem ? » (Job. 6.) Quasi dicat non. Nullus quantumcunque esuriret vel sitiret comederet cibum quem sciret venenatum esse. Ideo dicit : Nunquid poterit, etc. Et tu, luxuriose, comedis de illo cibo quem scis venenatum veneno peccati mortalis, nisi sis infidelis.

Quinto fuit in periculo moriendi per crucem, seu crucifixus. Sed iste modus moriendi placuit sibi, et acceptavit. Videntes Judei quod non poterant ipsum occidere precipitatum, lapidatum, nec potionatum, dixerunt : Moriatur crucifixus, vel crucifigatur, et paraverunt crucem. Et tunc Christus predicabat in illa provincia, sc. Gallilee, et sciens quod jam Judei paraverunt crucem, ait discipulis suis : « Ecce ascendimus Hierolosymam », etc. (Matth. 20.) Ita quod non violenter, sed gratis venit ad mortem crucis, et data sententia a Pilato non appellavit, nec se excusavit, sed dicit Joan. quod « bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvarie locum ». (Joan. 19.)

Quare iste modus moriendi pre aliis placuit sibi ? Respondeo : Jam scitis quod totum malum tam animarum, ut peccatum ignorantie, inclinationes male, quam etiam corporum, ut infirmitates, dolores, labores, et finaliter mors, totum hoc venit ex peccato Ade et Eve, quare pecca-

Digitized by Google

tum venit ex receptione illius fructus vetiti, Christus ergo venit ad reparandum omnia mala tam animarum quam corporum. Ipse enim est ille fructus de quo dicitur virgini Marie : Benedictus fructus ventris tui. Reversus est fructus ad arborem ; quare dicunt historie Grecorum antique, quod arbor crucis erat de illomet ligno de quo Adam recepit fructum. Ideo quando Christus fuit in arbore crucis, tunc fructus fuit in arbore restitutus, et reparavit omnia mala que ex peccato Ade fuerunt secuta servando ordinem, quia sicut mala anime venerunt primo, deinde mala corporis. Sic Christus reparando primo reparavit mala animarum, dando remedia per baptismum, ex quo remittuntur omnia peccata, et reparavit scientiam, denunciando nobis gloriam paradisi. Quando autem redibit cito et bene cito ad judicium generale, tunc reparabit mala corporum, quia tunc resurgemus impassibiles et immortales, etc. Ecce rationem quare voluit mori in cruce. Et de hoc habetur figura Nume. 21, de serpente eneo suspenso in patibulo quod totum figura fuit passionis Christi, ex qua nos sumus salvati. Ergo dicitur in evangelio : « Sicut Moyses exaltavit serpentem »,etc. (Joan. 3.) Ideo dicit apostolus Galat. 6 : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » — Secundo Christus voluit mori crucifixus, ut nobis doceret humilitatem. Nam non erat tam vilis mors, sicut crucis. Nam latrones, et diffamati, et viles moriebantur in furca crucis ; nam ante mortem Christi, crux erat furca. Et ideo ex hoc habetis vos, magnates istius ville [*Chinchilla*], doctrinam, ut vos humilietis sicut minores. Ut si minores habent solvere aliqua onera regi, vel alteri, quod velitis vos humiliari tantum, quod contribuatis in ipsis, secundum vestras facultates ; ut qui magis habet, magis contribuat ; et non quod totum habeant contribuere minores, vel magis : quia non placet Deo tale opus. Et ideo dicit apostolus, Ad Roman. 12 : « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum invicem sentientes, etc., consentientes. » Et ita gaudete vos, magnates, cum gaudentibus, sc. minoribus, ut utilitatibus, si alique sunt, et obveniunt ville, vel communitati. Et per contrarium : « Flere cum flentibus », minoribus, in oneribus, si aliqua habent [*debent*] solvi regi, vel alteri. Et ita faciendo humiliabitis vos minoribus, cum ipsis contribuendo. Et faciatis sicut Christus qui se voluit humiliari pro nobis (dando nobis exemplum et redimendo nos) ad viliorem, et minorem modum mortis, sc. furce crucis. Ergo « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. »

Quantum ad secundum, hoc verbum pertractabitur in persona sancte Helene crucem requirentis. Nam post Christi passionem, resurrectionem, et ascensionem factam crux faciebat infinita miracula, ex quibus multi convertebantur ad fidem Christi. O ! dixerunt Judei, ista

Digitized by Google

crux destrueret nos, ideo abscondatur ne a Christianis inveniatur; et foderunt in montem calvarie quasi xx passus sub terra, et ibi absconderunt sanctam crucem, ubi fuit abscondita per annos cc et ultra, quousque illa sancta mulier Helena, mater Constantini imperatoris ipsam invenit, que noviter fuit ad fidem conversa ex multis miraculis ibi factis, propter quod illa sancta mulier venit Hierusalem ad inquirendum crucem Christi, que omnes Judeos sapientes coram se vocavit. Cum autem regina interrogasset de cruce et de loco ubi fuerat Dominus crucifixus, et illi nullatenus indicare vellent, jussit omnes igne cremari. At illi timentes, tradiderunt Judam dicentes: Hic omnia que queris indicabit tibi. Iste enim totum scit. Ad quem regina ait: Per crucifixum fame te perimam nisi mihi dixeris veritatem. Ipsum igitur in puteum siccum jussit projici. et ibidem molestia famis cruciari. Cum ergo die septima inde extractus ad locum ubi sancta crux erat venisset, et orasset, locus subito commovetur, et fumus aromatum miri odoris sentitur, ita ut miraretur Judas, et diceret manibus junctis: In veritate, Christe, tu es salvator mundi. Et precingens se, viriliter incepit fodere, et viginti passus fodiens tres cruces absconditas reperit. Cum autem crucem Christi ab aliis discernere nescirent, posuerunt eas in medio civitatis, et cum circa horam nonam quidam juvenis mortuus deferreretur, Judas feretrum tenuit, primam et secundam crucem super corpus defuncti posuit, sed nequaquam ille surrexit, apponente autem eo tertiam, defunctus rediit ad vitam. Et multa alia miracula circa infirmos fuerunt ibidem facta. Diabolus autem in aere vociferando clamabat dicens: O Juda! quid fecisti? Jude meo contraria operatus es. Nam ille me suadente fecit proditionem, et tu me renuente crucem Christi invenisti. Per illum multorum lucratus sum animas, per te videor perdere jam lucratas. Per illum regnabam in populo, per te jam expellor a regno. Respondit Judas: Christus te damnet in abyssum ignis eterni. Et baptizatus est. Et multi Judeorum visis tot miraculis conversi sunt et baptizati in gloriam Dei.

De ista inventione fit hodie festum, et potuit tunc dicere beata Helena: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Dicatur hic quanta fuerit virtus crucis ad curandum omnes infirmitates, et hodierna die est, nisi obstet quod sanitas corporis esset anime nociva, quia Deus non est occasio peccati. Multis est melius pro anima quod sint infirmi, quam si essent sani. Non ergo recurratis ad demones vel conjuratores, sed ponatis super infirmitatem emplastrum crucis Christi cum nomine Jesu, cum calore devotionis et sanctitatis, tanta est virtus crucis Christi quod habebitis sanitatem. Ideo cantatur modo: « Salve crux sancta... vera spes nostra », etc. Virtus crucis etiam apud infideles maxime per omnia comprobatur. Nam refert Greg.

Digitized by Google

quod quadam die quidam Judeus Romam veniens cum declinata esset jam dies, et ubi remanere posset minime reperisset, in quodam templo idolorum ad dormiendum se contulit. Qui ipsius loci sacrilegium pertimescens, quamvis fidem Christi non haberet, tamen signo crucis se munire curavit, nocte autem media evigilans vidit malignorum spirituum multitudinem, et Satanam sedentem, et omnes ei assistentes. Et veniens unus de malignis spiritibus adoravit eum. Cui ille: Unde venis? Et ille, in tali provincia fui, et bella plurima concitavi. Nota bene in legenda usque ibi: Vas vacuum, sed signatum. Ad hanc vocem illa malignorum turba disparuit. Judeus autem ad episcopum venit, et ei omnia per ordinem enarravit, et baptismum suscepit.

Quantum ad tertium verbum propositum, pertractabitur in persona cujuslibet hominis vere credentis. Nam gloriam quam nos speramus in celo, habemus per Christi crucem, quia in illa passus est. Ideo nullus ante Christi passionem intravit in celum, sed ibat vel ad infernum, vel ad locum purgandorum, vel ad locum parvulorum, sive limbum, vel sinum perfectorum, qui dicitur sinus Abrae.

Dicatur quomodo infernus est in corde terre, ubi sunt domuncule ut in corde pomi. In sinum ergo Abrae ibant anime sanctorum. Prima fuit Abel, etc., et ibi expectabant Christum, qui extraxit eos inde quando surrexit a mortuis. De hoc prophetia Zachar. 9 : « Tu quousque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos. » Modo autem ex quo Christianus fit credens in Christum, et est ei obediens, quando moritur jam invenit portam paradisi apertam in virtute crucis. Crux Christi clavis est paradisi, dicit Rabanus, sed requiritur credentia et obedientia, et sic vadimus ad gloriam paradisi quam per crucem habemus. Ideo dicimus modo: « Nos autem gloriari oportet in cruce... » et liberati sumus.

De sancta Cruce (Sermo II)

(Recueil imprimé)

Evacuatum est scandalum crucis.
(Gal. 5.)

Hic declaretur quid est scandalum vulgariter. Scandalum enim est vocabulum Grecum, et in lingua nostra vulgari idem est quod impingere, vel ledere, vel cadere. V. gr.: quando aliquis vadit per suam viam, et non avisando se impingit in lapidem vel aliquod lignum, hoc dicitur scandalum. Unde dicit beatus Thomas quod scandalum est dictum vel

Digitized by Google

factum prebens alteri occasionem ruine. Et hoc ibidem pulchre declarat per similitudinem obicis. Idem spiritualiter, quando aliquis incepit bonam vitam vel in religione, vel in militia, vel in statu clericali, vel in statu seculari, cavete ne impingatis per familiaritates, vel alias. Quot homines, quot mulieres, quot vidue, etc., vadunt directe ad paradisum per viam bone vite, sed post modicum impingunt et frangunt sibi collum peccando mortaliter. Ideo dicit scriptura : « In via ruine, id est periculosa in occasione peccandi, nos eas », etc. (Eccl. 32.) Modo ad propositum in sacra scriptura invenitur triplex scandalum sive occasio peccandi contra crucem Christi :

Primum est discipulorum adherentium, et hoc veniebat ex ignorantia ;

Secundum est hominum delinquentium, et hoc veniebat ex malitia ;

Tertium est personarum non credentium, et hoc veniebat ex cordis duritia.

Sed quodlibet istorum fuit evacuatum. Primum fuit evacuatum per Christi gloriosam resurrectionem. Secundum fuit evacuatum per celi luminosam apertionem. Tertium per crucis Christi miraculosam inventionem. Ideo dicit thema : Evacuatum est scandalum crucis.

Dico primo quod primum scandalum est discipulorum adherentium, sc. apostolorum et aliorum, et hoc veniebat ex ignorantia. Ante Christi passionem et resurrectionem omnes discipuli valde scandalizabantur de cruce Christi, intantum quod non possent patienter audire nec credere quod Christus obiret in cruce. Unde cum semel Christus diceret eis, quod oportebat ire in Hierusalem, et ibi multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi in cruce, et tertia die resurgere, quando discipuli audierunt talia, scandalizati sunt intantum quod Petrus assumens Jesum cepit increpare eum dicens : Absit a te, Domine, non erit tibi hoc. Qui conversus dixit Petro : « Vade post me, Satana, scandalum mihi es », etc. (Mat. 16.) Nota : Vade post me, Satana, id est adversarie, scandalum mihi es, quia non sapis ea, supple consilia, que Dei sunt, sed ea que hominum.

Pro hujus declaratione nota similitudinem : quando aliqua civitas est ab inimicis obsessa, cujus rex est potentissimus, ab hominibus civitatis datur consilium regi ut per potentiam et violentiam liberet civitatem et gentem vestram per potentiam. Ecce consilium hominum. Sed consilium Dei est ad oppositum. Nam licet Christus verus rex et Messias esset summe potens ad liberandum civitatem generis humani, per potentiam et violentiam, tamen noluit, sed per humilitatem, et patientiam, et justitiam, satisfaciendo patri voluit liberare, et ipsum redimere. Istud est consilium Dei. De hoc prophetia : « Non enim cogitationes mee cogi-

Digitized by Google

tationes vestre... vie vestre, dicit Dominus », etc. (Esa. 55.) Quia ergo Petrus et alii apostoli nesciebant consilium Dei, sed hominum, ideo errabant propter quod dicit Christus Petro : Nescitis ea que Dei sunt. Ideo scandalum apostolorum veniebat ex ignorantia. Ideo dixit eis Christus in nocte passionis : « Omnes vos, scandalum patiemini in me in ista nocte. » (Mat. 26.) Et hoc quia omnes fugerunt, quando juxta consilium Dei Christus permisit se capi, et ligari, etc., et per humilitatem, et patientiam, et justitiam voluit mundum liberare. Ideo quando discipuli videbant crucem, maledicebant eam dicendo : O maledicta crux ! Sed hoc scandalum fuit evacuatum per gloriosam Christi resurrectionem, quando Christus apparuit eis, et aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas. (Luc. ult.) Et intellexerunt fructus provenientes ex cruce.

Primus quia Christus ex passione crucis assecutus est gloriam corporis, sc. impassibiliatem, claritatem, agilitatem, et subtilitatem. Secundus fructus de liberatione sanctorum patrum de inferno, quod intelligentes apostoli tunc benedicebant Deo. Tertius fructus de universali redemptione, quia solvit pretium superabundans pro omnibus. Multi nolunt exire captivitatem, culpa est eorum, et non Domini qui solvit. Quartus fructus est quia ex passione Christi in cruce porta paradisi fuit aperta omnibus credentibus, que ante fuerat clausa omnibus generaliter ultra quinque milia annorum. Postquam autem apostoli intellexerunt hoc clare, sicut in die veneris sancta, et sabbato, scandalizati maledicebant crucem in monte calvarie fixam, ita in die resurrectionis illuminati suppliciter eam adorabant dicentes : « Tuam crucem adoramus Domine, et tuam gloriosam recolimus passionem. » — Nota hic moraliter de adoratione et benedictione crucis.

Secundum scandalum crucis fuit hominum delinquentium, et hoc veniebat ex malitia. Antiquitus enim crux erat supplicium et patibulum malefactorum, sicut modo furca, unde non est mirum si malefactores scandalizabantur maledicendo crucem, sicut modo latrones, homicide, et proditores maledicunt furcam, et qui eam fecerunt, ex malitia quia perseverant in peccatis suis, et timent suspendi. Ita erat tunc de cruce quando eam videbant. Boni autem non timebant hoc scandalum. Ideo David : « Pax multa diligentibus legem tuam, non est illis scandalum. » (Psal. 118.) Sed hoc scandalum fuit evacuatum per celi luminosam apertionem.

Post Christi passionem per CCC annos, Rome erat quidam imperator, sc. Constantinus, ante conversionem enim erat infidelis, et idolatra. Tunc temporis Persis rebellavit contra Romanum imperium, et congregata est juxta Danubium fluvium multitudo innumerabilis Barbarorum

Digitized by Google

volentium fluvium transire, et omnes regiones usque ad occidentem suo dominio subjugare. Quod ut Constantinus imperator comperit, castra movit, et contra Danubium se cum suo exercitu collocavit. Barbarorum autem crescente multitudine, et jam fluvium transeunte, Constantinus nimio terrore concutitur, quia non poterat fugere, nec bene in tanta multitudine preliari. Sequenti igitur nocte ab angelo excitatur, ut sursum respiciat admonetur. Qui celum aspiciens vidit signum crucis ex clarissimo lumine, et hunc titulum literis aureis scriptum : « In hoc signo vinces. » Qui celesti visione confortatus similitudinem crucis fecit, et ipsam ante suum exercitum ferri jussit, irruensque in hostes, ipsos in fugam vertit, et multitudinem maximam interfecit. Tunc Constantinus omnes templorum pontifices convocavit, et cujus hoc signum esset diligentius requisivit. Quibus se nescire dicentibus, quidam Christiani advenerunt, et ei sancte crucis mysterium et fidem trinitatis plenius enarraverunt. Videns ergo imperator quod virtute sancte Crucis talem habuit victoriam, dixit quod tam mirabile signum non debeat esse supplicium malefactorum. Tunc fecit legem per totum mundum quod signum crucis non esset supplicium, sed refugium delinquentium. Propter hoc decetero crux Christi fuit dilecta a delinquentibus, et malefactoribus, et honorata, et mandavit fieri furcas ad supplicium malefactorum. Ecce quomodo fuit evacuatum secundum scandalum crucis, et decetero si malefactores poterant fugere ad templum Dei, et tenere se ad crucem, liberabantur. Ideo Aug.: « Crux que erat supplicium latronum jam transit ad frontes imperatorum. »

Nota hic moraliter de confidentia nostra in infirmitatibus, et contra pericula in cruce ponenda, quia si imperatori infideli victoriam contulit, quanto magis christianis, si habemus in Deo devotionem, salutem impetrabit ? Ostende signare juxta prophetiam Can. 8 : « Sub arbore malo suscitavi te... Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » Et loquitur Ecclesie Christiane, que est filia synagoge, quia et discipuli Christi qui Ecclesiam primitivam inceperunt, filii erant synagoge. Ideo Deus per os Salomonis dixit Ecclesie : Sub arbore malo, sc. crucis, que fecit unum pomum album et rubicundum, sc. Christum, suscitavi te, sc. Ecclesiam Christianam, quia tunc incepit. Ibi, sc. in Christi passione corrupta est mater tua, sc. synagoga, crucifigendo Messiam. Ideo tu pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Ostendit modum signandi Ecclesie Christiane, sed aliqui faciunt oppositum, signantes se super ventrem, facientes crucem beati Petri que neminem salvat. Fac super brachium, sc. de scapula ad scapulam isto modo. Si cum devotione facitis crucem, ipsa liberabit vos ab omnibus periculis. Ideo dicit Ecclesia : « Salve, crux sancta ! salve, mundi gloria ! »

Digitized by Google

Tertium scandalum est personarum non credentium. Et istud venit ex cordis duritia. Increduli enim ut Judei, Agareni et Pagani, scandalizantur audientes quod Deus fuit in cruce suspensus, cum tamen Judei habebant clare in suis libris et prophetiis quod Messias debebat in cruce pati, ut patet in psal.: *Hely, hely,* id est : Deus, Deus meus, respice ! In quo David prolixe loquitur de Christi passione. Item Esa. 53 : « Domine, quis credidit... Non est species ei, neque decor », etc. Et loquitur de Messia, et de passione, etc. Nec de aliis potest exponi nisi de Deo, secundum quod etiam Judei de eo exponunt, item Moyses (Deut. 28) de captivitate Judeorum dixit : « Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vite tue. » Sc. Messie. Judei ergo non possunt se excusare ex ignorantia, sed ex duritia dicendo : Omnes parentes nostri mortui sunt Judei, etc. Nec Agareni poterunt se excusare ex ignorantia, quia Machometus dixit in Alchorano quod credant evangeliis Christi, qui dicunt Christum crucifixum fuisse inquantum erat homo, sed allegant duritiam dicendo : Ducam ad mortem patrem meum ?

De isto scandalo dixit apostolus : « Nos predicamus Christum crucifixum. Judeis quidem, supple est scandalum, gentibus autem stultitia. » (1 Cor. 1.) Sed hoc scandalum evacuatum est a multis Judeis qui tunc erant Hierusalem per miraculosam crucis inventionem. — Dicatur de inventione miraculosa sancte crucis per sanctam Helenam imperatricem, Constantini imperatoris matrem, que venit Hierusalem ad querendum crucem Domini. Intelligentes Judei quod propter hoc venerat, tenuerunt consilium, determinando ne aliquid sibi diceretur de hac materia. Que vocavit omnes sapientes. etc. — Nota de historia. — Sic enim evacuatum est scandalum crucis, dimissa duritia, visis tot miraculis. Judas qui crucem invenit baptizatur, et Cyriacus appellatur, et Hierosolimis defuncto episcopo ibidem in episcopum ordinatur. Deinde pro Christo martyr effectus est a Juliano apostata. Conversi autem ad fidem Christi cantabant dicentes : « Nos autem gloriari oportet in cruce », etc. — Moraliter dicatur hic de medicina crucis adhibenda contra infirmitates, dicendo Jesus cum signo crucis. Unde dicit Gregorius : « Si nosse desideras crucis virtutem, crux est infirmorum virtus, egrotantium medicina. »

Digitized by Google

In Festo Corone Domini

(Manuscrit de Valence)

Coronam de spinis imposuerunt capiti ejus.
(Joan. 19 originaliter, et in evangelio hodierno scribitur verbum istud.)

Per totum mundum, in ordine nostro predicatorum celebratur solemnitas de corona Jesu Christi qua fuit coronatus in sua passione. Et venit bene postquam heri habuimus festum de Cruce. Et ratio est quia nostra redemptio stat in duobus, sc. esse liberatos a penis infernalibus, et esse collocatos in gloria. Et primum habuimus per Sancta Crucem in qua fuit Christus mortuus, et secundum habemus per Coronam, nam sicut ipse fuit coronatus corona dolorum, nos simus coronati in paradiso corona glorie. Et ita venit bene hec solemnitas post Crucem.— Sed ut gratia divina intersit in presenti sermone, recurramus ad virginem Mariam.

Istud verbum propositum pro thema vult dicere : *Corona de espinas pusieron en la cabeça de Jesu Cristo.* — Et sciatis quod ego inveni in Sancta Scriptura quod Christus habuit in hoc mundo tres coronas, sc. ad modum pape vel imperatoris, nam unam habet ferream, aliam argenteam, aliam auream. Ita Christus, papa et imperator totius mundi, habuit tres coronas. Prima corona est de *sapientia divinal,* et hanc recepit in sua sancta incarnatione ; secunda est de *penitentia corporal,* et hanc recepit in sua dolorosa passione ; tertia est de *presidentia personal* in sua gloriosa resurrectione. Et propter istas tres coronas dicebat beatus Joannes in Apoc.: « Vidi celum apertum, et ecce equus albus... diademata multa. » (Apoc. 19.) Et equus iste fuit Christi ; et erat albus, nam regebat eum cum *brida* abstinentie ; sicut bonus miles gubernabat suum equum cum freno et *brida,* nam qui non gubernat bene suum equum, sc. corpus suum per abstinentiam, ejiciet eum in luto luxurie. Et ita observavit Christus, quod semper in hoc mundo fuit sibi quadragesima, sc. tantum in die comedendo semel ; et ut dicit Magister historiarum, quod nunquam comedit carnem nisi de agno pasche. Et de ista corona loquitur thema : « Corona de spinis », etc. Et sic modo sum in materia quam volo predicare. Et videamus de singulis.

Ad primum de corona sapientie divinalis quam Christus recepit in sua sancta incarnatione. Et sapientia in Sancta Scriptura dicitur corona, et persona sapiens potest dici coronata propter tres similitudines : nam

Digitized by Google

sicut locus corone est in capite, ita locus sapientie est in capite. Et ideo Ecclesia dicit : « Corona aurea... signo sanctitatis. » — Item propter aliam similitudinem, nam sicut corona est rotunda, et antequam sit rotunda non dicitur corona, ita sapientia, juncto capite primo, sc. scientia veritatis, cujus principium est Deus, nam scientia donum Dei, cum secundo capite, sc. sapientia divinitatis, dicitur rotunda, ita corona ; nam differentia est inter scientiam et sapientiam, nam sapientia est sapida scientia, ut habetur Eccl. 6 : « Sapientie doctrine secundum nomen est ejus », etc. Et dicit : secundum nomen ejus, id est sapida scientia, nam multi sunt scientes, ut philosophi, et artiste, et juriste, et etiam theologiste, qui non sunt sapientes sapientia divinali. — Item propter aliam similitudinem, nam sicut corona habet quatuor flores ; unum antea in fronte, alium retro ; alium in parte dextra, alium in parte sinistra ; ita ista corona sapientie divinalis habet quatuor flores :

Prima *flor* est cognitio creatoris, sc. quod ipse creavit totum mundum, etc., et ista stat ante circa frontem. Et secundus flos *(sic)* est cognitio creaturarum corporalium et spiritualium, etc., et ista stat retro caput. Et tertia *flor* est cognitio glorie paradisi, que stat parata personis sancte vite et penitentie ; et hec stat de latere dextro in capite. Et quarta *flor* est cognitio inferni ubi sunt pene personis peccatricibus et penitentibus. Et ideo Salomon loquens de hac corona dicit : « Sapientia dabit capiti tuo », etc. (Prov. 4.) Et hanc coronam sapientie recepit Christus in sua incarnatione. Et ecce quomodo. Nam cum angelus Gabriel salutasset eam, dicendo : « Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum », fuit turbata virgo Maria, non propter visionem angeli : nam non erat illa prima vice illa quod vidisset angelum, a quo salutabatur secundum modum consuetum, dicendo : « *Bona dies !* virgo Maria », et similia verba consueta, quia quotidie erat cum ea. Sed fuit turbata, propter salutationem quam sibi faciebat, non consuetam, dicendo : « Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. » Nam dicit beatus Lucas quod beata virgo Maria, fuit « turbata in sermone ejus », sc. non consueto. Et ideo ex hoc habetis vos, *mes filles*, bonam doctrinam, quod quando aliquis homo juvenis salutat vos, secundum consuetum morem dicendo : *Bon jorn !* etc., non debetis vos turbare, sed respondere : Deus det vobis bonum diem ! et resalutare. Sed si salutaret non secundum consuetum modum, dicendo sc.: O vita mea, et consolatio ! etc., tunc debetis vos turbari, et non respondere : sed respiciatis vos, quod decipere vos vult, sicut la *guineu et rebossa* [vulpes]. Et ideo virgo Maria fuit turbata, propter non consuetam salutationem, sc.: « Ave, Maria, gratia plena, etc., tecum. » Licet ipsa bene sciret, quod angelus non posset peccare, et non salutaret eam causa decipiendi : et ideo magis turbata fuit considerando quod angelus non posset id facere causa decipiendi,

Digitized by Google

et insolitum modum salutandi. Et ideo cum angelus dixit : « Ne timeas, Maria... et eligere bonum », (Ibidem et Isaie 7) cognovit quod missus erat a Deo ; et ideo dixit : « Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco ? » Volens se certificare. Et tunc respondit angelus : « Spiritus Sanctus... vocabitur filius Dei. » Et tunc virgo Maria prebuit consensum suum, dicendo : « Ecce ancilla Domini, etc., Verbum tuum. » (Luce 1.) Et concepit incontinenti cum protulit : « Fiat mihi secundum Verbum tuum. » Ibi enim fuit, et in eodem instanti corpus Christi organisatum cum anima in simul, et tanta sapientia sicut hodie habet in celo.

Et de hac corona sapientie divinalis habetur Cant. 3 : « Egredimini, et videte Salomonem in diademate », etc. Et nota quod regula est inter Judeos, et bene, quod quoties nominatur Salomon in hoc libro intelligatur Deus. Et dicit : Egredimini, ut exeant *de la leguana* familiaris ; nam aliquoties ludunt a *puñades*. Item dicit : Egredimini, loquendo Judeis et infidelibus, ut exeant de tenebris infidelitatis, et ut videant Deum coronatum, sc. Christum verum Messiam. Item, loquendo de christianis, qui stant in nubibus peccatorum dicit : « Egredimini, filie Sion », sc. de nubibus peccatorum, ut videatis Deum coronatum, id est Christum verum Messiam per hanc sapientiam divinam ; nam peccata impediunt contemplationem, et hanc sapientiam. Item, loquendo de malis religiosis qui stant impediti ad contemplandum Deum coronatum, propter familiaritates carnales, dicit « Egredimini », de fumo negotiationum, ut non curetis recipere litteras de factis et negotiis mundi, nec scire aliqua nova, nec etiam de parentibus, et fratribus : nam impediunt videre Deum coronatum, id est contemplare Christum et passionem ejus. Et dicit : Videte Salomonem in diademate, id est sapientia que dicitur corona. Et sicut Salomon rex erat sapientior super omnes creaturas, ideo Christus comparatur Salomoni, quia Christus habuit incontinenti, quando fuit organisatus in ventre Virginis, in eodem instanti Deus pater docuit sibi omnem sapientiam divinam dicendo : Fili mi, respiciatis subtus ad inferna ubi videtis sanctos patres et parvulos qui mortui fuerunt innocentes, vinculatos in sinu [inferni], qui non possunt solvi nisi vos primo sitis vinculatus per Judeos : Placet vobis ? — Et respondebat Christus : *Pare*, ita. Item videtis purgatorium ubi stant anime que simul exierint de purgatorio non possunt intrare in gloria nisi vos primo sitis purgatus. Item videtis innocentes... [*Intervalle blanc dans le manuscrit.*]

Ad secundam coronam de penitentia corporali quam recepit in sua dolorosa passione ; et de hac fit festum hodie et loquitur thema. Et voluit ligari ut nos desligaremur de vinculis inferni, et voluit *attacari* ut nos liberaremur ab *attacatione* demonum. Et voluit finaliter coronari de spinis ut nos coronaremur in gloria preparata sibi obedientibus, ut Eccle-

Digitized by Google

sicut locus corone est in capite, ita locus sapientie est in capite. Et ideo Ecclesia dicit : « Corona aurea... signo sanctitatis. » — Item propter aliam similitudinem, nam sicut corona est rotunda, et antequam sit rotunda non dicitur corona, ita sapientia, juncto capite primo, sc. scientia veritatis, cujus principium est Deus, nam scientia donum Dei, cum secundo capite, sc. sapientia divinitatis, dicitur rotunda, ita corona ; nam differentia est inter scientiam et sapientiam, nam sapientia est sapida scientia, ut habetur Eccl. 6 : « Sapientie doctrine secundum nomen est ejus », etc. Et dicit : secundum nomen ejus, id est sapida scientia, nam multi sunt scientes, ut philosophi, et artiste, et juriste, et etiam theologiste, qui non sunt sapientes sapientia divinali. — Item propter aliam similitudinem, nam sicut corona habet quatuor flores ; unum antea in fronte, alium retro ; alium in parte dextra, alium in parte sinistra ; ita ista corona sapientie divinalis habet quatuor flores :

Prima *flor* est cognitio creatoris, sc. quod ipse creavit totum mundum, etc., et ista stat ante circa frontem. Et secundus flos *(sic)* est cognitio creaturarum corporalium et spiritualium, etc., et ista stat retro caput. Et tertia *flor* est cognitio glorie paradisi, que stat parata personis sancte vite et penitentie ; et hec stat de latere dextro in capite. Et quarta *flor* est cognitio inferni ubi sunt pene personis peccatricibus et penitentibus. Et ideo Salomon loquens de hac corona dicit : « Sapientia dabit capiti tuo », etc. (Prov. 4.) Et hanc coronam sapientie recepit Christus in sua incarnatione. Et ecce quomodo. Nam cum angelus Gabriel salutasset eam, dicendo : « Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum », fuit turbata virgo Maria, non propter visionem angeli : nam non erat illa prima vice illa quod vidisset angelum, a quo salutabatur secundum modum consuetum, dicendo : « *Bona dies !* virgo Maria », et similia verba consueta, quia quotidie erat cum ea. Sed fuit turbata, propter salutationem quam sibi faciebat, non consuetam, dicendo : « Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. » Nam dicit beatus Lucas quod beata virgo Maria, fuit « turbata in sermone ejus », sc. non consueto. Et ideo ex hoc habetis vos, *mes filles*, bonam doctrinam, quod quando aliquis homo juvenis salutat vos, secundum consuetum morem dicendo : *Bon jorn !* etc., non debetis vos turbare, sed respondere : Deus det vobis bonum diem ! et resalutare. Sed si salutaret non secundum consuetum modum, dicendo sc.: O vita mea, et consolatio ! etc., tunc debetis vos turbari, et non respondere : sed respiciatis vos, quod decipere vos vult, sicut la *guineu et rebossa* [vulpes]. Et ideo virgo Maria fuit turbata, propter non consuetam salutationem, sc.: « Ave, Maria, gratia plena, etc., tecum. » Licet ipsa bene sciret, quod angelus non posset peccare, et non salutaret eam causa decipiendi : et ideo magis turbata fuit considerando quod angelus non posset id facere causa decipiendi,

Digitized by Google

et insolitum modum salutandi. Et ideo cum angelus dixit : « Ne timeas, Maria... et eligere bonum », (Ibidem et Isaie 7) cognovit quod missus erat a Deo ; et ideo dixit : « Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco ? » Volens se certificare. Et tunc respondit angelus : « Spiritus Sanctus... vocabitur filius Dei. » Et tunc virgo Maria prebuit consensum suum, dicendo : « Ecce ancilla Domini, etc., Verbum tuum. » (Luce 1.) Et concepit incontinenti cum protulit : « Fiat mihi secundum Verbum tuum. » Ibi enim fuit, et in eodem instanti corpus Christi organisatum cum anima in simul, et tanta sapientia sicut hodie habet in celo.

Et de hac corona sapientie divinalis habetur Cant. 3 : « Egredimini, et videte Salomonem in diademate », etc. Et nota quod regula est inter Judeos, et bene, quod quoties nominatur Salomon in hoc libro intelligatur Deus. Et dicit : Egredimini, ut exeant *de la leguana* familiaris ; nam aliquoties ludunt a *puñades*. Item dicit : Egredimini, loquendo Judeis et infidelibus, ut exeant de tenebris infidelitatis, et ut videant Deum coronatum, sc. Christum verum Messiam. Item, loquendo de christianis, qui stant in nubibus peccatorum dicit : « Egredimini, filie Sion », sc. de nubibus peccatorum, ut videatis Deum coronatum, id est Christum verum Messiam per hanc sapientiam divinam ; nam peccata impediunt contemplationem, et hanc sapientiam. Item, loquendo de malis religiosis qui stant impediti ad contemplandum Deum coronatum, propter familiaritates carnales, dicit « Egredimini », de fumo negotiationum, ut non curetis recipere litteras de factis et negotiis mundi, nec scire aliqua nova, nec etiam de parentibus, et fratribus : nam impediunt videre Deum coronatum, id est contemplare Christum et passionem ejus. Et dicit : Videte Salomonem in diademate, id est sapientia que dicitur corona. Et sicut Salomon rex erat sapientior super omnes creaturas, ideo Christus comparatur Salomoni, quia Christus habuit incontinenti, quando fuit organisatus in ventre Virginis, in eodem instanti Deus pater docuit sibi omnem sapientiam divinam dicendo : Fili mi, respiciatis subtus ad inferna ubi videtis sanctos patres et parvulos qui mortui fuerunt innocentes, vinculatos in sinu [inferni], qui non possunt solvi nisi vos primo sitis vinculatus per Judeos : Placet vobis ? — Et respondebat Christus : *Pare*, ita. Item videtis purgatorium ubi stant anime que simul exierint de purgatorio non possunt intrare in gloria nisi vos primo sitis purgatus. Item videtis innocentes... [*Intervalle blanc dans le manuscrit.*]

Ad secundam coronam de penitentia corporali quam recepit in sua dolorosa passione ; et de hac fit festum hodie et loquitur thema. Et voluit ligari ut nos desligaremur de vinculis inferni, et voluit *attacari* ut nos liberaremur ab *attacatione* demonum. Et voluit finaliter coronari de spinis ut nos coronaremur in gloria preparata sibi obedientibus, ut Eccle-

Digitized by Google

sicut locus corone est in capite, ita locus sapientie est in capite. Et ideo Ecclesia dicit : « Corona aurea... signo sanctitatis. » — Item propter aliam similitudinem, nam sicut corona est rotunda, et antequam sit rotunda non dicitur corona, ita sapientia, juncto capite primo, sc. scientia veritatis, cujus principium est Deus, nam scientia donum Dei, cum secundo capite, sc. sapientia divinitatis, dicitur rotunda, ita corona ; nam differentia est inter scientiam et sapientiam, nam sapientia est sapida scientia, ut habetur Eccl. 6 : « Sapientie doctrine secundum nomen est ejus », etc. Et dicit : secundum nomen ejus, id est sapida scientia, nam multi sunt scientes, ut philosophi, et artiste, et juriste, et etiam theologiste, qui non sunt sapientes sapientia divinali. — Item propter aliam similitudinem, nam sicut corona habet quatuor flores ; unum antea in fronte, alium retro ; alium in parte dextra, alium in parte sinistra ; ita ista corona sapientie divinalis habet quatuor flores :

Prima *flor* est cognitio creatoris, sc. quod ipse creavit totum mundum, etc., et ista stat ante circa frontem. Et secundus flos *(sic)* est cognitio creaturarum corporalium et spiritualium, etc., et ista stat retro caput. Et tertia *flor* est cognitio glorie paradisi, que stat parata personis sancte vite et penitentie ; et hec stat de latere dextro in capite. Et quarta *flor* est cognitio inferni ubi sunt pene personis peccatricibus et penitentibus. Et ideo Salomon loquens de hac corona dicit : « Sapientia dabit capiti tuo », etc. (Prov. 4.) Et hanc coronam sapientie recepit Christus in sua incarnatione. Et ecce quomodo. Nam cum angelus Gabriel salutasset eam, dicendo : « Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum », fuit turbata virgo Maria, non propter visionem angeli : nam non erat illa prima vice illa quod vidisset angelum, a quo salutabatur secundum modum consuetum, dicendo : « *Bona dies !* virgo Maria », et similia verba consueta, quia quotidie erat cum ea. Sed fuit turbata, propter salutationem quam sibi faciebat, non consuetam, dicendo : « Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. » Nam dicit beatus Lucas quod beata virgo Maria, fuit « turbata in sermone ejus », sc. non consueto. Et ideo ex hoc habetis vos, *mes filles*, bonam doctrinam, quod quando aliquis homo juvenis salutat vos, secundum consuetum morem dicendo : *Bon jorn !* etc., non debetis vos turbare, sed respondere : Deus det vobis bonum diem ! et resalutare. Sed si salutaret non secundum consuetum modum, dicendo sc.: O vita mea, et consolatio ! etc., tunc debetis vos turbari, et non respondere : sed respiciatis vos, quod decipere vos vult, sicut la *guineu et rebossa* [vulpes]. Et ideo virgo Maria fuit turbata, propter non consuetam salutationem, sc.: « Ave, Maria, gratia plena, etc., tecum. » Licet ipsa bene sciret, quod angelus non posset peccare, et non salutaret eam causa decipiendi : et ideo magis turbata fuit considerando quod angelus non posset id facere causa decipiendi,

Digitized by Google

et insolitum modum salutandi. Et ideo cum angelus dixit : « Ne timeas, Maria... et eligere bonum », (Ibidem et Isaie 7) cognovit quod missus erat a Deo ; et ideo dixit : « Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco ? » Volens se certificare. Et tunc respondit angelus : « Spiritus Sanctus... vocabitur filius Dei. » Et tunc virgo Maria prebuit consensum suum, dicendo : « Ecce ancilla Domini, etc., Verbum tuum. » (Luce 1.) Et concepit incontinenti cum protulit : « Fiat mihi secundum Verbum tuum. » Ibi enim fuit, et in eodem instanti corpus Christi organisatum cum anima in simul, et tanta sapientia sicut hodie habet in celo.

Et de hac corona sapientie divinalis habetur Cant. 3 : « Egredimini, et videte Salomonem in diademate », etc. Et nota quod regula est inter Judeos, et bene, quod quoties nominatur Salomon in hoc libro intelligatur Deus. Et dicit : Egredimini, ut exeant *de la leguana* familiaris ; nam aliquoties ludunt a *puñades*. Item dicit : Egredimini, loquendo Judeis et infidelibus, ut exeant de tenebris infidelitatis, et ut videant Deum coronatum, sc. Christum verum Messiam. Item, loquendo de christianis, qui stant in nubibus peccatorum dicit : « Egredimini, filie Sion », sc. de nubibus peccatorum, ut videatis Deum coronatum, id est Christum verum Messiam per hanc sapientiam divinam ; nam peccata impediunt contemplationem, et hanc sapientiam. Item, loquendo de malis religiosis qui stant impediti ad contemplandum Deum coronatum, propter familiaritates carnales, dicit « Egredimini », de fumo negotiationum, ut non curetis recipere litteras de factis et negotiis mundi, nec scire aliqua nova, nec etiam de parentibus, et fratribus : nam impediunt videre Deum coronatum, id est contemplare Christum et passionem ejus. Et dicit : Videte Salomonem in diademate, id est sapientia que dicitur corona. Et sicut Salomon rex erat sapientior super omnes creaturas, ideo Christus comparatur Salomoni, quia Christus habuit incontinenti, quando fuit organisatus in ventre Virginis, in eodem instanti Deus pater docuit sibi omnem sapientiam divinam dicendo : Fili mi, respiciatis subtus ad inferna ubi videtis sanctos patres et parvulos qui mortui fuerunt innocentes, vinculatos in sinu [inferni], qui non possunt solvi nisi vos primo sitis vinculatus per Judeos : Placet vobis ? — Et respondebat Christus : *Pare*, ita. Item videtis purgatorium ubi stant anime que simul exierint de purgatorio non possunt intrare in gloria nisi vos primo sitis purgatus. Item videtis innocentes... [*Intervalle blanc dans le manuscrit.*]

Ad secundam coronam de penitentia corporali quam recepit in sua dolorosa passione ; et de hac fit festum hodie et loquitur thema. Et voluit ligari ut nos desligaremur de vinculis inferni, et voluit *attacari* ut nos liberaremur ab *attacatione* demonum. Et voluit finaliter coronari de spinis ut nos coronaremur in gloria preparata sibi obedientibus, ut Eccle-

Digitized by Google

sia dicit : « Coronat regem omnium... confert glorie. » Et sequitur : Et rubicundum vestimentum imposuerunt ; non quod vestimentum esset rubeum de se, sed quia erat uncta [*sic*] de sanguine Christi. « Estote imitatores Christi. » (Eph. 5.) Et ideo si vultis assimilari Christo, teneatis quatuor spinas de hac corona : Et prima que stat ante debet esse memoria de peccatis preteritis. Et secunda que stat retro debet esse memoria de peccatis factis per omissionem. Et tertia que stat in dextra debet esse de gratia Dei amissa, et gloriam paradisi et omnia opera bona et merita. Et ita ista spina debet pungere usque ad *intramenas*, quia per peccata omnia sunt perdita. Et quarta que stat in sinistra debet esse memoria de penis infernalibus que stant parate persone peccatrici : « Sicut lilium inter spinas », etc. (Cant. 2.)

Ad tertiam coronam de presidentia generali [alias personali]. Luc. 18 : « Qui se humiliat exaltabitur. » Et ideo in semetipso voluit hoc servare Christus, quia cum staret in cathedra ad latus Dei patris, voluit se humiliare subtus omnes creaturas : « Ego autem sum vermis et non homo. » (Ps. 21.) Et ideo dicit quia non ut homo fuit tractatus in sua passione, sed ut vermis. Et ideo David loquendo de hac corona, dicit Ps. 8 : « Minuisti eum paulo minus ab angelis. »

De Corona Domini

(Recueil imprimé)

Coronam de spinis imposuerunt capiti ejus.
(Joan. 19.)

Sicut sancta mater Ecclesia heri fecit festum et solemnitatem de Sancta Cruce Domini nostri Jesu Christi, eo quia in ea fuit passus, ita hodie ordo noster fratrum predicatorum facit ubique per totum mundum festum de Corona Domini, qua fuit coronatus in sua passione in die veneris sancta. Et de ista materia erit etiam sermo noster. Salutetur etiam virgo Maria, etc.

Pro introductione materie predicande, sciendum quod inter alias magnas revelationes quas Christus fecit beato Joanni evangeliste in Apocalipsi, fuit una valde clara de materia hodierna, de qua ipse dicit : « Vidit celum apertum... in capite ejus diademata multa. » (Apoc. 19.)

Hic sunt sex clausule, et bene notande. Prima ibi : Vidi celum apertum. Ista apertura signat incarnationem Christi, quando de celo voluit venire in uterum virginalem. Tunc enim dicitur celum fuisse apertum, sicut quando aliquis Dominus dat aliquod donum, dicitur habere

Digitized by Google

bursam apertam. Ita etiam dicitur de illo maximo dono filii Dei, quem Deus pater donavit pro nostra redemptione, quando misit ipsum in hunc mundum, ideo dicitur celum fuisse apertum. — Secunda ibi: Ecce equus albus. Ecce hic conversatio Christi. Equus albus fuit ejus gloriosissimum corpus, quia sicut regitur a milite, freno et calcaribus amoris et timoris, equitante super sellam, sic corpus Christi fuit a Spiritu Sancto gubernatum freno temperantie, et calcaribus amoris et timoris filialis, vel reverentialis, sedente in sella virginitatis vel puritatis : « Talis enim decebat ut esset nobis pontifex... segregatus a peccatoribus. » (Heb. 7.) Et ita observavit Christus in gubernando suum corpus per abstinentiam, quod semper in hoc mundo fuit quadragesima. Et, ut dicit magister Hist.: Nunquam comedit carnes nisi de agno paschali. — Tertia ibi : Et vocabatur fidelis et vera, sc. in doctrina evangelice predicationis. Fidelis, sc. ad complendum omnes promissiones factas in veteri testamento. Verax, quia doctrina evangelica, quam predicavit, puram, et veram, et certam continet veritatem. — Quarta ibi : Et cum justitia judicat et pugnat ; et hoc in humani generis redemptione, quoniam voluit facere sine violentia et potentia, sed cum humilitate, patientia, et justitia, satisfecit patri, pugnando pro nobis in die veneris. — Quinta ibi : Oculi autem ejus sicut flamma ignis, sc. in ejus gloriosa resurrectione. Ratio, quia sicut flamma, deitas, anima, et corpus simul ascenderunt gloriose resurgendo. — Sexta ibi : Et in capite ejus diademata multa.

Ego quesivi amore vestri in sacra scriptura quot Christus coronas habuit. Et invenio quod ad similitudinem pape vel imperatoris habuit tres coronas :

Prima fuit de sapientia divinali ;

Secunda fuit de penitentia corporali ;

Tertia fuit de presidentia generali.

De secunda loquitur thema : « Coronam de spinis », etc. Et de ista fit solemnitas hodierna.

Dico primo quod rex noster Jesus Christus fuit coronatus in hoc mundo corona de sapientia divinali. Pro cujus declaratione sciendum quod sapientia recte dicitur corona triplici ratione. Prima quia corona in capite portatur ; qui alibi portaret, non diceretur coronatus. Sic sapientia ad instar corone in capite residet, ideo dicitur vulgariter, de persona sapientie : O quomodo habet bonum caput, vel bonam testam ! De ista dicitur : « Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis. » (Eccl. 45.) Nota expressa sigillo sanctitatis : aliqui habent coronam sapientie in capite, quia sunt apti in aliqua facultate, vel theologie, vel juris, etc., ad legendum, disputandum, et predicandum, sed non expressam signo sanctitatis, sed vanitatis, quia conscientia et eorum

Digitized by Google

vita non concordat cum divina sapientia, sed quando vita concordat cum sapientia, tunc corona sapientie est expressa signo sanctitatis, quia habent magnam scientiam et devotionem et bonam conscientiam.

Secunda ratio est, quia corona caret terminis, sc. fine et principio. Ideo dicitur diadema, quasi duo demens, sc. finem et principium. Habet enim figuram circularem, et non quadrangularem. Ita sapientia divina caret fine et principio, ut Deus, sicut enim in figura circulari finis unitur principio, ita persona sapiens quicquid facit, facit ad laudem Dei, et non ad vanam gloriam seu lucrum, vel propter honores, seu dignitates mundanas acquirendas. Secus de multis, qui habent scientiam, sed non divinam, quia finis eorum non unitur principio, sc. Deo. V. gr.: Multi sunt sapientes in legibus, qui laboraverunt in studio, principium est a Deo, quia « omnis sapientia a Domino Deo est ». (Eccl. 1.) Sed videamus de fine, utrum sit ad Deum vel mundum, si enim finis eorum est mundanus, et non divinus, principium est a Deo, finis vero non. Si enim homo interrogaret studentes dicendo : Quare studes? que est intentio tua? Omnes responderent : Ut postquam fuero baccalarius, vel doctor, vadam ad patriam, et ducam uxorem, ero advocatus, et congregabo, etc. Ecce qualis finis, cum tamen finis debeat esse dicendo : Ego studeo ut secundum Deum et jura regam primo personam meam, deinde communitatem, etc. Idem de canonistis, quia cum pro dignitatibus obtinendis principium est a Deo, et finis non concordat. Sed si dicerent : Deus dedit canones et leges, ut ecclesia et mundus eis gubernetur : Ideo volo studere ut sciam me regere, et Ecclesiam Dei. Talis finis est bonus ; si post datur vobis beneficium vel dignitas, bene venerit. Idem de theologis. Modo solum pauperes curant de theologia, cujus principium est a Deo, sed finis multorum est ad mundum, sc. ut videantur, laudentur, et habeant confessiones, familiaritates, curas vel episcopatum, etc., talis finis non unitur principio. Sed theologus debet studere ut cognoscat Deum, et eum cognoscendo diligat, et faciat ipsum alios cognoscere et amare, predicando vel legendo, et sic lucratur coronam glorie quam multi perdunt, quia eorum finis est solum ad illa mundana et transitoria. Unde Jacobus apostolus dicebat : « Non est ista sapientia desursum descendens a patre luminum », id est divina, sed terrena, animalis, diabolica. (Jac. 3.)

Tertia ratio, quia corona quibusdam floribus eminet, fulget, et ornatur, sc. quatuor, secus de garlanda seu crinali, quod est simpiex. Ista corona sapientie eminet quatuor floribus, ante et retro, a dextris et a sinistris. Flos qui ante eminet, est cognitio Dei, qui est creator et gubernator omnium creaturarum, simplex in essentia, et trinus in personis, premiator bonorum, et punitor malorum. Flos retro est cognitio creaturarum, quomodo sunt in triplici gradu. Quedam sunt pure spiri-

Digitized by Google

tuales, ut angeli et anime, quedam pure corporales, ut elementa, et jumenta, quedam spirituales et corporales, ut homines. Flos a dextris est cognitio bonorum operum que facere tenemur, et glorie sperande. Flos a sinistris est cognitio peccatorum ut caveantur, et penarum inferni, ut vitentur. Ecce triplex ratio quare divina dicit : « Sapientia dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclita proteget te. » (Prov. 4.)

Dico quod de ista corona que est sapientia divina Christus fuit coronatus. Hec corona fuit imposita Christo homini in die incarnationis, quando virgo Maria dixit angelo : « Ecce ancilla Domini », etc. Dicunt theologi quod in instanti conceptionis anima Christi habuit tantam sapientiam quantam habet nunc in celo. Habuit enim hec corona Christi quatuor flores eminentes : ante, quia habuit sapientiam de Deo, cognitionem de trinitate, etc., cum tamen corpus ejus gloriosissimum non esset ita magnum ut formica, et jam illa anima videbat essentiam divinam clare, et trinitatem personarum, etc. Retro, quia in instanti sue conceptionis habuit cognitionem omnium creaturarum, et proprietatum earum, stellarum, volucrum, piscium, animalium, metallorum, gemmarum, et omnium factorum, et faciendorum, et factibilium, de die judicii, et de omnibus cogitationibus cordium humanorum. A dextris, quia habuit cognitionem omnium angelorum et omnium predestinatorum. Deus pater ostendit sibi librum predestinationis divine, in quo vidit omnes salvandos per eum. A sinistris, quia habuit cognitionem de inferno, de omnibus penis, et de omnibus damnandis, et causas et rationes eorum damnationis. Item quot imperatores, quot reges, etc., essent in mundo, et de illis tot damnarentur ex injustitia. Item quot prelati, et tot damnarentur ex simonia, quot religiosi ex inobedientia, quot clerici ex luxuria, quot de matrimonio ex mala vita, quot vidue, quot moniales, quot puelle, omnia cognovit subito.

De ista corona autoritas : « Egredimini filie Syon... corda ejus. » (Cant. 3.) Nota : Egredimini filie Syon, id est anime devote et contemplative, et videte regem Salomonem, id est Christum. Regula est et vera doctorum, theologorum Christianorum et etiam Judeorum, ut ibi in isto li. dicitur Salomon, sponsus vel dilectus, et similia, intelligitur Christus, et ubi ponitur sponsa, vel columba, intelligitur et exponitur de ecclesia vel de virgine Maria, seu de anima devota. Hec est expositio secundum nos, sed Judei exponunt de synagoga : « In diademate quo coronavit eum mater sua. » Nota : Judee, ergo Deus habet matrem, ergo conceptus et natus de muliere, ergo natus homo, est argumentum insolubile. Synagoga autem non genuit, nec concepit, nec peperit eum. Sed quare dicitur : Quo coronavit eum mater sua ? et non de patre ? Quia Christus in quantum homo non habet patrem hominem, sed solum

Digitized by Google

matrem virginem, sicut inquantum Deus habet patrem sine matre. Nota in die desponsationis, sicut in die desponsationis vir et uxor sunt una caro, erunt duo in carne una, ita quod jam « non sunt duo, sed una caro ». (Mat. 19.) Ita unio humanitatis et divinitatis in Christo non sunt due persone, sed una caro, ideo incarnatio illa dicitur desponsatio : « Et in die letitie cordis ejus », sc. virginis Marie, quia illud fuit primum gaudium, et letitia cordis ejus. O quale gaudium fuit virgini Marie quando scivit se esse matrem Dei, reginam celi, etc. De prima corona hec sufficiant.

Dico secundo quod fuit coronatus in hoc mundo corona de penitentia corporali, de qua loquitur thema : Coronam de spinis imposuerunt capiti ejus. Ipse enim predicabat, et affirmabat se esse regem Messiam promissum in lege. Propter hoc dixerunt Judei, et milites Pilati : Si rex est, ergo coronetur. Tunc milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus. Et sequitur : « Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum. » Vestimentum tunc fuit purpureum, id est sanguineis guttis ex corona distillantibus rubricatum. (Joan. 19.) Ratio quare voluit de spinis coronari est, quia nos ex peccato Ade, et ex nostris, incurrimus duo magna mala et damna. Primum, quia eramus condemnati, et obligati ad furcam inferni, in qua suspenduntur peccatores igne supposito, nec possunt mori. Secundum est, quia perdidimus paradisi regni coronam quam ex gratia habere debebamus, propter hoc Christus voluit in cruce suspendi, ut sibi credentes et obedientes liberarentur a suspendio infernalis patibuli, dicens patri : Ego solus suspendar, etc. Ita etiam voluit corona spinea coronari, ut sibi credentibus et obedientibus daretur corona regni celestis. Ideo cantat ecclesia : « Coronat regem omnium corona contumelie, cujus nobis opprobrium coronam confert glorie. »

Moraliter si volumus obtinere coronam glorie in paradiso nobis a Christo promissam, oportet nos in hoc mundo habere in capite coronam spinarum, quatuor genera spinarum continentem. Anterius memoriam peccatorum, que commisimus amare conterendo. Contritio enim est spina que pungit conscientiam. Ita faciebat rex Ezechias dicens : « Recogitabo tibi omnes annos meos... Domine salvum me fac. » (Esa. 38.) Posterius cogitare penas in inferno quas meruimus. Propter hoc dixit Christus de Juda : « Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. » (Mat. 26.) Dextrorsum cogitando bona que peccando perdidimus, tempus perditum, et merita perdita, et premia, iste spine pingunt conscientiam. Sinistrorsum cogitando judicium generale, in quo Christus dicet : Ecce quid feci pro te, ostendens vulnera, quid fecisti pro me ? Si non potestis ostendere aliqua bona, quid dicetis ? Dico vobis quod damnati vellent esse tunc in profundo inferni, ne viderent illam diem

Digitized by Google

terribilem. Nota hic miraculum de illo juvene scutifero male vite, jurator, blasphemator, lusor, leno fuit, et cum in quadam nocte dormiret, somniavit quod fuit tractus ad judicium Dei, ubi videbat Christum, et virginem Mariam matrem, et sanctos, et coram Christo ducebantur anime. Et Christus dicebat cuilibet : Quid fecisti pro me ? Et aliqui qui tenuerunt hic bonam vitam, ostendebant aliqua bona, et aliqua mala, et Christus dabat sententiam bonam ut irent ad paradisum et gloriam. Alii autem erant qui nullum bonum habebant, sed impenitentes decesserant : istis dabat sententiam damnationis eterne, et crudeliter subito recipiebantur a demonibus, et ducebantur ad infernum. Juvenis hoc videns valde timebat dicens : O miser, quid dicam, quando interrogabit me, quia nullum bonum feci ? et post pauca fuit vocatus coram judice. Cui dixit judex : Quis es tu ? redde rationem vite tue. Tunc juvenis ad hoc verbum judicis fuit excitatus, et fuit totus canus sive albus, et totus rugatus. Et quid erit de veritate, quia tali somnio ille fuit alteratus ? Tunc ille juvenis dimisit omnes vanitates, et recepit cilicium, et multa jejunia, confitebatur sepe, et sic fuit conversus et sanctus effectus. Iste fuit coronatus corona spinarum. Personis que hac corona se coronant dicit Deus : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias », ut habetur Cant. 2.

Dico tertio quod fuit coronatus corona de presidentia generali. Chistus enim Dominus per suam passionem non solum nobis, sed etiam sibi meruit, sc. coronam universalis presidentie, et dominium universale super omnes creaturas, et hoc maxime apparebit in judicio generali. De hoc David, psal. 8, et apostolus ad Hebr. 2 dicunt : « Minuisti eum paulo minus ab angelis... semitas maris. » Et loquuntur patri de filio suo Jesu Christo, inquantum homo, dicentes : Minuisti eum paulominus, id est minus paulo, id est modicum ab angelis. Sed quare dicitur hoc, cum Christus etiam in quantum homo, esset major angelis in scientia, honore, et dignitate, et excellentior ? Hoc dicitur, quia Christus inquantum homo modicum fuit minor angelis, sc. in hoc quod fuit passibilis, propter hoc gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Modo ista presidentia, et Dominium Christi, non videtur nec percipitur nisi a Christianis per fidem, sed in generali judicio quando veniet in majestate, et non in humilitate, ut in primo adventu, et stabit in aere, sedens in throno judiciali, et congregabuntur ad eum omnes gentes.

Quinque conditiones ponuntur a David. Prima cum dicit oves, et sunt persone que habuerunt conditiones ovis. Ovis enim non nocet dentibus, ut canis, nec cornibus ut bos, nec pedibus ut equus, vel mulus. Sic persone simplices sunt oves, que non mordent diffamando, et qualis morsus est diffamatio ! nec cornibus potentię vel scientie percutiunt,

Digitized by Google

nec pedibus despiciendo aliquem, nec conculcant. Item ovis est benefica, dans lanam et lac. Item ovis non est vindicativa, ut canis. Item est obediens pastori suo. Qui habebunt conditiones ovis, in judicio erunt a dextris. Statuet quidem oves a dextris. (Mat. 25.)

Secunda conditio est cum dicit boves, qui signant personas de vita apostolica triplici ratione. Prima, quia bos est major ove, ita persona de vita apostolica est majoris perfectionis. Secunda, quia habent cornua. Ita persone de vita apostolica habent duo cornua. Primum bone vite, secundum vere doctrine. Tertia, bos non portat onus, sed trahit aratrum colendo terram. Ita persone de vita apostolica non debent portare onus proprietatis, sed trahere aratrum penitentie, colendo terram proprii corporis. Nota cum dicitur : Boves universas, in feminino, cum deberet dici in masculino, ad innuendum quod persone de vita apostolica debent esse ut vacce, habentes ubera doctrinarum, lactando dulciter populos, et eos nutriendo in devotione et penitentia, trahendo eos ad Deum. Tales in judicio erunt cum Christo conjudices : « Amen dico vobis... judicantes XII tribus Israel. » (Mat. 19.)

Tertia conditio est : Et pecora campi. Isti sunt qui in hoc mundo tenuerunt vitam bestialem, comedendo, bibendo, luxuriando, sicut bestie sine freno reguntur sensualiter. Quando asinus videt asinam, equus equam, etc. Ita homines bestiales sine freno rationis et timoris Dei sequuntur sensualitatem peccando, habita oportunitate.

Quarta conditio est : Volucres celi. Isti sunt sancti Angeli, qui in judicio separabunt bonos a malis. — Quinta conditio est : Et pisces maris. Isti sunt demones, qui ut pisces latitant et vadunt per mare ; ita et demones per mundum. Isti stabunt in gula inferni parati ad recipiendum malos, et secum portabunt. Super omnes autem Christus habet dominium universale merito sue passionis.

Digitized by Google

De beato Joanne ante Portam latinam

(Canevas autographe)

Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus.
(Joan. 21.)

Nota tres gradus divine dilectionis ad creaturas :
Primus ad omnes creaturas generaliter ;
Secundus ad bonas personas specialiter ;
Tertius ad beatum Joannem singulariter.
In hoc tertio gradu loquitur thema de beato Joanne.

De primo : quilibet artifex diligit omnia opera sua, etiam quantumcunque modica ; in tantum quod moleste gerit si eis ab aliquo detrahatur. Patet de pictore. Sap. 11 : Diligis omnia que sunt », etc. — Sed numquid diligit Deus peccatores et damnatos ? — Responsio : diligit naturam quam ipse creavit, non diligit culpam quam non fecit. Sicut pictor diligit ymaginem quam depinxit, odit autem turpitudinem super inductam. Sap. 14 : « Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus. »

De secundo : quilibet gerit specialem dilectionem ad amicos, sc. loquendo, conversando, convescendo, dando, juvando, et hujusmodi. Joan 15 : « Sicut dilexit me Pater et ego », etc. Ista dilectione non diliguntur scelesti, qui vitalia precepta Dei relinquentes, mortifera consilia dyaboli complectuntur. Sap. 7 : « Neminem diligit Deus nisi », etc.

De tertio : quilibet paterfamilias, et si generaliter diligat omnia et singula bona domus sue, et specialiter filios suos, tamen singulariter diligit filium pulcrum, humilem, obedientem, etc. Sic inter apostolos Joannes fuit singulariter dilectus. Beda : Diligebat Joannem Jesus, non exceptis ceteris, singulariter solum, sed pre ceteris quos diligebat familiarius unum. — Nota hujus singularis dilectionis signum, ex evangelio hodierno cum historia de dolio ferventis olei. Is. 43 : « Cum ambulaveris in igne... ego dilexi te. »

Digitized by Google

De sancto Joanne evangelista

QUI DICITUR ANTE PORTAM LATINAM

(Recueil imprimé)

Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus.
(Joan. 21.)

Sancta mater Ecclesia hodie festum facit et magnam solennitatem de sancto Joanne evangelista, qui dicitur ante portam Latinam. Bis in anno ecclesia facit festum de sancto Joanne evangelista. Primum festum et majus est circa festum Nativitatis Domini, secundum est hodiernum, et de isto habeo vobis predicare. Et si placet Deo habebimus bonas speculationes, et morales instructiones. Sed primo salutetur virgo Maria, etc.

Hoc verbum loquitur de sancto Joanne evangelista dicens: Hic est discipulus ille, etc. Et loquitur de amore Jesu Christi ad beatum Joannem. Ideo ego habeo motivum et rationem predicandi et declarandi modo quot sunt gradus amoris et dilectionis quos Deus habet ad suas creaturas, et amore vestri ego quesivi in sacra scriptura, et inveni quod sunt tres gradus amoris.

Primus est de amore generali;
Secundus de amore speciali;
Tertius de amore singulari.

In primo gradu Deus diligit omnes creaturas generaliter sine exceptione. In secundo diligit solum bonas personas per devotionem. In tertio gradu diligebat Joannem evangelistam. Et de tertio gradu dicit thema: Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus, sc. amore singulari. Ecce hic in summa tota materia predicanda.

Primus gradus divine dilectionis est quod Deus diligit omnes creaturas generaliter sine exceptione, quia nulla creatura eximitur. Non solum Deus eximie diligit angelos sanctos et homines, sed etiam animalia, arbores, lapides, etc. Ratio patet ad oculum. Nam quilibet artifex bonus seu magister diligit omnia opera sua, quantumcunque modica, intantum quod moleste fert si eis aliquid detrahatur. V. gr.: Si artifex domorum cum omni sapientia sua fecit unam pulchram, optime dispositam, et ordinatam domum, et de illa dicatur malum, et detrahatur, displicebit magistro, nec in hoc habebit patientiam, cum velit in suis operibus laudari et commendari. Sic etiam Deus a principio fecit domum hujus mundi sapienter dispositam et ordinatam, superius in celo sunt camere, sc. mansiones paradisi, in quibus habitant nobiles et barones, amici regis Jesu Christi, fenestre sunt sol, et luna, et stelle. Nos autem sumus hic inferius in stabulo cum bestiis. De ista domo dicit propheta: « O Israel, quam magna est domus Dei. » (Baruch. 3.) Hanc fecit

Digitized by Google

Deus cum magna sapientia, mensura, et decore. Unde David : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine.» (Psal. 103.) Quia ergo omnes creature sunt opera Dei, ideo omnes creaturas diligit generaliter. Nec habet patientiam si aliquis dicit malum de suis creaturis, quantumcunque modicis, imo in eis vult commendari. Ideo quando tu videbis serpentem, vel bufonem, sive aliquod aliud turpe animal, non maledicas ei, quia magnum peccatum est, sed dicas : Benedictus Deus, et quod animal sive qualem creaturam fecit ! — Recitetur hic miraculum de sancto Aulaguerio episcopo, qui cum descenderet in mare de uno loco, indignatus de magno vento, maledixit vento, propter quod de hoc habens magnam conscientiam inclusit se in quadam cella, et fecit projici clavem in mare, promittens se nunquam inde exiturum usque illa clavis inveniretur, et in hoc cognosceret se remissionem habuisse de peccato. Post annum vero quidam piscator presentavit sibi piscem unum, in cujus ventre inventa est clavis cum aperiretur, etc. Ecce quod peccatum est maledicere creaturas quas Deus diligit.

De isto gradu amoris divini dicit sapiens : « Diligis omnia que sunt.» (Sap. 11.) Nota, diligis omnia que sunt, ecce amor generalis. Et nihil odisti eorum que fecisti, ecce sine exceptione. Et assignat rationem dicens : Nec enim odiens aliquid fecisti, sed ponitur amor. Ecce primus gradus. — Modo veniunt hic due questiones perutiles omnibus : Prima, an sit peccatum destruere vel occidere creaturas. Si peccatum sit eis maledicere, videtur quod majus peccatum sit ipsas destruere, quia majus peccatum est hominem occidere quam ipsum maledicere. Idem etiam videtur de aliis creaturis, ergo non deberemus occidere pulices, pediculos, cimices, et similia. Ex ista ratione fuerunt aliqui qui habebant conscientiam occidendi pulices, etc., dicentes : O quia creature Dei sunt. Sed non habent conscientiam occidendi perdices, gallinas, lepores, et pisces, et hujusmodi.

Pro declaratione hujus questionis sciendum quod Deus fecit omnes creaturas duplici fine. Primo pro honore et gloria divina. Secundo pro utilitate humana. Cavendum est ergo ne illud quod homo dicit seu facit creaturis sit contra honorem Dei, et utilitatem humanam, alias potest homo uti creaturis, et comedere, et occidere, quia sunt pro nostra utilitate. Ideo occidere perdices et gallinas, mutones, et hujusmodi, non est peccatum de se, imo concordat cum fine propter quem facte sunt pro nostra utilitate, etc. Etiam potest homo occidere pulices, etc., quia faciunt contra nostram utilitatem, nec enim permittunt nos dormire, et non est peccatum, imo meritum, et oppositum esset stultitia seu error. Ideo possumus occidere lupos, vulpes, et similia, quia damnificant nos.

Secundus finis principalis quare Deus fecit creaturas, est pro honore et gloria divina, ut in eis Deus laudetur et benedicatur. Et iste est prin-

Digitized by Google

cipalis finis. Ideo magnum peccatum est maledicere creaturas, quia in eis maledicitur etiam creator, Ideo est quasi peccatum blasphemie, quia repugnat huic fini principali. Et ideo dicebat Daniel : « Benedicite omnia opera Domini Domino. » (Dan. 3.) Si dicatur : Et quomodo formice et musce possunt Deum benedicere ? Intelligitur sic : Benedicite, sc. vos homines ex omnibus creaturis Domini Domino laudes, etc. — Modo ad argumentum : Si dicitur : Si peccatum est creaturis maledicere, videtur ergo majus peccatum esse eas destruere, etc. Responsio : Si maledictio est destructio sumantur uniformiter, dico quod majus peccatum est creaturas destruere quam maledicere. Majus peccatum enim est hominem occidere, quam sibi dicere : Maledictus sis tu, etc. Si autem sumantur difformiter, sic quod destruere referatur ad creaturam, et maledicere ad creatorem, majus peccatum est maledicere quam destruere, quia sapit blasphemiam. Ideo apostolus : Benedicite, et nolite maledicere. (Rom. 12.) Et hoc de prima questione.

Secunda questio quam vos possetis mihi facere est : Vos, frater, dicitis quod Deus diligit omnes creaturas, etc. Queritur utrum hoc amore Deus diligit peccatores, et damnatos, ei demones ? Hec questio est secundum plures interrogationes, ut dicunt Logici, ac si diceretur : Frater, mel et fel est dulce et amarum. Due questiones sunt in una, ita etiam cum dicitur, utrum Deus diligit peccatores et damnatos, an non ? quia peccator duo dicit, sc. naturam seu substantiam hominis, et culpam seu peccatum, que est in eo. Cum ergo queritur utrum Deus diligit peccatores an non, quia peccator duo dicit, sc. naturam et culpam, oportet respondere cum distinctione, dicendo quod Deus diligit naturam, quia opus suum est, sed non diligit culpam seu peccatum, quia non est opus suum. Nota ad hoc propositum pulchram similitudinem de pictore, qui diligit imaginem quam ipse depinxit, sed si est deturpata, non diligit maculam, etc. Ita de Deo : Imago quam Deus depinxit est anima, ad imaginem et similitudinem suam, intantum quod si anima posset videri a nobis absque macula, nolletis comedere, etc. Sed peccator superinducit maculam seu turpitudinem peccati, imo propter illam punit peccatorem, eo quia maculavit imaginem Dei. « Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus. » (Sap. 13.) Nota similiter, quia Deus odit impietatem, et propter eam odit etiam impium, ita quod eadem ratio odii est utrobique.

Quid de damnatis ? Ad idem. Quid vult dicere damnatum esse ? duo dicit, sc. craturam Dei, et culpam obstinatam irreparabilem, ratione cujus datur sibi pena seu punitio, dicendo damnatis : Dabo tibi penam, quia tu maculasti et deturpasti imaginem meam. Ita quod Deus diligit naturam, sed non culpam. Ideo avisetis vos, et caveatis a macula peccatorum, sc. superbie, avaritie, luxurie, si approximare volueritis creatori. Ideo vult quod hostia in qua ipse est dictis verbis sit munda, et

Digitized by Google

vinum etiam mundum et purum, et corporalia et alia. Nam propter immunditiam fuit reprobatum sacrificium veteris testamenti : « Non est mihi voluntas in vobis », etc. (Malach. 1.) Fiat ergo ratio : Si inanimata et irrationabilia vult Deus quod sint sine macula, eo quia sibi appropriantur, quanto magis vult animas nostras rationales esse mundas cum lixivio istius penitentie sc. contritionis, confessionis, et satisfactionis. Ergo « lavamini, mundi estote ». (Esa. 1.) Et hoc de primo gradu.

Secundus gradus divine dilectionis est, quod Deus diligit amore speciali non omnes creaturas generaliter, sed solum bonas propter earum devotionem. Ratio, quia licet bonus homo vel bona mulier diligat omnes proximos amore generali, diligit tamen parentes, amicos, et vicinos amore speciali, cum eis loquendo, conversando, comedendo, dando, et juvando, etc. Ista enim sunt signa amoris specialis. Sic etiam Deus licet diligit omnes creaturas generaliter, tamen solum bonos diligit specialiter, cum eis loquendo, conversando, etc. Dicit Isidorus quod quando quis orat, loquitur cum Deo dicendo : *Pater noster,* et cum virgine Maria quando dicit : *Ave Maria.* Et Deus loquitur sibi respondendo, quando in oratione dat consolationes aliquas, et illuminationes, quia iste sunt Dei locutiones. Et nonne quando tu orasti de mane devote, vel dixisti matutinas, vel missam, sentis in anima singularem consolationem ? Deus loquitur tecum quando legis vel studes in bono libro. Liber enim est os Dei. — Secundo conversando, quando duo stant simul, dicitur de eis, illi simul sunt una res, cum tamen distent. Magis prope est Deus illis quos diligit singulariter, quia est intra eos, et semper conversatur, et stat eum eis : « Deus charitas est, quod qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » (1 Joan. 4.) — Tertio comedendo, quia persone bone et devote sepe debent communicare, tunc enim homo comedit cum Christo in mensa sua. Bene est amicus regis qui comedit cum eo. — Quarto dando, Christus enim dilectis suis speciali amore mittit dona, uni donum humilitatis, alteri donum liberalitatis, alteri donum castitatis vel patientie, etc. Et ideo sicut amicus regratiatur amico de donis, ita etiam Christo regratiandum est dicendo : Grates vobis, Domine ! Ego consuevi esse superbus, sed vos misistis mihi donum humilitatis, et sic de aliis. Idem etiam de donis corporalibus, sc. sanitatis, et hujusmodi, vel temporalibus quibuscumque a Deo datis. De isto amore speciali dicit scriptura : « Neminem diligit Deus nisi eum qui cum sapientia inhabitat. » (Sap. 7.) Nota : nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Quia isto amore speciali non diligit Deus stultos, sed solum sapientes.

Modo videamus qui sunt stulti, et qui sapientes. Modo si ab hinc usque ad talem locum esset una via a dextris aspera sine tabernis, tamen est secura, et a sinistris est alia via plana, deliciosa cum tabernis, de uno

Digitized by Google

miliari ad aliud cum arboribus et volucribus cantantibus, tamen est ibi unus passus periculosus, in quo omnes transeuntes occiduntur et depredantur ; et super turrim esset aliquis, respiciens ambas vias, et clamando diceret viatoribus: Ad dextram respiciatis, et non ad sinistram, quia omnes ibi depredantur, etc. Nunquid nolentes credere clamanti dicendo : Ipse vellet quod dimittamus bonam viam et deliciosam, et quod vadamus per viam asperam, etc., reputabuntur fatui, et credentes sapientes? Imo utinam inter vos non sint multi stulti! Ecce abhinc usque ad alium mundum sunt due vie, a dextris est una via virtuosa et spiritualis, a sinistris est alia, sc. via vitiosa et carnalis. Prima est via penitentie, aspera est. Asperum enim est conteri, confiteri, et satisfacere, sed est secura. Ideo Christus optime monet dicens : « Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. » (Mat. 4.) Alia via a sinistris est deliciosa et carnalis, sc.comedere, bibere, dormire, luxuriari, se vindicare, etc. Sed in passu periculoso, sc. mortis, omnes denudantur, et depredantur, et occiduntur. Si dicatur : Etiam in alia via est passus periculosus mortis. Verum est, sed non depredantur, quia secum portant thesaurum meritorum, et bonorum operum. Videtur ergo vobis magna stultitia velle ire per viam sinistram quam scitis, que ducit ad infernum. Sciunt se esse superbos, avaros, luxuriosos, etc. Et hec via quo tendit? Si dicatis quod ad paradisum, heretici etiam estis, quia via spiritualis est paradisi. Ecce quare dicit : Neminem diligit Deus nisi eum qui cum sapientia inhabitat, id est sapienter eligit viam securam, licet asperam. Talibus dicit Christus : Sicut dilexit me pater, sc. amore speciali, et ego dilexi vos : « Manete in dilectione mea, sed non dimittendo viam bonam. » Si dicatur : Domine, et quomodo manebimus in dilectione vestra? Respondet dicens : Si precepta mea servaveritis, que in hoc consistunt ut homo declinet a malo, et faciat bonum, manebitis in dilectione mea. Sicut ego precepta patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione. » (Joan. 15.) Patet secundus gradus.

Tertius gradus divine dilectionis est de amore singulari quo dilexit Joannem evangelistam propter suam conditionem. Non solum enim Christus dilexit Joannem amore generali et speciali, sed etiam amore singulari. Hoc declaratur sic. Quilibet Dominus et paterfamilias domus diligit domum suam, et quicquid est in ea amore generali. Non solum enim diligit uxorem, et filios, et famulos, sed etiam jumenta. Deinde amore speciali diligit filium sibi magis similem, pulchrum, humilem, et obedientem. Ita etiam in domo hujus mundi Deus ut paterfamilias diligit omnes creaturas generaliter, et bonas specialiter. Sed inter omnes habebat unum filium sibi similem et pulchrum, sc. Joannem, virginem, humilem, et obedientem. Secus de aliis apostolis, qui habuerunt uxores. Sed Joannes semper fuit pulcher. Primo in ore non loquendo de illa materia,

Digitized by Google

in oculis ab aspectibus, in auribus nolens audire turpia, in manibus a malis tactibus, in corde a malis desideriis et cogitationibus. Propter quod Christus et virgo Maria diligebant ipsum singulari amore. Unde cum Christus in passione existeret in cruce, et videret ibi matrem tristem et desolatam, volens ipsam consolari, sciens quod virgo Maria singulari amore diligebat Joannem, dixit virgini matri quod reciperet Joannem in filium. Ecce amor singularis ex sua pulchritudine virginitatis. O quantum deberemus laborare ut essemus pulchri et casti! Vir et uxor servantes modum sunt pulchri, magis pulchri sunt tamen illi qui vivunt continenter, sed super omnes pulchriores sunt virgines, tales enim singulariter diliguntur a Christo, ut patet de beato Joanne, de cujus dilectione dicit thema: hic est discipulus ille quem diligebat Jesus. Dicit hic glosa Bede: Diligebat Joannem Jesus, non exceptis ceteris singulariter, sed pre ceteris quos diligebat familiarius unum, quem spiritualis prerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum.

Nota hujus singularis dilectionis signum, ex evangelio hodierno, et historia hujus festi de dolio ferventis olei. Dicit evangelista quod Christus volens ostendere Petro martyrium quod debebat pati pro Christo dixit sibi: Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, sc. in cruce ,et alius te cinget, sc. in cruce ligando, et ducet te quo non vis, sc. ad mortem. Ideo veni, sequere me. Sicut ego moriar in cruce, etiam et tu. Petrus vero videns Joannem, volens scire si moreretur per martyrium, dixit Christo: Domine, hic autem quid, id est quomodo morietur? Respondit Jesus: « Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Ex hoc apostoli opinati sunt quod Joannes non moreretur usque ad diem judicii, cum dicitur donec veniam. Sed ipsemet Joannes annullat illam opinionem dicens: Et non dixit Jesus quia non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam. Nota sic eum volo manere, sc. ne moriatur per martyrium, quia licet multoties fuerit in tormento, etc., Deus tamen ipsum conservavit, quousque fuit XCIX annorum. Tunc Christus venit ad eum dicens: Veni dilecte mi, etc. Ecce quare dicit: Sic eum volo manere, sc. sanum, vivum, et incolumem, donec veniam, supple ad eum. Recte Christus ostendit Joanni amorem quem ostendit virgini matri, ad quam venit in fine dicens: Veni, columba mea, etc. Et virgo sine dolore emisit spiritum. Ita etiam de Joanne. Ecce ratio quare non fuit mortuus, cum a Domiciano Imperatore fuisset missus in dolium ferventis olei Rome ante portam Latinam, eo quia contra decretâ ipsius Imperatoris predicabat Christi fidem. Dicatur historia breviter.

Et fuit completa prophetia Esa. que recte videtur fuisse de beato Joanne dicente Christo Joanni: « Cum ambulaveris in igne... ego dilexi te. » (Esa. 43.) Multi efficiuntur honorabiles in oculis gentium

Digitized by Google

sive hominum, sed non in oculis Dei. Aliqui per oppositum in oculis Dei, sed non hominum. Aliqui nec in oculis Dei nec hominum. Aliqui autem sunt honorabiles in oculis Dei, et in oculis hominum. Istud est melius. Primi sunt persone hypocrite facie, et palliate ad extra, ostendentes magnam humilitatem, intus autem sunt pleni superbia, vana gloria, presumptione, etc. Tales in oculis Dei qui videt corda, non sunt honorabiles. Secundi vero qui sunt honorabiles in oculis Dei, sed non hominum, sunt persone devote, que orant et faciunt penitentiam, sed aliquoties forte faciunt aliqua bona intentione, tamen gentes scandalizantur. Talibus dicit apostolus : « Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. » (Rom. 12.) Tertii qui nec in oculis Dei nec hominum sunt honorabiles, sed abominabiles sunt publici et notorii peccatores, ut concubinarii, et meretrices, et lusores, etc. De quibus dicit scriptura : « Letantur cum malefecerint. » (Prov. 2.) Quarti qui sunt honorabiles in oculis Dei et hominum sunt illi qui taliter vivunt, et talem intentionem habent in factis, ut quicquid dicunt vel faciunt pro honore Dei et salvatione animarum, cavent ne in aliquo scandalizent gentes. Unde apostolus de se dibebat : Si esca scandalizat fratrem meum », etc. (1 ad Cor. 8.) De isto gradu dicit scriptura de Thobia et cognatione sua : « Omnis autem cognatio ejus », etc. (Thobie 14.) In isto gradu fuit beatus Joannes evangelista. Ideo sibi dixit Christus : Ego dilexi te, etc.

In Festo S. Joannis ante Portam latinam

(Manuscrit de Valence)

Ex epistola que antiquitus legebatur in Ordine Predicatorum

Cibavit illum Dominus pane vite.
(Eccl. 15.)

Ego teneor modo predicare de beato Joanne ante Portam latinam, et de multis aliis, de quibus sum requisitus predicare. Et si placet Deo, erit bona materia pro omnibus ; et ideo dicamus : *Ave Maria.*

« Cibavit illum Dominus pane vite. » (Eccl. 15.) — Ego volo declarare, et exponere istud verbum, secundum tres applicationes, sive declarationes..

Prima erit de sancto Joanne evangelista excellente ;

Secunda de populo istius ville requirente ;

Digitized by Google

Tertia de quolibet homine de suis peccatis penitente.

Ad primam applicationem de sancto Joanne evangelista excellente. — Nam ego invenio, quod Deus satiavit beatum Joannem evangelistam de pane vite, in gloria per castitatem. Et est ratio : nam sicut panis dat vitam creature, et satiat melius et magis quam alia esca mundi, et natura humana non potest transire multum temporis sine pane : ita anima et persona sine castitate, non posset multum vivere spiritualiter ; nam opportet, quod si vult in gloriam intrare, quod habeat panem castitatis. Et de hoc habetur Apocalyp. 21 : « Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. » Et ideo, sicut panis est necessarius magis, etc., ita castitatis, etc.

Item alia ratio, quod per castitatem cibetur pane vite. Nam luxuriosi modicum vivunt, sicut passeres qui nidificant in foraminibus parietum, qui non attingunt ad duos annos propter luxuriam ; sed si reponatur unus in *gabia* vivet magis. Et ita sicut castitate qui vivit magis corporaliter, sic et spiritualiter. Et ideo habetur Ecclesiastes 7 : « Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. » Nam luxuria comburit sicut ignis ardens, ut habetur Job 31 : « Ignis est usque ad perditionem devorans. » Et persona casta vivit multum, ut habetur in Psalm. 90 : « Longitudine dierum replebo eum », sc. castum. Et propter hoc dicit Christus, Matthei 5 : « Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt. »

Et hanc castitatem habuit beatus Joannes evangelista multum singulariter, et ideo Deus fecit ei multas singularitates, quia vixit magis quam alii apostoli, qui non fuerunt ita casti. Nam beatus Joannes semper et corpore, et mente fuit virgo, et nunquam per martyrium potuit occidi, nec sentiebat martyria, sicut fecerunt alii apostoli, et martyres ; et hoc propter virginitatem et castitatem sui corporis. Et ideo istud festum vocatur sanctis Joannis ante Portam latinam, quia Domitianus, videns quod beatus Joannes propter multa tormenta nolebat desistere a predicationibus, paravit unam *calderam* plenam oleo ferventi ante Portam que vocatur latinam in civitate Rome. Nam fecit et demonstravit ibi Deus magnum miraculum : quia nullum malum passus est in corpore beatus Joannes, et hoc propter virginitatem. Et fuerunt multe gentes propter istud converse ad fidem catholicam. Et sic thema dicit : « Cibavit illum Dominus pane vite », sc. per castitatem.

Et modo moraliter. Sicut beatus Joannes evangelista stans intra *tinam* olei ferventis resistebat undis bullientibus, cum nomine Jesu, quia dicebat : « Jesus, Marie filius, sit mihi clemens et propitius » ; ita vos, resistatis undis tentationum, qui statis intra *tinam*, vel dolium vestre carnis, nam spiritus, vel anima intra stat, cogitando in Jesu, sicut beatus Joannes ; et non sentietis penam tentationis. Et ideo si venit unda, id

Digitized by Google

est tentatio superbie, cogita in Jesu, qui non curabat mutare vestes, sed una in tota sua vita fuit contentus.

Item vos, mulieres, cogitetis in virgine Maria, que cum mater sua faceret ei pulchra vestimenta, extra domum nolebat portare, sed amore matris intra domum ; et vos facitis contrarium, etc. Item si unda avaritie venit per tentationem, ne comburat te, cogita quod Deus Christus fuit in tanta paupertate, etc. Item si unda luxurie venit ad te per tentationem, ne comburat te, cogita quod Christus numquam sensit de actu luxurie experimentaliter. Item, si unda ire venit ad te per tentationem desiderii vindicte, cogita, ne comburat te, quod Christus pepercit existens in cruce, dicens : « Pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. » Et ita parcas inimicis tuis. Et sic de aliis peccatis. Et tunc, cum quis vicerit tentationes, poterit dicere cum beato Joanne : « Liberasti me, Domine... non sum estuatus. » (Eccl. 51.)

Ad secundum quod ego habeo exponere pro populo istius ville requirente, sc. de remediis contra tempestates, que devastant fructus terre : et ideo per obligationem voti vos estis adstricti ad colendum istud festum, licet per Ecclesiam non precipiatur coli. Et sic ego dabo vobis aliqua remedia contra tempestates. Et sic populus poterit dicere thema : « Cibavit illum pane vite. » Et ideo sequuntur remedia.

Sed dupliciter sunt tempestates, sc. que proveniunt de celo sursum, et alie que proveniunt subtus de terra. Tempestates que proveniunt de sursum sunt sc. lapides, *radii* [fulmina] et venti, et aque multe, sc. diluvia. Contra istas tempestates sunt quinque remedia. Primo, ut dicatur Psalm. 69 : « Deus in adjutorium », etc., que habet septem versus, cum litania. Et primus versus est contra primam rationem, propter quam proveniunt dicte tempestates, sc. per cursum naturalem. Et secundus versus est contra secundam rationem, propter quam veniunt predicte tempestates, sc. per instigationem demonum, ut faciant gentes damnari per impatientiam, etc. Et tertius versus est contra tertiam rationem, propter quam veniunt, sc. justitiam Dei ; nam Deus mittit lapides et tempestates de celo contra nos, propter peccata, etc. — Et secundum remedium est, de symbolo beati Athanasii : « Quicumque vult », etc. Et tertium est : de « Credo in Deum », per articulos, etc. Et quartum remedium est dicere : « Jesus, Marie Filius, mundi salus et Dominus, meritis beate virginis Marie, et beati Dominici Patris nostri, et omnium sanctorum, te ab hac tempestate liberare dignetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. » Et quintum, est dicere sepe : Jesus ! semper faciendo in omnibus remediis signum crucis. Et ideo hec quinque remedia sunt contra tempestates que proveniunt de sursum.

Sed videamus de tempestatibus que proveniunt de terra, ut locuste, et siccitates, etc. Et contra istas est remedium aqua benedicta, dum

Digitized by Google

tamen sit bene benedicta cum sale et debitis signis et verbis, etc. Et hyssopo, vel ramo aspergatis per campum, devote dicendo : Jesus ! Item, contra mortalitatem, per villam et domos. Et presbyter devotus, si fieri potest, interveniat. Et ideo dicit oratio Ecclesie in benedictione aque : « Ubicumque in locis, vel in domibus », etc. Ergo « Cibavit illum pane vite ».

Ad tertium, de quolibet homine de suis peccatis penitente. Nam persona quelibet, licet vixerit in peccatis aliquo tempore, tamen si facit penitentiam, et perseverat in illa usque ad mortem, Deus cibavit illum de pane vite in gloria, ut habetur Ezech. 33 : « Si impius egerit penitentiam... et non morietur. »

Sed modo juxta hoc, habeo declarare unam questionem quesitam a me : « An presbyteri possint se disciplinare. » Et dicunt quidam : Videtur quod non : quia qui extraxerit sanguinem a presbyteris, est excommunicatus. Sed ista ratio est bene imperita et irrationabilis : quia sequeretur quod barbitonsor, qui extrahit sanguinem *flabotumando,* esset excommunicatus, quod non est dicendum : nam pro salute corporis fit. Et ideo dico quod a fortiori potest quis extrahere sibi sanguinem pro salute anime, cum sit melior salus anime, quam corporis. Et quod sit verum, constat ex Scriptura Sacra ut habetur Psal. 17 : « Disciplina tua correxit me. »

Item, alia ratione probant, quia clericus, per jus commune, non debet facere penitentiam publicam, et solemnem ; sed disciplinare se per villam, et vicos, et plateas est publice facere penitentiam, ergo presbyteri non debent se disciplinare. — Respondeo quod non obstat : quia jus prohibet presbyteros penitentiam publicam facere, illam que fit in principio quadragesime, cum rejiciuntur de Ecclesia, et post die Jovis sancte admittuntur ; quod fit cum magna solemnitate. Sed respondeo, et dico quod ratio ista non habet locum in hoc casu, nam ideo presbyteri non admittuntur ad illam publicam penitentiam, quia consuevit fieri pro magnis peccatis ; et ideo si videtur aliquis presbyter faciens illam penitentiam, statim presumitur quod magnum peccatum commisit : quod non debet fieri, quia talis debet esse vita presbyterorum, quod nullus debeat presumere talia peccata de ipsis. Item, quia illa penitentia fit publice faciebus discoopertis. Sed ista cessant cum presbyter se disciplinat : nam vadit coopertus in facie, et ita non potest presumi aliquid de eo, quod magnum peccatum commisit. Vel posito quod sciatur per aliquos, dico quod non est presumendum quod magnum peccatum commisserit ; nam ut videtis communiter in vesperis, infantes innocentes se disciplinant, qui non commisserunt magnum peccatum.

Et ita, religiosi et presbyteri, si affectionem habetis disciplinandi vos, disciplinetis vos fortiter, et non plangatis carnes et corium. Et

Digitized by Google

est tentatio superbie, cogita in Jesu, qui non curabat mutare vestes, sed una in tota sua vita fuit contentus.

Item vos, mulieres, cogitetis in virgine Maria, que cum mater sua faceret ei pulchra vestimenta, extra domum nolebat portare, sed amore matris intra domum ; et vos facitis contrarium, etc. Item si unda avaritie venit per tentationem, ne comburat te, cogita quod Deus Christus fuit in tanta paupertate, etc. Item si unda luxurie venit ad te per tentationem, ne comburat te, cogita quod Christus numquam sensit de actu luxurie experimentaliter. Item, si unda ire venit ad te per tentationem desiderii vindicte, cogita, ne comburat te, quod Christus pepercit existens in cruce, dicens : « Pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. » Et ita parcas inimicis tuis. Et sic de aliis peccatis. Et tunc, cum quis vicerit tentationes, poterit dicere cum beato Joanne : « Liberasti me, Domine... non sum estuatus. » (Eccl. 51.)

Ad secundum quod ego habeo exponere pro populo istius ville requirente, sc. de remediis contra tempestates, que devastant fructus terre : et ideo per obligationem voti vos estis adstricti ad colendum istud festum, licet per Ecclesiam non precipiatur coli. Et sic ego dabo vobis aliqua remedia contra tempestates. Et sic populus poterit dicere thema : « Cibavit illum pane vite. » Et ideo sequuntur remedia.

Sed dupliciter sunt tempestates, sc. que proveniunt de celo sursum, et alie que proveniunt subtus de terra. Tempestates que proveniunt de sursum sunt sc. lapides, *radii* [fulmina] et venti, et aque multe, sc. diluvia. Contra istas tempestates sunt quinque remedia. Primo, ut dicatur Psalm. 69 : « Deus in adjutorium », etc., que habet septem versus, cum litania. Et primus versus est contra primam rationem, propter quam proveniunt dicte tempestates, sc. per cursum naturalem. Et secundus versus est contra secundam rationem, propter quam veniunt predicte tempestates, sc. per instigationem demonum, ut faciant gentes damnari per impatientiam, etc. Et tertius versus est contra tertiam rationem, propter quam veniunt, sc. justitiam Dei ; nam Deus mittit lapides et tempestates de celo contra nos, propter peccata, etc. — Et secundum remedium est, de symbolo beati Athanasii : « Quicumque vult », etc. Et tertium est : de « Credo in Deum », per articulos, etc. Et quartum remedium est dicere : « Jesus, Marie Filius, mundi salus et Dominus, meritis beate virginis Marie, et beati Dominici Patris nostri, et omnium sanctorum, te ab hac tempestate liberare dignetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen. » Et quintum, est dicere sepe : Jesus ! semper faciendo in omnibus remediis signum crucis. Et ideo hec quinque remedia sunt contra tempestates que proveniunt de sursum.

Sed videamus de tempestatibus que proveniunt de terra, ut locuste, et siccitates, etc. Et contra istas est remedium aqua benedicta, dum

Digitized by Google

tamen sit bene benedicta cum sale et debitis signis et verbis, etc. Et hyssopo, vel ramo aspergatis per campum, devote dicendo : Jesus ! Item, contra mortalitatem, per villam et domos. Et presbyter devotus, si fieri potest, interveniat. Et ideo dicit oratio Ecclesie in benedictione aque : « Ubicumque in locis, vel in domibus », etc. Ergo « Cibavit illum pane vite ».

Ad tertium, de quolibet homine de suis peccatis penitente. Nam persona quelibet, licet vixerit in peccatis aliquo tempore, tamen si facit penitentiam, et perseverat in illa usque ad mortem, Deus cibavit illum de pane vite in gloria, ut habetur Ezech. 33 : « Si impius egerit penitentiam... et non morietur. »

Sed modo juxta hoc, habeo declarare unam questionem quesitam a me : « An presbyteri possint se disciplinare. » Et dicunt quidam : Videtur quod non : quia qui extraxerit sanguinem a presbyteris, est excommunicatus. Sed ista ratio est bene imperita et irrationabilis : quia sequeretur quod barbitonsor, qui extrahit sanguinem *flabotumando,* esset excommunicatus, quod non est dicendum : nam pro salute corporis fit. Et ideo dico quod a fortiori potest quis extrahere sibi sanguinem pro salutė anime, cum sit melior salus anime, quam corporis. Et quod sit verum, constat ex Scriptura Sacra ut habetur Psal. 17 : « Disciplina tua correxit me. »

Item, alia ratione probant, quia clericus, per jus commune, non debet facere penitentiam publicam, et solemnem ; sed disciplinare se per villam, et vicos, et plateas est publice facere penitentiam, ergo presbyteri non debent se disciplinare. — Respondeo quod non obstat : quia jus prohibet presbyteros penitentiam publicam facere, illam que fit in principio quadragesime, cum rejiciuntur de Ecclesia, et post die Jovis sancte admittuntur ; quod fit cum magna solemnitate. Sed respondeo, et dico quod ratio ista non habet locum in hoc casu, nam ideo presbyteri non admittuntur ad illam publicam penitentiam, quia consuevit fieri pro magnis peccatis ; et ideo si videtur aliquis presbyter faciens illam penitentiam, statim presumitur quod magnum peccatum commisit : quod non debet fieri, quia talis debet esse vita presbyterorum, quod nullus debeat presumere talia peccata de ipsis. Item, quia illa penitentia fit publice faciebus discoopertis. Sed ista cessant cum presbyter se disciplinat : nam vadit coopertus in facie, et ita non potest presumi aliquid de eo, quod magnum peccatum commisit. Vel posito quod sciatur per aliquos, dico quod non est presumendum quod magnum peccatum commisserit ; nam ut videtis communiter in vesperis, infantes innocentes se disciplinant, qui non commisserunt magnum peccatum.

Et ita, religiosi et presbyteri, si affectionem habetis disciplinandi vos, disciplinetis vos fortiter, et non plangatis carnes et corium. Et

Digitized by Google

nullus dicat : Non est datum presbyteris quod sibi extrahant sanguinem, quia imo dico quod melius est datum eis ut per disciplinam se justificent, et conservent devotos. Nam multi sunt qui non possunt habere contritionem de peccatis suis, et compassionem de Passione Domini Nostri Jesu Christi, et ita habent cor durum, sicut lapis ; et sic cum dolore discipline, cor petre fiet blandum, et plorabit, etc. Ergo « Cibavit illum pane vite », sc. beatum Joannem evangelistam per castitatem ; et populum istius ville [*Chinchilla*] conservando fructus contra tempestates ; et quemlibet peccatorem penitentem per penitentiam, etc.

Deo gratias.

Digitized by Google

De beato Barnaba

(Canevas autographe)

Erat vir bonus, plenus Spiritu Sancto et fide.
(Act. 11.)

Nota ex hiis verbis quod sanctus Barnabas fuit :
Alte virtuosus, quia erat vir ;
Plene *pyalosus*, quia erat bonus ;
Recte gratiosus, quia plenus Spiritu Sancto ;
Digne gloriosus, quia plenus fide.

De primo : despectis cunctis temporalibus bonis, virtuose appetebat celestia et eterna. Job 1 : « Erat in terra *Hus* », id est consiliatoris et festinantis, juxta interpretationem. Consiliator est Christus, Mat. 19 : « Si vis perfectus esse, vade », etc. — Festinans fuit Barnabas implendo opere Christi consilium. (Act. 4.) Unde postea apparens sibi Christus dixit : Constans esto, Barnaba, etc.

De secundo : non solum bonum proprium, sed omnium aliorum pie procurabat. 1 Reg. 29 : « Scio quia bonus es tu... sicut angelus Dei. » — Nota quomodo duxit Paulum ad apostolos (Act. 9). Item quomodo reconciliavit sibi socium offendentem. (Act. 15.) — Moraliter juxta illud, ps. 118 : « Bonus es tu », etc.

De tertio : plenitudo Spiritus Sancti repellebat ab eo spiritum inanis glorie. Act. 4 : « Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. » Subditur : « Et gratia ». — Sed omnia referebat in Deum, Ps. 142 : « Spiritus tuus bonus », etc. — Nota quomodo per ejus predicationem discipuli nominati sunt Christiani. (Act. 11.) — Item quomodo recusavit divinos honores sibi oblatos. (Act. 14.) — Moraliter juxta illud, Col. 3 : « Omne quodcumque facitis », etc.

De quarto : propter plenitudinem fidei digne fuit glorificatus, hic miraculis. — Nota de curatione infirmorum per impositionem evangelii. — Et in celo premiis. — Nota ejus martirium, Rom. 5 : « Accessum habemus per fidem », etc.

Digitized by Google

De sancto Barnaba, apostolo

(Recueil imprimé)

Erat vir bonus, plenus Spiritu Sancto et fide.
(Verbum istud habetur in Actibus apostolorum, cap. II.)

Jam scitis quod festum et solemnitas presens tota est beati Barnabe apostoli, ita erit et sermo noster. Et si placet Deo de sua sanctitate vite poterimus recipere exemplum gubernandi vitam nostram, ut ad paradisum perveniamus, et ut ita sit, salutetur virgo Maria.

Pro introductione materie predicande posset hic querere aliquis simplex et ignorans, unde est hoc quod beatus Barnabas dicatur apostolus, cum apostoli sunt XII, et ipse non sit de numero illorum? Stricte autem sunt apostoli illi, quos Christus in vita sua elegit et misit predicare, quia apostolus idem est quod missus, et solum fuerunt electi XII: « Vocavit discipulos suos, et elegit XII ex ipsis, quos et apostolos nominavit » (Luc. 6), et nominantur ibidem. Item dicit Christus: Nonne duodecim hore sunt diei? (Joan. II.) Non loquebatur de die naturali, quia viginti quatuor horas habet, nec de usuali, quia aliquoties plures horas habet, aliquoties minus, sed loquebatur de se, quia est ille de quo David: « Melior est dies una in atriis tuis super milia. » Duodecim hore hujus diei sunt duodecim apostoli, qui fuerunt clari in sanctitate, et simul cum Christo. Isto modo nec beatus Barnabas nec Paulus sunt de duodecim apostolis. Sed beatus Mathias fuit de numero illorum, quia licet in vita Christi non fuerit de numero apostolorum, tamen successit Jude, et jam Christus in corde suo elegerat ipsum quando dixit: « Amen dico vobis... duodecim tribus Israel. » (Mat. 19.) In dicta autoritate non loquebatur de Juda, sed de beato Mathia ejus successore, quem jam in corde suo elegerat. Si autem largo modo volumus loqui de apostolis, non solum illi duodecim, qui per Christum in vita sua fuerunt electi sunt apostoli, sed etiam illi qui post Christi ascensionem fuerunt electi sunt apostoli, et sic sunt plures quam XII. Beatus Paulus maximus apostolorum, quem elegit cum iret Damascum ad persequendum Chritianos dicens: Vas electionis mihi est iste. » (Act. 9.) Et ista ratione in bullis papalibus in sigillo plumbeo Paulus ponitur ad dextram, et Petrus ad sinistram, alias bulla esset falsa. Ratio, quia beatus Petrus fuit electus a Christo in sinistra, sc. in hac vita mortali quam per sinistram designatur. Paulus autem electus fuit a Christo in dextra glorie, quia jam Christus erat in gloria impassibilis et immortalis. Etiam beatus Barnabas fuit electus a Christo in dextera glorie: « Jejunantibus autem discipulis dixit illi Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum et Barnabam », etc.

Digitized by Google

(Act. 13.) Patet ergo quod beatus Barnabas est verus apostolus Christi, licet non elegit eum in vita. Si autem dicatur : De omnibus discipulis, quare beatus Barnabas fuit electus in apostolum, et non alii ? Ratio assignatur in themate dicente : Erat vir bonus. Nota : erat vir, non dicit, erat homo, quia multi sunt homines qui sunt magni peccatores, sed vir dicitur a virtute, quia erat virtuosus et bonus. Patet thema, in quo subtiliter ostendundur quatuor excellentie de beato Barnaba apostolo :

Primo quia fuit alte virtuosus, quia erat vir ;
Secundo quod fuit plene pius, quia erat bonus ;
Tertio quod fuit vere gratiosus, quia plenus Spiritu Sancto ;
Quarto quod fuit vere gloriosus, quia plenus fide.

Dico primo quod beatus Barnabas fuit alte virtuosus, quia erat vir, id est virtuosus. Quid est virtuosum esse ? Dico quod quando intellectus, memoria, et voluntas, et opera fiunt secundum Deum et ejus mandata, et non curant quid dicunt gentes, sed quid debet fieri secundum Deum, talis est virtuosus et fortis. Sic enim dicitur de illo qui leviter cadit modico vento vel impetu : non habet virtutem, non est fortis, ecce qualiter cadit. Sed quando stat fortiter dicitur : O ! virtutem habet, fortis est. Ita spiritualiter totus iste mundus est plenus ventis, qui sunt tentationes demonum. Spiritus, id est ventus grandis et fortis, subvertens montes, et conterens petras. (3 Reg. 19.) Montes alti fuerunt Adam, Eva, Sampson, David, et Salomon, tamen subversi fuerunt vento tentationis, non erant fortes, quia statim ceciderunt. Ideo virtuosi et fortes sunt, qui non permittunt se cadere quacunque tentatione. Secundo, quando quis portat onus fortiter, dicitur : virtutem habet, iste fortis est, secus si cum onere cadit. Ita quilibet nostrum portat magnum onus carnis. Sap. 9 : « Corpus quod corrumpitur aggravat animam. » Qui ergo permittit se cadere onere malarum inclinationum carnis, non est virtuosus nec fortis, sed ille qui tenet se fortiter, est virtuosus. Tertio presens vita non est nisi quedam via arenosa. Tot sunt occasiones peccandi, sc. audiendo, videndo, et operando, et oportunitates male, quod ille qui non cadit, est fortis et virtuosus. Quarto in hoc mundo habemus multas erumnas tribulationum, dolorum, et infirmitatum, paupertatum, et persecutionum, ita quod multi cadunt per impatientiam. Sed qui scit se tenere fortiter contra ventum tentationum, contra onus malarum inclinationum, contra arenam occasionum, et contra impetus tribulationum, talis est virtuosus. Autoritas de illo sancto Job, qui in his quatuor fuit fortis, ideo dicitur de eo : « Vir, id est virtuosus erat in terra Hus nomine Job. » Et erat vir ille simplex, quia cum haberet corpus et animam, solum sequebatur animam qua regebatur, et rectus, non permittebat se cadere, ac timens Deum, quia diaboli tentationibus

Digitized by Google

non cecidit. Et recedens a malo, sc. vitando carnis inclinationes malas. (Job 1.)

Talis fuit beatus Barnabas. Erat vir, id est virtuosus, quia despectis cunctis temporalibus bonis virtuose appetebat celestia et eterna. Nota quomodo fuit de Cypro, de civitate in Cassia, de genere Aaron, de tribu Levi, habens domum et possessiones, et erat literatus in lege Moysi, qui audita fama virtutum, miraculorum, et doctrine apostolorum, volebat videre et audire, et venit Hierusalem, et vidit apostolos, et audiebat sermones eorum, et erat totus attonitus. Et quia ipse erat magnus clericus, et cognoscebat tempus adventus Messie completum, cum magna reverentia et attentione audiebat sermones apostolorum, ideo fuit illuminatus. Nota cum quanta diligentia est audiendus sermo. Deinde dixit intra se : Ex quo audivi doctrinam istorum hominum, volo videre eorum vitam, quia multi predicant bene, qui tamen vivunt male. Et vidit quod vivebant communiter, nullus habebat nec portabat pecunias particulariter, nisi rectores hominum et mulierum. Et fuit multum contentus de eorum vita. Deinde respexit miracula eorum, qui curabant cecos, surdos, etc. O ! dixit beatus Barnabas, et quis posset ista facere nisi Deus ? Nolo aliam probationem. Et reversus est Cyprum, et vendidit omnia bona sua, et recepto congerio ab amicis venit ad apostolos, dicens eis unde erat, de quo genere et tribu. Et illuminatus predicationibus supplicavit eis ut ipsum reciperent in societatem, et fuit receptus et baptizatus Barnabas, quod idem est quod filius consolationis, quia apostoli fuerunt valde consolati de eo, et pretium bonorum temporalium posuit ad pedes apostolorum ut distribueretur pauperibus. Erat ergo vir, ideo Christus sibi apparuit in oratione dicens : Constans, id est virtuosus esto, Barnaba, quia premia eterna precipies. O ! qualis permutatio, dare terrena, et accipere celestia. De his autem que dixi autoritas de biblia, in qua maxime vita beati Barnabe habetur : « Joseph autem qui cognominatus est Barnabas », etc. (Act. 4.) Ideo possumus dicere de eo : « Naaman princeps... vir fortis et dives. » (4 Re. 5.)

Moraliter pro nobis. Si vos de mundo non habetis tantam virtutem dimittendi omnia pro Deo, nec tenemini, nos religiosi tenemur ex voto ; sed dimittere tenemini omnia de malo injusto, de usura, furto, rapina, et calumnia, solidata, de decimis defunctorum, et de aliis, sc. male emendo vel vendendo, et restituere de illis. De bono justo potestis congregare pro vobis et filiis. Item tenemini ad restitutionem de damnis datis, et multi non faciunt sibi conscientiam. Si ex negligentia vestra, vel scienter oves vestre intrarunt campum vel vineam alterius, licet curia non cogat vos, tenemini satisfacere. Idem de notariis qui in testamentis faciunt mutare voluntatem testatoris. Item si papa, rex, vel Dominus, volebat dare alicui officium vel beneficium, et vos impedivistis, tenemini.

Digitized by Google

Idem de falsis testibus in judicio in damnum proximi. Idem si aliquis displicuit vobis, et vos odio tollatis sibi vineam vel hortum, arbores, et hujusmodi, tenemini ; et nullus curat. Idem de judicibus, advocatis, notariis, procuratoribus, non potestis salvari nisi restituatis. Ideo dixit ille sanctus patriarcha Jacob Laban socero suo : « Ego omne damnum reddebam. » (Gen. 3.)

Secunda excellentia beati Barnabe est quia fuit plene pius, quia erat bonus. Proprie esse bonum est, quando non solum persona curat de bono sui, sed etiam procurat bonum proximi sui, quia alias non esset bonus si solum curaret de se : « Deus mandavit unicuique de proximo suo. » (Eccl. 17.) Idem dicit Dionysius : Bonum est quod est communicativum vel diffusium sui ipsius, sc. ad utilitatem aliorum. Ideo dixit rex Achis ad David : « Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei. » (1 Reg. 29.) Angelus enim Dei licet non possit perdere gloriam, nec ipsam augmentare essentialiter, expedit tamen quod alios ad bonum instiget, et a malo revocet, etc. Patet ergo quod esse bonum est curare non solum de bono suo, sed etiam alterius. Sic beatus Barnabas fuit non solum bonus de bono suo sed etiam alterius. Cupiebat enim salvare totum mundum, quare incepit ire predicando de villa in villam, de civitate in civitatem, nolebat habere villam, civitatem, nec domum propriam, erat vir bonus. — Singulariter dicam vobis unam bonitatem quam fecit quando Paulus fuit conversus in via dum iret Damascum, et rediit Hierusalem : qui voluit sociari Christianis, omnes fugiebant, sciebant ipsum persecutorem ; beatus Barnabas solus se sibi associavit, et ipsum ad apostolos duxit. « Cum autem Paulus venisset Hierusalem, tentavit se jungere discipulis, et omnes cavebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos, et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu. » (Act. 9.) Nota quale festum et gaudium fuit factum de ejus conversione mirabili. Item nota quomodo pie reconciliavit sibi socium Joannem, Marcum vocatum, qui dimiserat eum cum fuissent in periculo mortis. Patet Act. 13 et 15. Bene ergo possumus sibi dicere : « Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas. » (Ps. 118.)

Moraliter etiam nos debemus hanc bonitatem habere, non solum procurando bonum nostrum, sed etiam proximi. Accidit aliquoties in domo quod vir erit bonus et devotus, et uxor erit mala, indevota, leprosa, seu gulosa et verbosa, non sufficit viro dicere : Non curo, sufficit quod salvem animam meam, sed oportet quod bonis modis, et verbis dulcibus inducat eam ad bonum. Et per oppositum, si mulier est bona, et vir sit malus, jurator, lusor, etc., et uxor sit bona et devota,

Digitized by Google

oportet quando vir erit in bonis, quod ipsa dulciter inducat eum ad bonum dicendum : O marite, quare non confitemini ? etc. Idem de parentibus erga filios, non sufficit habere et tenere filios pastos et indutos, sed quod sint bene nutriti, ne jurent nec mentiantur, nec furentur, etc. Nota qualiter matres tenentur eis ostendere ut signent se, orent, etc., mane et sero ; et si filii sunt mali, culpa est parentum, qui licet de se sint boni, tamen erunt damnati ex mala cura filiorum, quia sicut arbor tenuis potest adaptari, et si non fit, est culpa hortulani, ita, etc. Hortulani in horto Christi sunt illi de matrimonio qui plantant arbores, sc. filios. Si ergo quando sunt tortuosi et male vite, et ribaldi, etc., culpa est parentum : « Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet : fidem negavit et est infideli deterior. » (1 Tim. 5.) Item qui habet aliquod officium, vel regimen civitatis, vel communitatis, debet procurare bonum non solum sui, sed etiam totius communitatis, corrigendo peccata.

Tertia excellentia, quia fuit vere gratiosus, quia plenus Spiritus Sancto. Sciendum quod gratia gratum faciens non est nisi quod persona habeat Spiritum Sanctum, quia simul stant, et simul perduntur quando homo peccat, sed beatus Barnabas habebat simul Spiritum Sanctum, et gratiam gratum facientem. Ideo dico quod erat vere gratiosus in omnibus dictis et factis suis. Nota quomodo fuit per annum in civitate Antiochie, et magnam turbam convertit, et ibi ipse mutavit nomen : Christiani enim tunc dicebantur discipuli. Hoc nomen discipulus est correlativum, sc. ad apostolos, quorum erant discipuli. O ! dixit beatus Barnabas, melius est quod relatio, cognominatio, sive derivatio fiat ad Christum. Ideo ordinavit quod discipuli vocarentur Christiani (Act. 11), et fuit completa prophetia Esa. dicentis : « Servos suos vocavit nomine alio. » (Esa. 65.) Item qualiter recusavit divinos honores sibi oblatos, etc. (Act. 14.) Plenitudo Spiritus Sancti repellebat ab eo spiritum inanis glorie, sed omnia referebat in Deum. Ideo poterat dicere : « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. » (Psal. 142.) — Moraliter habetis hic doctrinam quod in omnibus factis et dictis vestris detis honorem Deo, quia multa bona perduntur, quia honor non datur Deo : « Omne quodcunque facitis in nomine Domini nostri Jesu Christi facite. » (Col. 3.)

Quarta excellentia est, quia fuit digne gloriosus, quia plenus fide, quia propter plenitudinem fidei fuit glorificatus, quia fides Christiana habet tantam virtutem, quod qui eam tenet in corde, sine errore vel falsa opinione, Deus facit ipsum gloriosum in miraculis in hoc mundo, et in alio per gloriam eternam. Ideo quando curabat aliquem dicebat :

Digitized by Google

Fides tua te salvum fecit. Non dixit humilitas tua, vel patientia tua, etc. « Accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus, sc. faciendi miracula, et gloriamur in spe glorie filiorum Dei. » Rom. 5.) Ideo beatus Barnabas ex fide firma quam habebat predicabat ore, et curavit omnem infirmitatem. Non legitur quod portaret alium librum nisi evangelium beati Matthei, quod magis large ponit vitam Christi. Et quando portabatur sibi infirmus ad curandum, ponebat illud evangelium super eum in nomine Jesu, et curabatur. Ecce qualiter fuit in hoc mundo gloriosus in miraculis et signis, et in alio in premiis, etc. Nota hic ejus martyrium. — Moraliter nota quod ex quo fides christiana habet tantam virtutem, consulo ut sciatis eam, quia tota continetur in *Credo in Deum*, et dicatis mane et sero cum protestatione. Detur ratio de candela accensa, que extinguitur nisi respiret. Ideo ait David : « Credidi, sc. in corde, propter quod locutus sum, sc. in ore, et qualiter ? Ego autem humiliatus sum nimis. » (Psal. 115.)

Digitized by Google

De beato Antonio, Ordinis Minorum*

(Canevas autographe)

Similem illum fecit in gloria sanctorum.
(Eccl. 45.)

Nota quod fuit similis :
Apostolis in paupertate evangelica ;
Martyribus in fidelitate catholica ;
Confessoribus in humilitate intrinseca ;
Doctoribus in doctrina lucida ;
Virginibus in vita asperrima.
Ergo similem illum fecit in gloria sanctorum.

De primo, paupertas evangelica ostenditur Mat. 10 : « Nolite portare aurum », etc. In hoc fuit similis beatus Antonius quando intravit ordinem Minorum. — De secundo, fidelitas martyrum ostenditur Rom. 5 : « Per fidem in qua stamus, gloriamur in tribulationibus », etc. In hoc fuit similis martyribus quando transivit ad Sarracenos pro martyrio suscipiendo. — De tertio, humilitas confessorum ostenditur Eccl. 3 : « Quanto magnus es humilia te in omnibus. » In hoc fuit similis confessoribus quando usque ad abluenda coquine utensilia, etc., hujus vilitatis officia se humiliavit. — De quarto, doctrina sanctorum doctorum ostenditur Cor. 2 : « Sermo meus et predicatio mea », etc. In hoc fuit similis doctoribus, postquam inopinate et quasi coacte apparuit sapientia ejus. — De quinto, asperitas vite virginalis ostenditur Mat. 19 : « Sunt eunuchi... propter regnum celorum », etc. In hac fuit similis virginibus quando vitam asperrimam et quasi solitariam usque ad mortem servavit.

* Entre saint Barnabé et saint Jean-Baptiste, il y a un canevas autographe que je n'ai vu développé nulle part. Il a trait à saint Antoine de Padoue.

Digitized by Google

Vigilia beati Joannis Baptiste

(Canevas autographe)

Antequam exires de vulva sanctificavi te.
(Jer. 1)

Nota quinque modos seu gradus humane sanctificationis :
Finalis contritio ;
Penitentialis conversio ;
Martyrialis afflictio ;
Baptismalis ablutio ;
Spiritualis preventio.
De hoc ultimo loquitur thema.

Primo modo fuit sanctificatus seu justificatus latro crucifixus ad dexteram Christi, ut habetur Luc. 22. Talibus dicitur Rom. 6 : « Nunc liberati a peccato », etc. Jer. 12 : « Sanctifica eos in die occisionis. »

Secundo modo fuit sanctificata Maria Magdalena ut habetur Luc. 7. De hoc modo dicitur ps. 45 : « Fluminis impetus letificat », etc.

Tertio modo sanctificantur qui pro Christo moriuntur. Soph. 1 : « Preparavit Dominus hostiam », etc.

Quarto modo sanctificantur qui sine fictione baptizantur. Cor. 6 : « Peccatores aliquando fuistis, sed abluti estis », etc.

Quinto modo fuit sanctificatus Joannes Baptista. Luc. 1 : « Spiritu Sancto replebitur ex utero matris sue. »

Ideo dicit thema : « Antequam exires ». etc.

De sancto Joanne Baptista

(Recueil imprimé)

Antequam exires de vulva sanctificavi te.
(Habetur verbum istud textualiter il libro Hier. prophete, cap. 1, et recitative in epistola hodierna de vigilia, etc.)

Salutetur virgo Maria, etc.

Pro introductione materie predicande, et declaratione thematis, sciendum quod ille magnus propheta et amicus Dei Hieremias in epistola hodierna recitat magnas gratias quas Deus fecit sibi dicens :

Digitized by Google

« Factum est verbum Domini ad me dicens : Priusquam », etc. (Hier. 1.) In his verbis narrat quatuor magnas gratias quas Deus fecit sibi :

Prima familiaris collocutio ;
Secunda eternalis predestinatio ;
Tertia specialis sanctificatio ;
Quarta propheticalis illuminatio.

De prima, sc. familiari collocutione : quia cum Hieremias esset adhuc puer Deus sibi loquebatur familiariter. Legitur de Abraham, cui pro singulari gratia Deus voluit loqui, sed in qua etate ? non quando erat puer vel juvenis, sed quando fuit LXXXV annorum. (Gen. 12.) Sed Hieremie fuit locutus cum adhuc esset puer. Ecce quare dicit : Factum est verbum Domini ad me, dicens. — De secunda, quia essentialiter Deus predestinavit eum ut esset sanctus in hoc mundo, et gloriosus in paradiso, et hoc revelavit sibi, quasi ut aperiret sibi librum predestinationis, in quo nullus legit nisi Deus. Si vultis intelligere istam gratiam, cogitate illud verbum : « Nemo scit utrum amore an odio dignus sit. » (Eccl. 9.) Sed Hieremias scivit, quia Deus sibi dixit : priusquam te formarem in utero novi te, non solum scientia speculationis, sed etiam scientia approbationis. — De tertia, sc. sanctificatione speciali. Maxima gratia, quod ante fuit sanctus quam natus. Noe habebat pro singulari gratia quando fuit quingentorum annorum, quod tunc fuit a Deo sanctificatus. Sed Hieremias jam in utero matris. — De quarta, sc. illuminatione prophetali, nam Deus fecit eum consiliarium suum, et secretarium, revelando sibi ventura. Ideo dixit : « Et prophetam in gentibus dedi te. »

Ista verba, et iste quatuor gratie, proprie et historice dicuntur de Hieremia propheta, sed appropriate et allegorice recitantur de beato Joanne Baptista hodie in Ecclesia, quia sibi etiam Deus fecit istas quatuor gratias, et fuit in utero sanctificatus. Ideo appropriate dicit thema : « Antequam exires de vulva », etc. Quesivi amore vestri quot sint modi quos Deus tenet ad sanctificandum peccatorem, et qui sint. Et inveni quod sunt quinque. Et de quinto modo loquitur thema :

Primus est finalis contritio ;
Secundus penitentialis conversio ;
Tertius est martyrialis afflictio ;
Quartus baptismalis ablutio ;
Quintus specialis preventio.

Dico primo quod unus modus quem Deus tenet sanctificandi peccatorem est finalis contritio, ut quando persona vixit diu in peccatis, et mala vita, sine timore Dei, et verecundia gentium, nec curat de Deo, immo forte non credit. Sed finaliter quando debet mori, Deus aperit sibi fontem, tunc dans sibi contritionem de peccatis, ex qua purificatur

Digitized by Google

et sanctificatur anima. Sed istud non facit quotidie, quia in tota sacra scriptura non legitur quod aliquis fuerit sic sanctificatus nisi unus, sc. latro, de quo dicit Leo Papa, quod semper fuit male vite, et nunquam fecit aliquod bonum in vita sua, et pro suis criminibus captus et sententiatus fuit, et ad latus Christi suspensus, et subito Christus aperuit sibi fontem misericordie, et flumen contritionis venit ad eum, et dixit Christo cum magnis singultibus et suspiriis : « Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum. » (Luc. 23.) Et Christus sibi respondens dixit : « Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso. » Et fuit sanctificatus ab omnibus suis peccatis. Sed posset queri ab aliquo, cum duo legantur latrones fuisse cum Christo suspensi, quare unus fuit sanctificatus et alius non ? Responsio que a sanctis doctoribus assignatur est ista. Dicunt evangeliste quod Christus expiravit hora nona et tunc sol est alte, et incipit declinare ad occasum, et umbra brachii Christi tetegit latronem, qui fuit tante virtutis quod convertit eum. Neque mirum, quia legitur in Actibus apostolorum quod umbra beati Petri sanabat infirmos.(Act. ult.) Dicatur quomodo ponebantur infirmi in grabatis, ut umbra beati Petri tangeret eos, quid mirum ergo si umbra Christi convertebat peccatorem ? De nullo alio legitur quod habuerit malam vitam et bonum finem nisi de latrone. De isto modo sanctificationis habetur prophetiam : « Congrega eos... et sanctifica eos in die occisionis. » (Hier. XII.) Hoc dicebat propheta orando. Modo quilibet nostrum sic vellet sanctificari, vivere ad libitum, et habere bonum finem. Ideo usurarii, et lenones, et meretrices, quando jurant dicunt : Si Deus portabit me ad bonum finem, bonum erit, sed ipsi nolunt habere bonam vitam, ideo non habebunt bonum finem. Ideo non expectetis finem, sed pro tempore dimittatis malam vitam et peccata, et veniatis ad Deum, quia in fine tot sunt dolores, quod non possunt habere devotionem, nec contritionem, nec recordantur de peccatis ; nullus dicat : Eia ! Deus qui latroni pepercit parcet mihi. Confidere de Dei misericordia sine penitentia stultitia est. Ideo modo pro tempore redite ad bonam vitam et penitentiam, et sic eritis sanctificati a peccatis. Ita dixit apostolus quibusdam peccatoribus, postquam redierunt ad bonam vitam : « Liberati autem a peccato, servi facti estis justitie », etc. (Rom. 6.)

Secundus modus sanctificationis est, ut habetur per penitentialem confessionem, quando persona que fecit plura peccata, non expectat finem, quia juvenis non expectat senectutem, nec sanus infirmitatem, sed de bona hora redit ad Deum, dolet de peccatis, et proponit abstinere, confitetur, acceptat penitentiam, satisfacit, parcit inimicis, servat festa, communicat devote. Isto modo multi sanctificantur. Isto modo Magdalena fuit sanctificata, ut habetur Luc. VII, que in juventute cecidit,

Digitized by Google

nesciens se cavere, intantum quod ita fuit diffamata, quod perdidit nomen, et dicebatur peccatrix. Sed quid fecit? non expectavit senectutem, nec finem, sed auditis sermonibus Christi dicentis : « Penitentiam agite », etc. O ! dixit ipsa, adhuc potero salvari si faciam penitentiam, et venit ad pedes Christi, et lachrymis rigavit pedes ejus, et recepit in se magnam penitentiam, jejunia, orationes, et alia, intantum quod xxx annis fait in deserto solitaria, que nihil comedit nec bibit, dormiebat super lapidem, etc. Iste modus est melior quam primus. De isto dicit David : « Fluminis impetus letificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. » (Psal. 45.)

Nota fluminis impetus, id est projiciens. Quatuor flumina se projiciunt in animam peccatoris penitentis, sc. flumen olei, flumen mellis, flumen aque, et flumen sanguinis. Et de quolibet istorum dicitur : Fluminis impetus. De primo, de cathedra Dei procedit flumen olei misericordie, significatum per oleum quod est medicinale, et curat vulnera intellectus contra errores, et falsas opiniones, voluntatis contra odia, et rancores, et memorie contra Dei beneficiorum obliviones. Curat enim vulnera cordis contra malas cogitationes, oris contra mendacia et falsa perjuria, etc., oculorum a malis aspectibus, aurium ab auditu malorum verborum, manus a furtis, rapinis, percussionibus, tactibus immundis, etc., finaliter totius corporis, et contra vulnera luxurie tanquam bonus medicus mittit flumen sue misericordie, ungens vulnera peccatorum. Ecce quare dicit : Fluminis impetus, quia subito venit. De secundo etiam mittit flumen mellis Spiritus Sancti, et hoc quando persona recipit spem venie, dicendo : Verum est quod sum peccator, et feci multa mala, sed decetero emendabo vitam meam, fui superbus et vanus, sed decetero volo humiliari, et sic de aliis. De tertio flumine aque est quando persona penitens lachrimatur pro peccatis dicens : O miser, quid erit de me ? — Si dicatur : non est flumen, sed distillatio aliquarum lachrymarum. Dico quod imo, quia majorem virtutem habet una gutta lachrymarum, quam totum mare ad abluendum peccata. De quarto flumine sanguinis est quando ex peccatis homo disciplinat se. Ista penitentia est propria homicidis, et omnibus qui tractant et consentiunt in mortem alicujus, secundum illud : « Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. » (Gen. 9.) Ecce quare dicit : Fluminis impetus. Nota letificat civitatem Dei, quia « gaudium est angelis Dei in celo super uno peccatore penitentiam agente ». (Luc. 15.) Sanctificavit tabernaculum suum altissimus, quandiu homo est in peccatis, est stabulum porcorum, sed postquam fluminis impetus mundavit eum, efficitur camera et habitaculum Dei.

Tertius modus est melior, sc. martyrialis afflictio, quando aliquis pro fide catholica, vel pro aliqua virtute manutenenda moritur pro Christo,

Digitized by Google

martyr efficitur, et sanctus, ut si captivus permitteret se occidere antequam fidem catholicam vellet abnegare, martyr esset, et in numero sanctorum martyrum computaretur. Idem de muliere captiva, si permitteret se interficere antequam consentiret peccato, esset martyr cum beata Catharina. Item inter Christianos si meretrix convertatur, et post conversionem cogitur per aliquem, et ista contradicens tandem ab illo occiditur, martyr efficitur. Idem de servitore, cui precipitur facere aliquid mali a Domino, et non vult facere, et occiditur a Domino, martyr est. Idem de muliere nolente consentire viro in aliquid inhonestum, et occiditur a viro, martyr efficitur. Idem de illo qui manutenet communitatem si propter hoc occiditur, martyr est : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum. » (Mat. 5.) De isto modo sanctificationis dicit propheta : « Preparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. » (Soph. 1.)

Quartus modus est baptismalis ablutio. Iste modus est levis, per quem modum non solum pueri sanctificantur ab originali peccato. (Dicatur quid est.) Quia anima de se inquantum est ad imaginem Dei, est pulchrior sole. Nulla creatura corporalis est ita pulchra, intantum quod si posset videri, etc., sed maculatur quando infunditur. Sicut si ego mitterem velum album in concham de tincta sive incausto. Ita de anima si moriatur ante baptismum, non intrat paradisum, licet posset venire ad portam, petens ingressum. Sed dicitur sibi a Christo : Respicias te quomodo es turpis. Ideo quomodo stares cum istis, etc. Respondet anima : Domine, ego nullum peccatum feci, etc. Et Christus : Et ideo non dabo tibi penam cum illis de inferno ; et remittit eam ad limbum puerorum, ubi non est ignis, nec demones, et ibi stant delectabiliter, et disputant inter se, etc. « Non intrabit in ea aliquid coinquinatum. » (Apoc. 21.) Isto modo etiam adulti sanctificantur, non solum ab originali, sed etiam ab omnibus actualibus, intantum quod si moriatur adultus antequam peccet, subito evolat recta via, etiam si ante habuisset omnia peccata, ex quo non ficte accedit ad baptismum. Nota contra vetulas dicentes quod anima pueri noviter baptizati quando moritur, transit purgatorium ex dolore matris, etc. Non credatis, quia error est. Sic sanctificatis dicit apostolus : « Peccatores aliquando fuistis, sed abluti estis. » (1 Cor. 6.)

Quintus modus est excellentior, sc. specialis preventio. Isto modo solum tres persone fuerunt sanctificate jam in utero matris, sine meritis ipsius creature precedentibus. Isto modo legitur Maria fuisse sanctificata in utero matris, et sic decebat, quia mater Dei esse debuit, etc. Etiam legitur de Hieremia propheta, qui etiam in utero matris fuit sanctificatus, quia debebat de Christo prophetizare. Tertius et ultimus fuit

Digitized by Google

beatus Joannes Baptista, quia debebat Christum baptizare. Non legitur quod beatus Joannes evangelista fuerit sanctificatus, nec Petrus, nec Paulus. Sed de Joanne legitur quod postquam virgo Maria concepit filium Dei, ivit ad visitandum Elizabeth consanguineam suam, quam Gabrielis revelatione scivit esse gravidam, ut patet Luc. 1, et virgo Maria intravit domum, et salutavit Elizabeth. Et ut audivit salutationem Marie, exultavit infans in utero matris. Tunc Elizabeth a Spiritu Sancto scivit quod virgo Maria erat gravida de filio Dei, et dixit : Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. » (Luc. 1.) Et eis amplexantibus se mutuo, tanta sanctitas exivit de virgine quod sanctificavit Joannem in utero matris existentem, et Joannes cognovit presentiam filii Dei, quia dicit sanctus Thomas quod usus liberi arbitrii fuit in eo acceleratus. Ecce qualiter beatus Joannes fuit sanctificatus juxta angeli revelationem. « Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue. » (Luc. 1.) Ideo Joanni appropriate dicit thema : « Antequam exires de vulva sanctificavi te. »

On peut prendre dans le ms de Valence quelques détails intéressants. Et d'abord au sujet du bon larron :

Et nota quod tria opera fuerunt facta in sanctificatione Latronis. Primo Christus eum illuminavit, dando ei cognitionem, etc. Secundo latro habuit contritionem. Tertio Christus, ob illam contritionem, sanctificavit eum, cum dixit : « Amen dico tibi », quia « hodie mecum eris in paradiso ». Et ita per finalem contritionem quis sanctificatur. Et dicit : « Congrega eos quasi gregem ad victimam », nam antiquitus oves, vel greges non intrabant in templum, sed stabant in deserto ; et in die sacrificii, quando debebant mori ingrediebantur ; et ita in fine vite ingrediebantur in templum. Et ita contingit hominibus, qui sunt sparsi per montem per peccata, quibus quando Deus dat illis in fine, sc. in morte contritionem finalem, ita « sanctificat eos in die occisionis ». Et ita hanc sanctificationem finalem per contritionem expectare usque ad finem vite et confidere in ea est fatuum. Sicut si quis volens transire per mare expectaret quod Deus divideret mare, quod non fecit nisi semel, ut habetur Exodi 14.

A propos de sainte Madeleine :

Et dicit : « Letificat civitatem Dei », propter lacrymas, quas effundit penitens de suis peccatis : et propter ipsum impetum, civitas glorie letificatur. Nam omnes sancti et angeli stant respiciendo per suas fenestras, quomodo in hoc mundo persone faciunt penitentiam. Et fenestre sunt scientia cujuslibet ; et sola Trinitas respicit per unam fenestram,

Digitized by Google

id est scientiam, nam in Deo non est nisi una scientia et ideo dicit Deus persone flenti verbum quod habetur Cant. 2 : « Ostende mihi faciem tuam », etc. Et ita facies ut placeat Deo debet esse plorosa. Et licet non appareat nobis pulchra talis facies, sed Deo est. Et ideo dicit : « Fluminis impetus letificat civitatem Dei. » Et dicit : Deus in medio ejus non commovebitur, sc. si perseverat in penitentia usque ad mortem : nam modicum prodesset facere penitentiam et non perseverare. Et dicit : « Adjuvabit eam Deus mane diluculo », id est in gloria ubi una dies est, et ita mane unum. Et Deus adjuvat recipiendo mantile, et abstergit lachrymas ab oculis penitentium ut habetur Apoc. 21 : « Absterget Deus omnem lachrymam », etc.

A propos du baptême :

Et hoc verum est si hoc baptismum detur et fiat secundum quod debet dari, nam certa forma est statuta ab Ecclesia, qua non servata non valet baptismum et baptizatus numquam videbit faciem Dei. Et ita, *mes filles*, quia aliquando propter necessitatem debetis baptizare parvulum, advertatis ut sic baptizetis et non mutetis aliquid, sc. dicendo : « Ego te baptizo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » Et non dicatis : Ego te baptizo in nomine virginis Marie, et Trinitatis, etc., nec dicere : In nomine Patris et Filii : quia in isto casu puer non esset baptizatus, quia oportet quod dicatur : « Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. » Et hic recita exemplum de magistro in theologia qui scivit per dictum vetule quod non erat baptizatus : quia baptizaverat eum sic : Ego te benedico, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, et sanctorum et sanctarum.

A propos de la sanctification de saint Jean-Baptiste :

Sed modo moraliter : Nam hic est dictum quod beatus Joannes Baptista fuit repletus Spiritu Sancto et ita sanctificatus, ut habetur Luc. 1 : « Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue. » Et ideo multi qui volunt sanctificari debent respicere qualis spiritus sit et ne sit malus ut habetur 1 Joan. 4 : « Nolite omni spiritui credere, sed probate si ex Deo sint. » Et ideo multi et multe qui volunt sequi societatem nostram, quia spiritus cordi eorum dicit eis per devotionem ut sanctificentur per auditionem predicationum et missarum et lucrationem indulgentiarum, etc., debent considerare an spiritus sit bonus vel malus : nam si aliquis est uxoratus, vel aliqua est nupta, et tenet filios et suam domum vel religionem et vult ire in nostra societate, non debet ire ; nec recipietur : quia per spiritum malum inducitur, quia crederet sanctificare se per penitentiam, etc., et damnaret se dando occasionem pec-

Digitized by Google

candi sue uxori, vel marito relicto in domo ; vel non dimittens *recapul* [*necessaria*] filiis suis. Etiam multi qui non accedunt nisi propter comestionem et potationem, et ut vacent et excusentur a laboribus temporalibus : ut fuit quidam scutifer, qui interrogatus quare volebat ire in societate, dixit : ut comederet et biberet et indueretur. Et ideo, bona *gent*, multi sunt de hac villa, qui volunt intrare in nostram societatem, quod melius esset eis stare in propria domo et laborare et conservare se sine peccato. Nam non admittuntur in nostra societate indistincte : sed habita examinatione plena quare vult accedere, et si tenet uxorem vel maritum, vel filios ; et quod intendit facere magnam penitentiam de peccatis suis, et non ire pro comedendo, etc.

Digitized by Google

De sancto Joanne Baptista

(Canevas autographe)

Manus Domini erat cum illo.
(Luc. 1.)

Virtus Domini dicitur ejus manus : ratio quia manu fiunt omnia opera. Job. 12 : « Quis ignorat quod omnia hec manus Domini fecerit ? » Hujusmodi ergo manus Dei, id est virtus divina, erat cum sancto Joanne. — Nota hujus manus quinque digitos, id est quinque opera notabilia in nativitate Joannis :

Annuntiatio gloriosa ;
Generatio virtuosa ;
Sanctificatio gratiosa ;
Manifestatio gaudiosa ;
Nominatio miraculosa.

Primum patet Luc. 1, a principio usque ad « permansit mutus ». — Moraliter, arguendo a minori, juxta illud : « Qui incredulus est filio Dei », etc. (Joan. 3.) Heb. 2 : « Si enim qui per angelos dictus est sermo », etc.

Secundum ibi : « Et factum est ut impleti sunt dies officii », usque ad « opprobrium meum inter homines ». — Moraliter, arguendo etiam a minori, juxta illud : « Honorabile connubium in omnibus », etc. (Heb. 13.)

Tertium ibi : « Exurgens autem Maria », usque ad « infans in utero meo ». — Moraliter exemplo Joannis, juxta illud : « Afferte Domino gloriam et honorem. » (Ps. 28.)

Quartum ibi : « Elisabeth impletum est » usque « congratulabantur ei ». Moraliter : persone antiquate in peccatis quando incipit facere fructum penitentie, congratulandum est, juxta illud : « Congratulamini mihi », etc.

Quintum ibi : « Et factum est in die octavo », usque : « Manus Domini erat cum illo. » — Moraliter, de precellentia hujus nominis *Joannes ;* ad hoc nomen *Zacharias,* juxta interpretationes eorum. Isa. 49 : « Dominus ab utero vocavit me... nominis mei. »

Digitized by Google

In Die et Festo beati Joannis Baptiste

(Manuscrit de Valence)

Manus Domini erat cum illo.
(Luc. 1, et recitatum est in Evangelio hodierno.)

Tres magnas festivitates facit Sancta Mater Ecclesia de beato Joanne Baptista. Prima de ejus passione que celebratur in fine mensis Augusti et vocatur beati Joannis decollatio. Secunda celebratur in adventu, Dominica tertia, que vocatur de conversatione beati Joannis Baptiste. Tertia festivitas et major, est de nativitate ejus gloriosa, que hodie solemnizatur. Et ideo ego hodie non predicabo de ejus passione pretiosa, sed de ejus nativitate, sc. qualiter fuerit natus. Et ideo recurramus ad virginem Mariam, dicendo : *Ave Maria.*

Istud verbum propositum est dictum de Joanne Baptista, dicens : *que la mano de Dios,* etc. — Et pro declaratione istius verbi sciatis quod virtus divinalis, per quam Deus operatur omnes res, dicitur manus, et est ratio quia magis aliquis operatur cum manu quam cum alio membro corporis, sc. scribere, *pintare, cavare*, etc. Et ideo dicit philosophus : « Manus est organum organorum. » Et ideo virtus Dei per quam ipse facit omnia per seipsum sine adjutorio alicujus, dicitur manus sua. Et habita ratione ecce authoritatem ut habetur Job 12 : « Quis ignorat quod omnia hec manus Domini », etc. Et ideo quia Deus fecit singularia in beato Joanne Baptista et ejus nativitate, dicit thema : « manus », id est « virtus Domini erat », etc. — Et invenio ego in Sancta Scriptura quod ista manus Dei habet quinque digitos, sicut quelibet manus debet habere, sc. quinque opera singularia que fecit in beato Joanne :

Primum opus, annuntiatio gloriosa ;
Secundum opus, generatio virtuosa ;
Tertium opus, sanctificatio gratiosa ;
Quartum opus, manifestatio gaudiosa ;
Quintum opus, nominatio miraculosa.

Ad primum opus de annunciatione gloriosa, nam antequam generaretur et conciperetur, fuit gloriose annuntiata. Et hoc recitat beatus Lucas melius et plenius quam alii dicens quod erant due persone juste ante Deum, faciendo servitium sibi. « Erant autem justi ambo », etc. (Luc. 2.) Et nota quod dicit : justi ambo, sc. Zacharias et Elisabeth, parentes beati Joannis Baptiste, ante Dominum ; non dicit : ante mundum per vanam gloriam, et vivendo pompose et mundaniter, sicut hodie faciunt gentes ; imo studebant diligenter semper voluntatem Dei servare, et non venire contra ejus precepta. Et ita vivebant devote et perfecte et ordinate, jejunando et vigilando in servitio Dei, quod nulla persona

Digitized by Google

poterat conqueri de ipsis. Et ut dicit beatus Lucas quod non poterant habere fructum matrimonii sui, nam Zacharias recepit Elisabeth domicellam generosam. Et ideo ut Deus daret eis fructum matrimonii sui, faciebant multa opera bona, sc. dare eleemosynam, et jejunare et orare. Et ita vixerunt usque ad senectutem, nam ut perpenditur per evangelium poterat habere Zacharias LX aut LXX annos, et tantumdem Elisabeth. Et ita quasi jam erant desperati habendi prolem, sed sciens Zacharias quod potentia Dei erat multa, et poterat dare eis, licet senibus, fructum matrimonii sui. Et ideo, cum oraret quadam die in templo, apparuit ei angelus Gabriel. Et timuit propter fragilitatem carnis, sicut beata Maria timuit, ut dicit beatus Lucas : « Turbata est in sermone ejus. » Et ideo dixit ut non timeret quia bonum nuntium ei portabat quod haberet filium ; et magnus vocabitur, sc. in istis : magnus in sanctitate, magnus in solemnitate, magnus in dignitate, magnus in penitentia aspera, magnus in utilitate convertendo gentes. Et Zacharias hoc audiens quasi non credidit angelo propter suam senectutem, et ideo petiit signum ab eo ; et dedit sibi in signum et punitionem quia non crediderit sibi, ut esset mutus. Et ita habetis quomodo nativitas beati Joannis Baptiste fuit annuntiata gloriose, et hoc considerando ex parte cujus fuit facta, quia Dei, et per quem, sc. angelum, et in quo loco, sc. quia in templo, et qualiter, sc. miraculose.

Et modo moraliter, bona *gent*, vos habetis hic quod Zacharias dubitavit et non credidit angelo renuntianti, quia consideravit naturam, sc. senectutem suam, et sue mulieris, quod sc. non poterant habere prolem : et non consideravit virtutem et potentiam Dei qui hoc poterat facere, quod senes haberent et generarent prolem : quia imo posset facere mortuos generare prolem qui non habent spiritum. Et multi cadunt in hoc errore Zacharie, qui in credendo articulis fidei considerant naturam et non virtutem Dei, ut in sacramento altaris ; et ita decedentes increduli, semper manebunt muti in inferno damnati : « Qui incredulus est Filio Dei », etc. (Joan. 3.)

Ad secundum opus de generatione virtuosa ; et ecce quomodo : nam antiquitus quando conjuges se sentiebant quod non poterant habere prolem, stabant separati quilibet ad suam *camaram*, et vivebant caste et devote. Et ideo cum Zacharias venisset de templo mutus, Elisabeth fuit mirata : habens displicitum de suo impedimento, non sciens causam. Et cum venisset nox, Elisabeth voluit intrare in suam *camaram* secundum quod consueverat, et Zacharias vocabat eam annuendo cum manu et capite ut veniret ad eum et intravit in suam *camaram* ; et cum venisset, et ipse requireret eam de actu conjugali ad hoc ut generaret, secundum quod sibi denunciavit angelus. Et Elisabeth videns quod petebat illud quod non petierat jam erat transactum multum tempus, dicebat :

Digitized by Google

A dios (v)os acomando! Et: *Tiene vos el diablo!* Et quid vultis facere? Et ipse cum esset mutus dicebat : Hu! Hu! Hu! Et *tranabat* de ea, sicut cecus de *bastone*. Et ipsa dicebat : *Oh! a dios vos acomando!* Et modo vultis devastare corpus et vitam vestram diminuere in senectute vestra. Et ipse tranabat fortiter de ea. Et tunc videns Elisabeth quod debitum petebat quod tenebatur sibi reddere, consensit sibi ut bona mulier debet facere. Et propter suam devocionem non debet vitare quia peccaret, ut habetur Col. 7 : « Uxori vir debitum reddat », etc. Et in hoc peccant multe mulieres. Imo dico quod si uxor est in ecclesia, et vir vocat eam pro debito debet exire et solvere. — Et cum Zacharias cognovisset eam, fuit pregnata ; et transactis aliquibus diebus, Elisabeth videns suum ventrem *grossum* dixit marito : « *Ydropica so tornada!* » Et ita verecumdabantur multum de pregnato suo, quia senex erat. Et ideo dicit beatus Lucas : « Occultabat se quinque mensibus. » Et erat sic antiquitus quod quando se sentiebat pregnatam non conveniebant in simul. nec curabant de actu conjugali. Vel hodie contrarium fit, nam etiam veniunt pregnate ad ecclesiam die nuptiarum. Et ideo multa miseria, ut Tob. 6 : « Ostendam tibi qui sunt quibus prevalere potest demonium. »

Ad tertium opus, de sanctificatione gratiosa : nam beatus Joannes Baptista fuit sanctificatus in utero matris sue. Sed videndum quando et quomodo. — Sexto mense cum staret Elisabeth occultata in sua *camara*, quando virgo Maria venit ad eam salutando eam dicendo ei : « *Mi prima [cousine], bendito sea el fijo in vuestro vientre!* » per ista verba fuerunt secuta duo miracula ; nam dederunt spiritum propheticum Elisabeth, qui dixit virgini Marie, ut habetur Luc. 1 : « Et benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. » Item puer in illo instanti fuit sanctificatus per verba virginis Marie, sicut quis sanctificatur per verba baptismi : « Ego te baptizo », etc. Et ideo Elisabeth hoc sentiens dixit verba que habentur Luc. 1 : « Ecce ut facta vox tua... in utero meo. » Et ecce quomodo : nam ut dicit beatus Thomas : acceleratus fuit usus rationis. Et ideo beatus Joannes Baptista, cum jam haberet rationem, cum virgo Maria, puella adhuc parva, *accostaret a Elisabeth,* que erat major ipsa, ut amplectaretur ipsam, adoravit Christum existentem intra uterum virginis.

Et ideo vos habetis doctrinam quam docet beatus Joannes Baptista ut adoretis Christum intra hostiam existentem. Et ideo dixit David in ps.: « Afferte Domino, filii Dei », etc. Item habetis aliam doctrinam per id quod cum Elisabeth sensisset puerum adorare Christum, retraxit se retro, reputans se indignam appropinquare se ad virginem, ut non appropinquatis vos ad altaria, sed reverentialiter se retrahere et non tangere, in altari neque in calice. Imo pejus est in castello quod sacristani tangunt res sacras, imo, quod pejus est, et uxor sua ; et etiam ali-

Digitized by Google

quoties cognoscunt eam in ecclesia vel in sacristia, quod est peccatum sacrilegii. Item quia in hac villa repertum est quod uxor ejus de corporalibus fecit manicas filio suo parvulo, quod est abominabile ; nam cum timore debet quis ingredi ecclesiam, ut David : « Ego autem introibo in domum tuam », etc. (Ps. 5.)

Ad quartum opus, de manifestatione gaudiosa : nam cum Elisabeth occultaret se per novem menses quantum posset, venit tempus pariendi, et peperit ut dicitur Luc. 1. Et in tantum fuit divulgata quod dicit beatus Lucas ibidem quod super omnia *montanea,* etc., nam bene erat mirandum quod sterilis et senex pareret, sicut esset miraculum quod una mula pareret...

La fin de ce sermon, identique comme idées dans le recueil imprimé, a cependant plus d'ampleur et mérite d'être préférée. Mais nous nous reprocherions de ne pas reproduire le passage où le Saint parle de sa famille et de lui-même, passage qu'on ne trouve que dans le manuscrit de Valence :

Et ex hoc possumus recipere etiam bonam doctrinam, ut sc. sicut Zacharias fecit laudes Deo de filio suo dicendo : « Benedictus Dominus Deus Israel », etc., et dedit benedictionem filio suo dicendo : « Et tu, puer, propheta Altissimi... parare vias ejus. » (Luc. 1.) Ita vos de matrimonio, cum habetis filium vel filiam, debetis facere gratias Deo qui voluit dare vobis fructum matrimonii vestri in servitium Dei, hic per gratiam, et in celo per gloriam possidendam, ad quam replendam Deus creat creaturas. Et post dare benedictionem filio vel filie ut Deus faciat illum vivere in servitio suo taliter, ut perveniat ad gloriam et laudare Deum cum angelis. Et hoc modo faciebat quidam homo Valentie, qui, cum sentiebat quod uxor sua, ibat parturiens, ibat ad ecclesiam et ibi flexis genibus rogabat Deum ut liberaret uxorem suam et daret sibi bonum partum. Et postquam uxor pepererat veniebat quidam ad vocandum eum, denuntiando sibi quid pepererat. Et ipse cum gaudio accedebat ad domum et recipiebat creaturam : et primo faciebat laudes Deo de tanta gratia eis facta dando fructum eis de suo matrimonio, et postea dabat benedictionem creature, ut Deus effundere dignaretur gratiam suam in illam. Et ideo propter hoc, octo inter fllios et filias quas habuit, taliter vixerunt, quod omnes sunt in paradiso nisi tres, et illi similiter non dubito quod ibunt : quia talis est vita eorum quod merentur ire ad illum locum.

(Recueil imprimé)

Dico tertio quod manus virtutis Dei operata est in beato Joanne per sanctificationem gratiosam, quia adhuc existens in utero matris sue (Luc. 1), non solum fuit plenus Spiritu Sancto, sed etiam repletus.

Digitized by Google

Modo audite modum ipsius quomodo fuit sanctificatus. Dicit Chrysostomus quod beatus Joannes in utero matris sue per quinque menses, et per aliquos dies de sexto mense stetit cum peccato originali, sed in sexto mense fuit sanctificatus. In sexto etiam mense sue conceptionis missus est Gabriel ad virginem Mariam, que concepit tunc filium Dei, et dixit tunc angelus virgini quomodo Elizabeth sterilis conceperat filium. Propter quod virgo Maria ibat ad visitandum Elisabeth. Et cum intrasset domum, fuit dictum Elisabeth quod Maria venerat, de quo Elisabeth gavisa, exiens obviam ei salutavit eam. Tunc virgo Maria dixit sibi : O mea benedicta cognata ! proficiat vobis quia filium concepistis. Ista verba fuerunt tante virtutis, quod sicut verbum sacerdotis in baptismo virtute Christi sanctificat animam baptizati, sic illud verbum virginis virtute filii Dei in ea incarnati, et in ea existentis, sanctificavit Joannem Baptistam. Sanctificatur enim creatura per verbum Dei (1 Tim. 4). Dicit beatus Thomas quod tunc fuit acceleratus usus rationis in Joanne, et habuit usum liberi arbitrii, et exultavit in utero, sicut letaretur miles si rex daret sibi mille florenos, vel castrum unnm de speciali gratia. Sic tunc beatus Joannes fuit totus letus et gaudiosus. Bernardus vocat istud gaudium tripudium. Tunc Elizabeth Spiritu Sancto inspirata cognoscens quod virgo Maria conceperat filium Dei, voce magna dixit : « Benedicta tu in mulieribus », etc. (Luc. 1.)

Rogo vos contemplamini hic modicum. Sancta Elizabeth erat antiqua, virgo autem Maria erat tunc juvenis XIV annorum, et eis amplexantibus et osculantibus se, venter Elizabeth se eminebat super ventrem virginis. Ideo Joannes erat altior Christo. Propter hoc Joannem retraxit se in utero matris, dans filio Dei honorem, sicut faceret miles regi in eodem scamno sedere volenti, quia miles projiceret se statim ad terram. Ecce hic sanctificatio gratiosa. — Moraliter beatus Joannes ostendit nobis quantam reverentiam deberemus facere altari Christi, et ministris suis. Virgo Maria erat tunc altare in quo erat corpus Christi, et quando Joannes accessit ad Christum per amplexus matris, beatus Joannes retraxit se humiliter inclinando. Multi errant in hoc stantes prope altare, etiam desuper appodiati. Miror quod non interficiuntur ab angelis qui sunt ibi presentes, ut dicit beatus Gregorius. Antiquitus ut habetur Num. 1 : « Homo nisi de genere Aaron, si accesserit ad altare meum, morte moriatur », tamen in illo non sacrificabatur corpus Christi, sed animalia, quanto ergo magis debet haberi in majori reverentia altare in quo offertur filius Dei ? Cogitate etiam quid faciet de clericis luxuriosis, immunde eum tractantibus. David tam magnus rex et sanctus cum magna reverentia veniebat ad templum Domini, dicit ipsemet : « Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. » (Psal. 5.) Dicatur de his que minus juste fiunt in ecclesiis, etc.

Digitized by Google

Dico quarto quod manus virtutis Dei operata fuit in beato Joanne manifestationem gaudiosam, quia in partu non potuit latere. Secrete possunt concipere, sed non sine clamoribus parere. Et quia Zacharias et Elizabeth erant nobiles, ideo ab omnibus cognoscebantur, et dicebant gentes : Scitis nova? Et quid est? Illa nobilis mulier Elizabeth peperit unum filium. Et alii respondebant : Nobis videtur quod non erat gravida, et etiam quia erat nimis antiqua. Sed alii econverso dixerunt : Imo pro certo, sed abscondebat se. Tunc amici ejus et cognati veniebant ad eam, et congratulabantur ei dicentes : O certe bene videtur quod Deus diligit vos, quia in tanta senectute dedit vobis heredem. Ecce quomodo manus Domini erat cum eo in manifestatione gaudiosa.

Moraliter ostenditur nobis hic quomodo debemus gaudere de persona sterili in bonis operibus, et antiquata in peccatis, et mala vita, quando parit fructum bonorum operum et meritorum, ut Elizabeth congratulabantur amici ejus. Nota quod hoc nomen Elizabeth est compositum ex tribus nominibus, sc.: *El,* id est Deus, et *I,* id est meus, et *Zabeth,* id est septima. Ideo *Elizabeth,* id est Dei mei septima. Modo videamus que est ista Dei mei septima. Respondeo et dico quod ista Dei mei septima est creatura humana. Omnia que Deus fecit vadunt de septem in septem. Septem enim sunt creature principales quas Deus fecit, sc. terra, aqua, aer, et ignis, quinta essentia, sc. celi, sexta est natura angelica, septima natura humana. Ecce Dei mei septima, sed multoties creatura senescit, et antiquatur, sterilis sine fructu bonorum operum et virtutum. O quot religiosi et presbyteri, et homines et mulieres sunt in mundo steriles, quia nunquam fecerunt fructum boni operis, sed tamen deponunt peccata, et malam vitam, et volunt redire ad Deum, proponendo facere illa ad que tenentur secundum suum statum, tunc concipiunt. Pariunt autem quando faciunt bona opera, quando religiosus servat suam regulam, vota et cerimonias, tunc parit. Idem de aliis. Tunc omnes amici ejus et vicini debent gaudere et congratulari, et regratiando Deo dicere : O de isto benedicto ! modo in sua senectute dedit se Deo. Sed hodie fit totum oppositum in mundo. Si est aliquis religiosus dissolutus et ribaldus, nullus dicit sibi aliquid, imo omnes commendant et laudant eum, sed si vult servare suam regulam et vivere secundum quod vovit, statim persequitur ab aliis. Idem de clerico. Idem de laico, homine, et muliere vana, si vult dimittere vanitates, et potest dicere : « Congratulamini mihi omnes, quia inveni ovem, id est animam quam perdideram. » (Luc. 15.) Et tamen ille intantum persequitur ab aliis, quousque faciant eum perdere animam cum aliis.

Dico quinto quod manus Domini fuit operata in beato Joanne Baptista nominationem miraculosam, fuit enim mirabiliter nominatus.

Digitized by Google

Post ejus nativitatem, sc. octava die secundum legem Moysi circuncidebant pueros. Et sicut nunc in baptismo nos imponimus nomina, ita tunc in circuncisione imponebantur. Cum autem rabinus teneret jam illam pelliculam, etc., quesivit a matre quis vocaretur, dixerunt circunstantes : Vocetur ut pater suus Zacharias. Sed mater revelatione Spiritu Sancti contradixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Illi vero admirantes de tali nomine, dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Tunc iverunt ad patrem suum, et innuebant patri ejus quem vellet vocari eum, adhuc autem pater ejus erat mutus. Et dicit hic glosa quod etiam erat surdus, ideo innuebant ei per scripturam quis vocaretur. Qui postulans pugillarem, scripsit dicens : Joannes est nomen ejus ; quasi diceret : non impono ego sibi hoc nomen, sed Dominus. Tunc pater subito recuperavit loquelam dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, etc. Ecce hic quomodo fuit hec nominatio miraculosa.

Moraliter hoc nota, et intrabimus per questionem. Quod nomen est melius, Zacharias an Joannes ? et videtur quod Joannes, quia dixit mater : Nequaquam vocabitur Zacharias, sed Joannes. Respondeo : Zacharias secundum interpretationem Hebraicam interpretatur memorans Deum. Illud nomen Joannes in x gradibus excellit hic nomen Zacharias. Nam si aliqua persona sit in peccatis et vult dimittere peccata, cupiens salvari gratia Dei, oportet quod talis persona sit primo Zacharias, id est memorans Deum quem offendit, et quod habeat contritionem de peccatis. Secundo quod habeat propositum non redeundi ad peccata, etc. Dico quod IX sunt opera penitentialia, nec tamen in nono opere est Joannes, sed Zacharias, sed in decimo opere, sc. in communicatione sacramentali, quia tunc habent donum gratie, vel in quo est gratia, et tunc est Joannes. Ecce rationem quare dicit : Nequaquam vocabitur Zacharias, sed Joannes, etc., ad innuendum quod esset perfectus in penitentia et gratia Dei. Ideo Esa. 49 : Dominus ab utero vocavit me », et dicitur in persona beati Joannis, quia secundum gratiam et perfectionem quam Deus debuit sibi dare, imposuit sibi nomen. — Ergo manus Domini erat, etc.

Nous donnons ici un autre sermon qui fut prononcé pour la fête de saint Jean-Baptiste, mais qui a trait au jugement dernier. C'était le thème habituel de notre Saint, et il profitait de toute interprétation de textes possible pour y revenir.

Digitized by Google

De sancto Joanne Baptista

(Recueil imprimé)

Elizabeth impletum est tempus pariendi.
(Luc. I.)

Ab isto themate ego recipio motivum predicandi de fine mundi, qui erit in brevi. Ideo in presenti sermone volo vobis declarare per aliquas similitudines palpabiles et morales, quomodo finis mundi instat de propinquo, nullus tamen scit tempus determinate, et annum, mensem, vel diem. Credo quod erit materia gratiosa et acceptabilis, et nobis proficua et meritoria. Salutetur virgo Maria, etc.

Antequam veniam ad materiam predicandam, oportet declarare duo motiva, sc. que est ista Elizabeth, et quid est ejus tempus pariendi. Hoc nomen Elizabeth est compositum ex tribus nominibus Hebreis sive Hebraicis: *El,* id est Deus, *I,* id est meus, *Zabeth,* id est septima. *Elizabeth,* id est Dei mei septima. Ideo secundum istam interpretationem signat generationem, id est durationem humanam, que est jam septima, quia sicut in homine, qui secundum cursum nature vivit, computantur septem etates. Prima est infantia, id est non fantia, a for, faris. Ideo prima etas mundi fuit infantia, sc. ab Adam usque ad Noe, quia tunc nesciebant loqui de Deo, non habebant revelationes, nec libros, nec magistros, nec doctores. Secunda etas hominis dicitur pueritia puritate, a septem annis usque XIV. In ista etate fuit mundus a Noe usque ad Abraam, tunc enim fuit mundus aquis diluvii purificatus. Tertia est adolescentia, id est crescentia a XIV annis usque ad XXV annos. In ista etate fuit mundus ab Abraham usque ad Moysen, quia creverunt in Dei cognitione. Quarta est juventus a XXV annis usque ad XXXV vel XL. In ista fuit mundus a Moyse usque ad David. Quinta est virilitas, a XL annis usque ad LX. In ista fuit mundus a David usque ad transmigrationem Babylonis. Sexta est senectus a LX annis usque ad LXX. In ista fuit mundus a transmigratione Babylonis usque ad Christum. Septima est decrepitus, id est deficiens a LX annis usque ad finem mundi. Propter hoc dicebant apostoli: « Nos sumus in quos fines seculorum devenerunt. » (I Cor. 10.) Ecce ergo Elizabeth, id est Dei mei septima, sc. etas nature humane, et duratio ejus usque ad finem mundi.

Modo videamus quid intelligendum est per tempus pariendi istius Elizabeth vetule. Dico quod finis mundi erit cito et breviter. Qui finis potest dici partus ex quatuor similitudinibus, quas habet cum muliere parturiente, de quibus David: « Ipsi videntes sic admirati sunt... ut parturientis. » (Ps. 47.) In muliere gravida, que est juxta partum, invenio quatuor conditiones. Prima quod computat tempus et aliquando errat in

Digitized by Google

Post ejus nativitatem, sc. octava die secundum legem Moysi circuncidebant pueros. Et sicut nunc in baptismo nos imponimus nomina, ita tunc in circuncisione imponebantur. Cum autem rabinus teneret jam illam pelliculam, etc., quesivit a matre quis vocaretur, dixerunt circunstantes : Vocetur ut pater suus Zacharias. Sed mater revelatione Spiritu Sancti contradixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Illi vero admirantes de tali nomine, dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Tunc iverunt ad patrem suum, et innuebant patri ejus quem vellet vocari eum, adhuc autem pater ejus erat mutus. Et dicit hic glosa quod etiam erat surdus, ideo innuebant ei per scripturam quis vocaretur. Qui postulans pugillarem, scripsit dicens : Joannes est nomen ejus ; quasi diceret : non impono ego sibi hoc nomen, sed Dominus. Tunc pater subito recuperavit loquelam dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, etc. Ecce hic quomodo fuit hec nominatio miraculosa.

Moraliter hoc nota, et intrabimus per questionem. Quod nomen est melius, Zacharias an Joannes ? et videtur quod Joannes, quia dixit mater : Nequaquam vocabitur Zacharias, sed Joannes. Respondeo : Zacharias secundum interpretationem Hebraicam interpretatur memorans Deum. Illud nomen Joannes in x gradibus excellit hic nomen Zacharias. Nam si aliqua persona sit in peccatis et vult dimittere peccata, cupiens salvari gratia Dei, oportet quod talis persona sit primo Zacharias, id est memorans Deum quem offendit, et quod habeat contritionem de peccatis. Secundo quod habeat propositum non redeundi ad peccata, etc. Dico quod IX sunt opera penitentialia, nec tamen in nono opere est Joannes, sed Zacharias, sed in decimo opere, sc. in communicatione sacramentali, quia tunc habent donum gratie, vel in quo est gratia, et tunc est Joannes. Ecce rationem quare dicit : Nequaquam vocabitur Zacharias, sed Joannes, etc., ad innuendum quod esset perfectus in penitentia et gratia Dei. Ideo Esa. 49 : Dominus ab utero vocavit me », et dicitur in persona beati Joannis, quia secundum gratiam et perfectionem quam Deus debuit sibi dare, imposuit sibi nomen. — Ergo manus Domini erat, etc.

Nous donnons ici un autre sermon qui fut prononcé pour la fête de saint Jean-Baptiste, mais qui a trait au jugement dernier. C'était le thème habituel de notre Saint, et il profitait de toute interprétation de textes possible pour y revenir.

Digitized by Google

De sancto Joanne Baptista

(Recueil imprimé)

Elizabeth impletum est tempus pariendi.
(Luc. I.)

Ab isto themate ego recipio motivum predicandi de fine mundi, qui erit in brevi. Ideo in presenti sermone volo vobis declarare per aliquas similitudines palpabiles et morales, quomodo finis mundi instat de propinquo, nullus tamen scit tempus determinate, et annum, mensem, vel diem. Credo quod erit materia gratiosa et acceptabilis, et nobis proficua et meritoria. Salutetur virgo Maria, etc.

Antequam veniam ad materiam predicandam, oportet declarare duo motiva, sc. que est ista Elizabeth, et quid est ejus tempus pariendi. Hoc nomen Elizabeth est compositum ex tribus nominibus Hebreis sive Hebraicis : *El,* id est Deus, *I,* id est meus, *Zabeth,* id est septima. *Elizabeth,* id est Dei mei septima. Ideo secundum istam interpretationem signat generationem, id est durationem humanam, que est jam septima, quia sicut in homine, qui secundum cursum nature vivit, computantur septem etates. Prima est infantia, id est non fantia, a for, faris. Ideo prima etas mundi fuit infantia, sc. ab Adam usque ad Noe, quia tunc nesciebant loqui de Deo, non habebant revelationes, nec libros, nec magistros, nec doctores. Secunda etas hominis dicitur pueritia puritate, a septem annis usque XIV. In ista etate fuit mundus a Noe usque ad Abraam, tunc enim fuit mundus aquis diluvii purificatus. Tertia est adolescentia, id est crescentia a XIV annis usque ad XXV annos. In ista etate fuit mundus ab Abraham usque ad Moysen, quia creverunt in Dei cognitione. Quarta est juventus a XXV annis usque ad XXXV vel XL. In ista fuit mundus a Moyse usque ad David. Quinta est virilitas, a XL annis usque ad LX. In ista fuit mundus a David usque ad transmigrationem Babylonis. Sexta est senectus a LX annis usque ad LXX. In ista fuit mundus a transmigratione Babylonis usque ad Christum. Septima est decrepitus, id est deficiens a LX annis usque ad finem mundi. Propter hoc dicebant apostoli : « Nos sumus in quos fines seculorum devenerunt. » (I Cor. 10.) Ecce ergo Elizabeth, id est Dei mei septima, sc. etas nature humane, et duratio ejus usque ad finem mundi.

Modo videamus quid intelligendum est per tempus pariendi istius Elizabeth vetule. Dico quod finis mundi erit cito et breviter. Qui finis potest dici partus ex quatuor similitudinibus, quas habet cum muliere parturiente, de quibus David : « Ipsi videntes sic admirati sunt... ut parturientis. » (Ps. 47.) In muliere gravida, que est juxta partum, invenio quatuor conditiones. Prima quod computat tempus et aliquando errat in

Digitized by Google

computo, et subito veniunt dolores in partu. Ita multi errant circa computum finis mundi, dicendo : non erit ita cito, primo erit hoc et hoc, etc. O quot erunt decepti in computo ! quia quando ipsi non credent, subito veniet. Ideo dicit : Ipsi videntes sic, sc. subversionem mundi, admirati sunt.

Secunda conditio est, quia mulier quando sibi veniunt signa partus turbatur, et mittit pro obstetrice, et pro tali et tali, etc. Ita in fine mundi turbabuntur gentes, unus dicet : O miser, vellem confiteri, etc. Dicet alius usurarius : Vidistis talem ? Et quid vultis ? Vellem sibi restituere. Modo faciatis, quia tunc non erit hora, quia tunc quicquid est in mundo, debebit incinerari. Idem dicent illi qui modo nolunt parcere, tunc perquirent inimicos ut faciant pacem. Idem de religiosis, qui modo non curant servare regulam, tunc ibunt ad sacristam ut videant regulam, etc. Ecce quare tunc non erit hora. Idem de illis qui modo non curant servare penitentiam. Ideo dicit : Conturbati sunt. — Tertia conditio est, quia mulier in partu a capite usque ad pedes habet dolores. Ita in fine mundi, quando gentes videbunt conflagrationem ignis, dicet unus : O miser ! quid faciam ? ego habeo tot castra, etc., modo comburentur. Dicit alius : O miser ! ego habeo tot florenos in taxia. Et alius dicet : Et ego tot capita gregum. Idem de mulieribus, que ornant se crinibus, etc. Ignis omnia consumet, imo etiam corpus. Ideo dicit : Commoti sunt.

Quarta conditio, quia mulier quando parit timet ne moriatur, vel ne creatura possit exire. Ita tunc gentes trement, videntes mortem in gutture. Ideo dicit : Tremor apprehendit eos ibi, sc. in fine mundi, dolores ut parturiensis. Ecce quare finis mundi dicitur partus. Bene ergo dicit thema : Elizabeth, id est duratio generationis humane quam tenemus, impletum est tempus pariendi, sc. de propinquo.

Hoc volo modo declarare palpabiliter secundum quod manifeste potest cognosci finis diei ex recessu radiorum solis :

Ab imis torrentibus ;
A planis convallibus ;
Ab elevatis costis ;
Ab excelsis collibus ;
Et a summis montibus.

Dicitur : finis diei est quando radii solares non illuminant torrentes, et valles, costas, colles, et montes. Iste sol est Christus. Autoritas : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitie. » Non dicit, sol nature. (Malach. 4.) Item in novo testamento quando laudamus virginem in matutinis dicitur sibi : « Felix namque es sacra virgo Maria... sol justitie Christus Deus noster. » Modo videamus an radii claritatis hujus solis illuminent torrentes, vel valles, etc., et sic poterimus dicere et cognoscere an dies mundi est ad finem. Torrentes dicuntur laboratores

Digitized by Google

mechanici. Ratio quia torrentes sunt asperi ad ambulandum et petrosi. Ita vita laboratorum est aspera in pane, vino, indumentis, domo, lecto, et laboribus multis. Item torrentes aliquando abundant aquis, aliquando non, quod una formica potest transire, ita laboratores aliquando abundant in pane et vino, etc., aliquoties veniunt siccitates, grando, et pruina, quod nihil colligunt. Tertio torrentes sunt plus bassi : Ita laboratores parum appreciantur, et tamen tam prelati quam reges omnes vivimus cum eis de eorum laboribus. Ex his tribus rationibus laboratores dicuntur torrentes. Autoritas, quoniam possunt dicere laboratores : « Imminuti sumus... in universa terra. » (Dan. 3.)

Modo videamus an isti torrentes illuminentur et calefiant a radiis solis justitie. Nam illuminatio est per sapientiam, calefactio per devotionem. Dico quod nec illuminantur, nec calefiunt. Antiquitus quantumcunque laborator esset vel fuisset grossus, simplex, vel piscator, ad minus habebat quatuor que sunt necessaria ad sciendum cuilibet. Primo sciebant se signare, et modo nihil nisi circulum in chorea, et similibus, etc. Secundo sciebant *Credo in Deum,* quod debet sciri plus quam *Pater noster,* et quot petitiones continet ? septem. Et modo nihil bene sciunt nisi conjurationes, et sortilegia. Quarto sciebant *Ave Maria,* et qualiter regina celi est salutanda, modo nihil, sed bene sciunt quot denarii sunt in uno floreno. Jam sol recessit a torrentibus. Antiquitus erant calidi in devotione, quia quilibet postquam surrexerat de mane antequam faceret, genibus flexis faciebat suam orationem, vir in uno angulo domus, et uxor in alio, et filii in aliis. Modo vos qualiter oratis, quando recipitis camisiam, etc. Jam sol nec illuminat nec calefacit. Item antiquitus quolibet die audiebant missam in aurora, deinde ibant ad sua negotia, et Deus dirigebat eos in omnibus. Modo nec in dominica volunt missam audire, sed sunt in platea vel taberna, et quando pulsatur pro corpore Christi, veniunt ut porci ad stabulum, vel si vadunt ad missam, non veniunt pro tempore, et quando sunt intus, non faciunt nisi loqui de negotiis, et post communionem statim recedunt. Jam sol recessit. Item communicabant et confitebantur quolibet die dominico, veniebant ad communionem duo et duo, et post dabant sibi pacem, osculantes se. Idem faciebant mulieres. Modo nec semel in anno volunt confiteri in XL nec communicare in Pascha, licet obligentur ex preceptis penalibus sub pena damnationis anime, et sine sepultura corporis. Item antiquitus si aliquid deficiebat in ecclesia, erat benigna contentio inter parochianos et curatum, quia quilibet volebat illud facere. Dicebat populus : Nos providebimus domui Dei ut ipse provideat de nostris. Modo contendunt de opposito. Dicet rector : Vos debetis facere, quia vobis servit. Dicit populus : Imo deberetis facere, qui recipitis redditus. Totum est contrarium. Ab hujusmodi enim torrentibus jam videtur

Digitized by Google

retraxisse radios suos verus sol justitie Christus Deus noster, et jam est completa prophetia David: « Nescierunt, neque intellexerunt », etc. (Psal. 81.) Nota nescierunt, sc. se signare, nec *Credo in Deum,* nec *Pater noster,* neque intellexerunt, sc. quid debeant facere de spiritualibus, in tenebris ambulant.

Secundo videamus an illuminentur valles, quia quando sol retrahit suos radios a torrentibus, adhuc tamen illuminat valles. Valles dicuntur cives, burgenses, mercatores, et persone divites. Ratio, quia sicut valles abundant frumento, vino, fructibus, et hujusmodi, ita predicti abundant divitiis. Item per valles homo ambulat delectabiliter, ita isti vivunt delectabiliter. Habent plures domos, et magnas, bonos lectos et cortinas, vasa aurea et argentea, escas, etc., et de istis dicit David, qs. 64 : « Valles abundabunt frumento, clamabunt quantum ad primum, etenim hymnum dicent » quantum ad secundum, delectabiliter vivendo, et cum letitia. Modo videamus an illuminentur a sole. Dico quod non ; jam retraxit radios suos. Antiquitus quando unus mercator, civis, vel burgensis, perdidit bona sua in terra, vel mari, vel per ignem, statim alii congregabant se dicendo : Talis perdidit omnia sua, etiam hoc posset cuilibet intervenire, ideo juvemus eum, ego do tantum, etc. Sed modo si unus posset auferret oculum alteri, totum est invidia et malitia. Antiquitus quando unus dives ibat extra villam, si videbat campum incultum vel vineam, petebat inquirendo cujus esset, quando sibi dicebatur de tali, statim ibat ad illum dicens : Quare vinea vestra vel campus est incultus, quare non seminastis, de quo vivitis ? Dicebat ille : Domine, non habeo jumenta, nec semen, etc. Dicebat dives : Modo teneatis bladum, vel pecunias, recipiatis bestias meas, etc., et non dicatis alicui. Modo si veniret pauper laborator ad divitem, petens ab eo decem florenos ad prestandum ut posset seminare, etc., diceret dives : Placet mihi, sed quando veniet notarius, dicetis quod sunt duodecim, et ita ponetur in charta, et ita jurabitis, intantum quod damnabitur ipse laborator propter falsum juramentum, et notarius, et testes. Ergo sol justitie occidit eis. Antiquitus quando videbant viduam juvenem, vel puellam pauperculam discalciatam, etc., dicebant : Cujus est ? dicebatur eis : Filia est talis, et vocabant patrem dicendo sibi : Et quare non maritatis istam, nescitis quod periculum est tenere puellas magnas ? Respondit pater : Quia multi vellent eam, quia ipsa est bona, sed non habet dotem. Dicebat dives : Ecce ego do vobis tantum, nihil dicatis, et detis sibi virum. Dicebat mulier : Et ego do sibi unum lectum, etc. Sed modo quando dives videt juvenculam pauperculam, mittit ad eam unum ruffianum, dicens quod si vellet loqui secum, daret sibi tunicam, et facit eam meretricem. Et nunquid scimus quod est illud colloquium ? Et ergo procul ab illis foris est sol. Antiquitus si aliquis vendebat aliquid alicui mercatori, dicebat quanti

Digitized by Google

valeret. Unde dicit August. quod quidam vendidit unam rem, petens pro ea medium florenum : O ! dixit mercator, qui empturus erat rem illam, vos essetis deceptus, quia illa res valet decem florenos, et ideo dabo vobis novem, ut et ego qui sum mercator lucrer aliquid vobiscum. Sed modo statim unusquisque decipiet alium. Nam venditor vult decipere emptorem, et econverso. Antiquitus si unus mercator vendebat, et vicinus suus non vendebat, quando perfecerat venditionem suam, dicebat emere volentibus : Ego jam vendidi hodie, sed ille non vendidit, qui habet ita bonum pannum, etc., ut ego, vadatis ad eum. Sed modo est inter eos tanta invidia, quod nullus facit alteri quod sibi fieri vellet. Antiquitus jurati vel rectores communitatis nolebant aliquid recipere de communitate, nisi salarium jam eis taxatum. Jam autem volunt plus recipere. Ordinationes enim eorum sunt ut tela aranee, que solum retinet muscam, non timent Deum. Jam ergo a convallibus sol justitie retraxit radios suos, etc., et videtur completa prophetia Christi dicentis : « Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. » (Math. 24.)

Tertio videamus an illuminet costas, que sunt sacerdotes. Ratio, quia coste sunt elevate, et altiores vallibus. Ita sacerdotes et ministri altaris super alios sunt elevati ad serviendum Christo, et ministrandum. Ideo dicit de ipsis : « Separavit vos Deus. » (Num. 16.) Sed dico quod jam sol justitie ab eis retraxit radios suos, sc. sapientie et devotionis. Antiquitus autem habebant tantam devotionem, quod etiam in una parva parochia, ubi non erat nisi unus clericus, surgebat de nocte ad matutinas, et tangebat campanam ; et est bene factum, ut licet gentes non surgerent, tamen quando audierunt campanam dixerunt : Benedictus sit Deus. Deinde coram altari accenso lumine dicebat suas matutinas devote et distincte, intantum quod multe gentes veniebant ad ecclesiam ut audirent, sed modo vel non pulsantur campane, vel si pulsantur, ibi non surgunt. Sed campane dicunt maturinas de nocte, ipsi autem dicunt matutinas rubeas vel albas in horto, vel platea, vel in fenestra indevote, etc., cum tamen de qualibet litera et dictione habeamus reddere computum in judicio Dei. Antiquitus parabant se ad missam, confitebantur, et celebrabant quasi quotidie cum magna devotione, sed modo si non habent denarios non curant celebrare, sed si sunt pecunie, tunc celebrant. Antiquitus sacerdotes considerantes quod eorum lingua erat clavis paradisi, ut dicit Gregorius, cavebant a juramentis et mendaciis, conservabant manus a ludis et tactibus. Modo autem jurare et renegare plus invenitur in eis quam in latronibus, similiter dicere mendacia, et in ludo ipsi sunt primi. Item conservabant corpus, quod est monumentum Christi proprius et verius quam sepulchrum in Hierusalem, sed modo projiciunt se in latrinam luxurie, tenendo concubinas, ergo sol occidit eis. Et nunquid videtur vobis parvum peccatum ? Nam unus presbyter

Digitized by Google

concubinarius damnat totum populum propter scandalum, et detractionem. Et plus peccat mulier cum clerico semel, quam cum pluribus hominibus laicis. Ideo fiat statutum contra ista in synodo sancta, etc. Antiquitus etiam sacerdotes dabant exemplum bone vite, quod quando sacerdos ex aliqua necessitate intrabat villam vel civitatem, et transibat per vicum, omnes surgebant, et se orationibus ejus commendabant, osculando sibi manus vel vestes, etc. Et modo dicunt: O! sacerdos noster vadit ad illam, etc. Pejus dicunt de illis quam de Judeis, ex malo exemplo vite quod vident. Ergo jam sol retraxit radios suos a torrentibus, a convallibus, et costis. Jam completa est prophetia Ezechielis dicentis in persona Dei: « Sacerdotes Dei contempserunt legem. » (Ezech. 22.)

Quarto videamus an sol illuminet colles. Nam colles dicuntur religiosi triplici ratione. Prima, quia per colles transeunt merces de una terra ad aliam, sic per religiosos transeunt merces paradisi ad terram istam. Secunda, quia colles dant gaudium et leticiam ex alterius patrie contemplatione. Sic religiosi contemplantur patriam ad quam tendimus, et civitatem paradisi quam querimus, quia « non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus ». (Hebr. ult.) Tertia, quia communiter in collibus via est arcta et aspera. Sic vita religiosorum est stricta et aspera. Nam de ipsis dicitur: « Pinguescent, sc. in devotione speciosa deserti, et exultatione colles accingentur. » (Psal. 64.) Et ponuntur ibi predicte tres conditiones. In his etiam non apparet splendor solaris, sicut antiquitus, quando servabant castitatem angelicam, habebant cor castum, statim expellebant malas cogitationes, et os claudebant ab illis locutionibus, oculos, aures, et manus, et totum corpus. Sed modo pauci sunt, quin velint habere speciales sibi dilectas. et incipiunt a Credo in Deum, et finiunt in carnis resurrectionem, sed non intrabunt in vitam eternam. Melius esset illis habere generales quam speciales, quia plus timent homines quam Deum dicendo: Si non vivis caste, tamen caute. Antiquitus servabant illam paupertatem apostolicam, quia secum portabant omnia quando exibant de villa, sed modo habent pulchras cellas, etc., quia eos oportet habere plures claves quam si esset mercator. Antiquitus servabant obedientiam generalem ad omnia quantumcunque dura, aspera, et difficilia, et contra cor statim obediebant prelato. Hic nota obedientiam fratris minoris, qui nudus ivit ad predicandum ex precepto beati Francisci. Idem de sancto Mauro, qui ex obedientia intravit flumen, ut extraheret puerum qui submergebatur. Item in vitis patrum de illo qui dimisit literam o imperfectam, etc. Sed modo obedientia est parva. Quia si prelatus precipit aliquid contra cor, statim appellant, etc. De ceremoniis autem nihil servant, sed quilibet vult vivere ad libitum suum, ergo jam sol retraxit radios. Ideo de reli-

Digitized by Google

giosis dicebat Jeremias in spiritu prophetie dicens : « Ecce magis hi simul fregerunt jugum, id est, vota essentialia ; ruperunt vincula, sc. ceremoniarum. » (Hier. 5.)

Quinto videamus an sol illuminet montes. Montes alti sunt prelati ecclesie, et Domini temporales ratione duplici. Prima est, quia ut montes eminent in altitudine dominii et dignitatis. Secunda, quia in montibus vox resonat intantum, quod si homo clamat, videntur due voces. Sic precepta et ordinationes eorum resonant per mundum. Resonat de altis montibus echo, id est vocis reverberatio. (Sap. 17.) Ab istis montibus jam recessit sol justitie et charitatis. Antiquitus prelati coacti intrabant prelationem, cogitantes periculum : sed si modo sum in anxietate, qualem computum dabo de anima mea, quanto magis est reddere computum de tot animabus ? Sed modo laborant cum rege, etc., et cum simonia intrant. Antiquitus quando erant intus, computabant hoc modo : Nam valet episcopatus meus sex milia florenorum, et retinebant duo milia pro vita propria, et duo milia dabant in operibus ecclesie sive ecclesiarum, et duo milia in eleemosynis. Et modo omnia sex milia non sufficiunt, tot sunt pompe et vanitates, imo oportet invenire novos modos extorquendi pecunias, etc. Antiquitus prelati predicabant, ut Augustus, Ambrosius, Gregorius, etc., sed modo totum est vanitas et pompa, etc. Jam completum est verbum apostoli dicentis : « Omnes que sua sunt querunt, non que Jesu Christi. » (Phil. 2.) De Dominis autem temporalibus jam completa est prophetia Esa. : « Principes tui infideles. » (Esa. 1.) Nota principes tui infideles, ex favore inordinato quem dant infidelibus, sc. Judeis et Agarenis contra legem, quia debent esse separati, et sic de aliis. Secundo socii furum : omnes Judei sunt fures, quia usura furtum est, sed Judei fundant se in illa autoritate : « Non feneraberis fratri tuo ad usuram » (Deut. 24), hoc dicit Moyses, non ut daret licentiam, sed ut vitarent majus peccatum, quemadmodum dixit Loth de filiabus suis istis Sodomitis, ac si ego dicerem cuidam luxurioso : O ribalde ! quare peccas cum uxore alterius, vadas ad lupanar ! non quod dem sibi licentiam eundi. Quia ergo Domini recipiunt a Judeis, ideo dicuntur socii furum, omnes diligunt munera, etc. Non corrigunt peccata notaria, secus de occultis.

Fiat ergo ratio finalis, quando sol naturalis jam retraxit radios suos a torrentibus, a collibus, a convallibus, et a montibus, tunc dicitur : Factum est, dies transivit. Et jam ad oculum videtis quod sol justitie modo non illuminat vel splendet in torrentibus, nec convalilbus. Quid ergo dicetis ? nisi quod finis mundi erit cito, et bene cito, et breviter. Ideo bonum est confiteri, restituere, remittere injurias, etc. Ecce quare dicebat thema : Elizabeth impletum est tempus pariendi.

Digitized by Google

In Vigilia Apostolorum (Petri et Pauli)

(Canevas autographe)

Ascendebant in templum ad horam orationis.
(Act. 3.)

Nota tria templa Dei juxta illud Jer. 7 : « Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. »

Templum materiale ;

Templum rationale ;

Templum celestiale, de quo specialiter loquitur propositum verbum.

Primum est ad proponendum petitiones nostras. Quilibet rex habet in suo regno et terra sua certam domum deputatam ad audientiam causarum. Ps. 5 : « Ego autem... introibo in domum tuam », etc., usque : « propter inimicos meos ». — Sed numquid prevalet oratio in ecclesia quam alias ? — Prevalet tum propter loci sanctitatem, que in corde excitat devotionem ; tum propter angelorum orantium societatem, que adjuvat orationem ; tum etiam permaxime propter Christi sacramentaliter presentis gratam exauditionem : 1 Mach. 7 : « Tu elegisti domum istam, Domine. »

Secundum est ad conservandum spiritalem conversationem. Persona christiana ad modum materialis templi edificatur. Quasi enim fundamentum jacitur per matrimonialem conjunctionem. Structura componitur per corporis formationem. Tectum superponitur per anime formationem. Fenestre ordinantur per potentiarum distinctionem. Et tandem consecratur per baptismi collationem. 1 Cor. 3 : « Nescitis quia templum Dei estis. » — Nota quod dicitur : « Si quis templum Dei violaverit », etc. Violatur quidem hujusmodi templum Dei : quando fit cavea leonum per superbiam ; quando fit spelunca latronum per avaritiam ; quando fit stabulum porcorum per luxuriam ; quando fit caverna serpentum per venenatam iracundiam ; taberna ribaldorum per gulam ; statio canum per invidiam ; platea asinorum per accidiam.

Tertium est ad possidendum divinam fruitionem. — In primo et in secundo templo videmus Deum et ejus misteria per speculum et in enigmate, sed in tertio facie ad faciem ; et ideo resultat inestimabilis fruitio. Ps. 28 : « Revelabit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam » (1).

(1) Développé nulle part.

Digitized by Google

Die Apostolorum (Petri et Pauli)

(Canevas autographe)

Beatus es, Symon Barjona.
(Mat. 16.)

Beatus Petrus apostolus ex quatuor ostenditur commendabilis in verbis thematis propositi :

Ex prompta obedientia, quia *Symon,* id est obediens ;

Ex stricta penitentia, quia *Symon,* id est ponens tristitiam ;

Ex recta intentione, quia Barjona, id est filius simplicitatis ;

Ex dura passione, quia Barjona, id est filius columbe.

Primum patet Mat. 4, quando ad unicum verbum Christi dicentis : « Venite post me, faciam, etc., continuo relictis retibus secuti sunt eum. » — Moraliter nota de piscatione hominum, juxta illud Jer. 16 : « Ecce ego mittam piscatores multos », etc. — Item de promtitudine tanta obedientie, in reprehensione nostre duritie. Prov. 1 : « Vocavi et renuistis », etc.

Secundum patet in legenda, quia cibus ejus quotidianus erat panis cum olivis, et raro cum oleribus ; vestitus ejus tunica cum mantello ; vita ejus fletus amarus, et hoc propter trinam negationem. — Nota convenientiam penitentie, quia in cibo puniebatur os quod protulit verba negationis ; in vestitu affligebatur frigore corpus, quod calefaciens se pertimuit pro Christo mori ; in fletu adurebatur facies que non erubuit presentiam Salvatoris. Luc. 3 : « Facite dignos fructus penitentie. » Moraliter contra renegantes et blasphemantes Christum. Mat. 10 : « Qui negaverit me coram hominibus », etc.

Tertium etiam patet in legenda, quia propter honorem Christi promovendum et conservandum, de Jerusalem ivit Antiochiam ad extirpandum Symonum Magum, et postea de Antiochia Romam, ubi tandem ipsum orando interfecit. Ex. 22 : « Maleficos non permittes vivere. » — Moraliter contra divinos et incantatores. Lev. 20 : « Vir sive mulier in quibus pythonicus », etc.

Quartum similiter patet in legenda, quia ad modum pulli columbe (cujus holocaustum erat suavissimi odoris Domino) (Lev. 1), fuit dure passionatus in morte, juxta quod Christus predixerat. Joan. 21 : « Amen, amen dico tibi, cum esses junior », etc. — Moraliter de signatione aliquorum ad instar crucis Petri et non Christi. Ideo dicit Christus cuilibet Christiano : « Sub arbore malo suscitavi te : pone me ut signaculum super cor tuum. » (Cant. ult.)

Digitized by Google

De beato Petro

(Manuscrit de Valence)

Beatus es, Symon Barjona.
(Habetur verbum istud originaliter Mat. 16 ; et recitatum est statim in Evangelio.)

Istud festum et solemnitas presens est intitulata de beato Petro et Paulo, ideo quia una die fuerunt mortui ; sed sancta mater Ecclesia solum facit hodie officium de beato Petro, et cras de beato Paulo ; et sic similiter ego hodie predicabo solum de beato Petro, et cras de beato Paulo, sequendo ordinationem Ecclesie. Sed ante omnia, ut verba sancta sint ad laudem, et honorem, et gloriam Dei, dicamus : *Ave Maria.*

Pro danda declaratione isti verbo proposito et materie quam teneor predicare, ego teneor declarare duas doctrinas : prima de nomine beati Petri, secunda de nomine patris ejus.

Ad primam doctrinam de nomine beati Petri : nam ante vocabatur Symon, et Christus, cum creavit eum in *prefetum,* vocavit eum Petrum ; et ita mutavit ei nomen, ideo quia novam dignitatem assecutus fuit, et factus novus homo. Et ideo noster papa Benedictus antea vocabatur *Pedro de Luna,* sed modo Benedictus, quia novus homo. Et ideo habetur Mat. 16 : « Ego dico tibi quia tu es Petrus... celorum. »

Ad secundam doctrinam de nomine patris ejus : nam vocabatur Johannes, et ideo cum loqueretur Christus beato Petro, dixit sibi verbum quod habetur Joan. 21 : « Symon Johannis, sc. fili, amas me ? » Et ita pater ejus vocabatur Johannes. Et sicut vos aliquando appellatis per nomina diminutiva, sc. *Petrito,* ita Christus nominavit patrem ejus, ut Joan. 1 : « Tu es Symon, filius Johanna. » Et ideo dicit thema : « Beatus es, Symon », *Bar,* id est filius, *Jhone*, id est Johanna. — Et ideo modo sum in materia quam volo vobis predicare. Et ideo thema loquendo de beato Petro dicit : « Beatus es ». — Et invenio quod per quatuor conditiones virtuosas dicitur beatus :

Primo *por prompta obediencia ;*
Secundo *por estrecha penitentia ;*
Tertio *por derecha intension ;*
Quarto *por dura pasion.*

Et sic ecce hic quatuor operas virtuosas per quas beatus Petrus est et dicitur beatus in gloria. Et omnes iste virtutes subtiliter tanguntur in thema, ut tanquam in qualibet parte. Et ideo videamus de singulis.

Ad primum, quod beatus Petrus est beatus in gloria propter promptam obedientiam ; et ista tangitur in thema cum dicit Symon, Act. 5 :

Digitized by Google

« Obedire oportet Deo magis quam hominibus. » Et ecce quomodo fuit prompte obediens. Nam cum beatus Petrus et suus frater beatus Andreas essent piscatores, et starent piscando prope littus maris, Christus solus, nam eciam nondum habebat aliquem discipulum, ut dicit beatus Mattheus, transiebat : « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. » Et incontinenti secuti sunt eum relictis retibus. Et cum dixit Christus : faciam vos piscatores hominum, sc. per predicationem, nam sicut per rete piscantur pisces, et *tirando* unum filum tota *plegatur,* ita per predicationem piscantur homines, et predicatio plegatur per unum filum, id est thema, si bene predicatio est ordinata. Et cum aliquis per predicationem convertitur dimittendo peccatum, si est magnus homo, potest dici quod *un dalfin* receptum est ; si autem mulier est conversa, potest dici quod *tonyina* est recepta ; si autem pauperes et minores, potest dici quod *sardineta.* Et Christus de talibus piscibus petit, nam multum sapiunt sibi, ut Joan 21 : « Afferte nunc de piscibus quod recepistis. » — Sed hodie predicatores non piscant pisces sed *alga.* Gen. 14 : « Da mihi animas. » Et ideo beatus Petrus per doctrinam evangelicam *pescavit,* non petendo argentum et aurum, quia « argentum et aurum non habeo ». (Act. 2.) Jer. 16 : « Ecce dies veniunt... eos. » II Cor. 12 : « Non enim quero que vestra sunt sed vos. » — Et ideo benedicti erunt predicatores qui secure possunt dicere hoc verbum Mat. 4 : « Venite post me... et illi continuo. » Prov. ult : « Facta est navis institoris de longe portans », etc. — Greg.: « Nulla tunc viderant miracula. » Et sic licet non vidissent adhuc miraculum...

Ad secundum quod beatus Petrus dicitur beatus propter asperam penitentiam. II Cor. 7 : « Tristitia que secundum Deum est penitentiam operatur. » Et istam asperam penitentiam fecit beatus Petrus per XXXVII vel XXXVIII annis quibus vixit post passionem Christi, et primum peccatum quod fecit cum renegavit Christum ter ; et comedebat ut habetur : Meus cibus, etc., oleribus. Et istam abstinentiam in comestionibus observabat, licet papa, propter peccatum, quia renegavit Christum per os suum, et ideo os puniebatur. Et similiter non vestiebatur nisi unum mantellum, ut : indumentum meum tunica cum mantello. Et hanc abstinentiam sustinebat ideo quia cum renegavit Christum calefaciebat se ; et sic volebat pati frigiditatem, etc. Item aliam abstinentiam et penitentiam fecit, nam semper cum audiebat gallum canentem flebat, et habebat faciem combustam propter frequentiam lacrymarum. Et ideo faciebat hanc penitentiam quia sicut facies ejus non habuit verecundiam renegare Christum gallo canente, ita, ipso canente, affligebat faciem de lachrymis. Et sic modo ex hoc habemus doctrinam quod si beatus Petrus fecit tantam penitentiam, quia ter renegavit Christum propter timorem ne occideretur, quanto magis debetis facere penitentiam, vos

Digitized by Google

In Vigilia Apostolorum (Petri et Pauli)

(Canevas autographe)

Ascendebant in templum ad horam orationis.
(Act. 3.)

Nota tria templa Dei juxta illud Jer. 7 : « Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. »

Templum materiale ;

Templum rationale ;

Templum celestiale, de quo specialiter loquitur propositum verbum.

Primum est ad proponendum petitiones nostras. Quilibet rex habet in suo regno et terra sua certam domum deputatam ad audientiam causarum. Ps. 5 : « Ego autem... introibo in domum tuam », etc., usque : « propter inimicos meos ». — Sed numquid prevalet oratio in ecclesia quam alias ? — Prevalet tum propter loci sanctitatem, que in corde excitat devotionem ; tum propter angelorum orantium societatem, que adjuvat orationem ; tum etiam permaxime propter Christi sacramentaliter presentis gratam exauditionem : 1 Mach. 7 : « Tu elegisti domum istam, Domine. »

Secundum est ad conservandum spiritalem conversationem. Persona christiana ad modum materialis templi edificatur. Quasi enim fundamentum jacitur per matrimonialem conjunctionem. Structura componitur per corporis formationem. Tectum superponitur per anime formationem. Fenestre ordinantur per potentiarum distinctionem. Et tandem consecratur per baptismi collationem. 1 Cor. 3 : « Nescitis quia templum Dei estis. » — Nota quod dicitur : « Si quis templum Dei violaverit », etc. Violatur quidem hujusmodi templum Dei : quando fit cavea leonum per superbiam ; quando fit spelunca latronum per avaritiam ; quando fit stabulum porcorum per luxuriam ; quando fit caverna serpentum per venenatam iracundiam ; taberna ribaldorum per gulam ; statio canum per invidiam ; platea asinorum per accidiam.

Tertium est ad possidendum divinam fruitionem. — In primo et in secundo templo videmus Deum et ejus misteria per speculum et in enigmate, sed in tertio facie ad faciem ; et ideo resultat inestimabilis fruitio. Ps. 28 : « Revelabit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam » (1).

(1) Développé nulle part.

Digitized by Google

Die Apostolorum (Petri et Pauli)

(Canevas autographe)

Beatus es, Symon Barjona.
(Mat. 16.)

Beatus Petrus apostolus ex quatuor ostenditur commendabilis in verbis thematis propositi :

Ex prompta obedientia, quia *Symon,* id est obediens ;

Ex stricta penitentia, quia *Symon,* id est ponens tristitiam ;

Ex recta intentione, quia Barjona, id est filius simplicitatis ;

Ex dura passione, quia Barjona, id est filius columbe.

Primum patet Mat. 4, quando ad unicum verbum Christi dicentis : « Venite post me, faciam, etc., continuo relictis retibus secuti sunt eum. » — Moraliter nota de piscatione hominum, juxta illud Jer. 16 : « Ecce ego mittam piscatores multos », etc. — Item de promtitudine tanta obedientie, in reprehensione nostre duritie. Prov. 1 : « Vocavi et renuistis », etc.

Secundum patet in legenda, quia cibus ejus quotidianus erat panis cum olivis, et raro cum oleribus ; vestitus ejus tunica cum mantello ; vita ejus fletus amarus, et hoc propter trinam negationem. — Nota convenientiam penitentie, quia in cibo puniebatur os quod protulit verba negationis ; in vestitu affligebatur frigore corpus, quod calefaciens se pertimuit pro Christo mori ; in fletu adurebatur facies que non erubuit presentiam Salvatoris. Luc. 3 : « Facite dignos fructus penitentie. » Moraliter contra renegantes et blasphemantes Christum. Mat. 10 : « Qui negaverit me coram hominibus », etc.

Tertium etiam patet in legenda, quia propter honorem Christi promovendum et conservandum, de Jerusalem ivit Antiochiam ad extirpandum Symonum Magum, et postea de Antiochia Romam, ubi tandem ipsum orando interfecit. Ex. 22 : « Maleficos non permittes vivere. » — Moraliter contra divinos et incantatores. Lev. 20 : « Vir sive mulier in quibus pythonicus », etc.

Quartum similiter patet in legenda, quia ad modum pulli columbe (cujus holocaustum erat suavissimi odoris Domino) (Lev. 1), fuit dure passionatus in morte, juxta quod Christus predixerat. Joan. 21 : « Amen, amen dico tibi, cum esses junior », etc. — Moraliter de signatione aliquorum ad instar crucis Petri et non Christi. Ideo dicit Christus cuilibet Christiano : « Sub arbore malo suscitavi te : pone me ut signaculum super cor tuum. » (Cant. ult.)

Digitized by Google

De beato Petro

(Manuscrit de Valence)

Beatus es, Symon Barjona.
(Habetur verbum istud originaliter Mat. 16 ; et recitatum est statim in Evangelio.)

Istud festum et solemnitas presens est intitulata de beato Petro et Paulo, ideo quia una die fuerunt mortui ; sed sancta mater Ecclesia solum facit hodie officium de beato Petro, et cras de beato Paulo ; et sic similiter ego hodie predicabo solum de beato Petro, et cras de beato Paulo, sequendo ordinationem Ecclesie. Sed ante omnia, ut verba sancta sint ad laudem, et honorem, et gloriam Dei, dicamus : *Ave Maria.*

Pro danda declaratione isti verbo proposito et materie quam teneor predicare, ego teneor declarare duas doctrinas : prima de nomine beati Petri, secunda de nomine patris ejus.

Ad primam doctrinam de nomine beati Petri : nam ante vocabatur Symon, et Christus, cum creavit eum in *prefetum,* vocavit eum Petrum ; et ita mutavit ei nomen, ideo quia novam dignitatem assecutus fuit, et factus novus homo. Et ideo noster papa Benedictus antea vocabatur *Pedro de Luna,* sed modo Benedictus, quia novus homo. Et ideo habetur Mat. 16 : « Ego dico tibi quia tu es Petrus... celorum. »

Ad secundam doctrinam de nomine patris ejus : nam vocabatur Johannes, et ideo cum loqueretur Christus beato Petro, dixit sibi verbum quod habetur Joan. 21 : « Symon Johannis, sc. fili, amas me ? » Et ita pater ejus vocabatur Johannes. Et sicut vos aliquando appellatis per nomina diminutiva, sc. *Petrito,* ita Christus nominavit patrem ejus, ut Joan. 1 : « Tu es Symon, filius Johanna. » Et ideo dicit thema : « Beatus es, Symon », *Bar,* id est filius, *Jhone,* id est Johanna. — Et ideo modo sum in materia quam volo vobis predicare. Et ideo thema loquendo de beato Petro dicit : « Beatus es ». — Et invenio quod per quatuor conditiones virtuosas dicitur beatus :

Primo *por prompta obediencia ;*
Secundo *por estrecha penitentia ;*
Tertio *por derecha intension ;*
Quarto *por dura pasion.*

Et sic ecce hic quatuor operas virtuosas per quas beatus Petrus est et dicitur beatus in gloria. Et omnes iste virtutes subtiliter tanguntur in thema, ut tanquam in qualibet parte. Et ideo videamus de singulis.

Ad primum, quod beatus Petrus est beatus in gloria propter promptam obedientiam ; et ista tangitur in thema cum dicit Symon, Act. 5 :

Digitized by Google

« Obedire oportet Deo magis quam hominibus. » Et ecce quomodo fuit prompte obediens. Nam cum beatus Petrus et suus frater beatus Andreas essent piscatores, et starent piscando prope littus maris, Christus solus, nam eciam nondum habebat aliquem discipulum, ut dicit beatus Mattheus, transiebat : « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. » Et incontinenti secuti sunt eum relictis retibus. Et cum dixit Christus : faciam vos piscatores hominum, sc. per predicationem, nam sicut per rete piscantur pisces, et *tirando* unum filum tota *plegatur,* ita per predicationem piscantur homines, et predicatio plegatur per unum filum, id est thema, si bene predicatio est ordinata. Et cum aliquis per predicationem convertitur dimittendo peccatum, si est magnus homo, potest dici quod *un dalfin* receptum est ; si autem mulier est conversa, potest dici quod *tonyina* est recepta ; si autem pauperes et minores, potest dici quod *sardineta.* Et Christus de talibus piscibus petit, nam multum sapiunt sibi, ut Joan 21 : « Afferte nunc de piscibus quod recepistis. » — Sed hodie predicatores non piscant pisces sed *alga.* Gen. 14 : « Da mihi animas. » Et ideo beatus Petrus per doctrinam evangelicam *pescavit,* non petendo argentum et aurum, quia « argentum et aurum non habeo ». (Act. 2.) Jer. 16 : « Ecce dies veniunt... eos. » II Cor. 12 : « Non enim quero que vestra sunt sed vos. » — Et ideo benedicti erunt predicatores qui secure possunt dicere hoc verbum Mat. 4 : « Venite post me... et illi continuo. » Prov. ult : « Facta est navis institoris de longe portans », etc. — Greg.: « Nulla tunc viderant miracula. » Et sic licet non vidissent adhuc miraculum...

Ad secundum quod beatus Petrus dicitur beatus propter asperam penitentiam. II Cor. 7 : « Tristitia que secundum Deum est penitentiam operatur. » Et istam asperam penitentiam fecit beatus Petrus per XXXVII vel XXXVIII annis quibus vixit post passionem Christi, et primum peccatum quod fecit cum renegavit Christum ter ; et comedebat ut habetur : Meus cibus, etc., oleribus. Et istam abstinentiam in comestionibus observabat, licet papa, propter peccatum, quia renegavit Christum per os suum, et ideo os puniebatur. Et similiter non vestiebatur nisi unum mantellum, ut : indumentum meum tunica cum mantello. Et hanc abstinentiam sustinebat ideo quia cum renegavit Christum calefaciebat se ; et sic volebat pati frigiditatem, etc. Item aliam abstinentiam et penitentiam fecit, nam semper cum audiebat gallum canentem flebat, et habebat faciem combustam propter frequentiam lacrymarum. Et ideo faciebat hanc penitentiam quia sicut facies ejus non habuit verecundiam renegare Christum gallo canente, ita, ipso canente, affligebat faciem de lachrymis. Et sic modo ex hoc habemus doctrinam quod si beatus Petrus fecit tantam penitentiam, quia ter renegavit Christum propter timorem ne occideretur, quanto magis debetis facere penitentiam, vos

Digitized by Google

qui non semel et ter, sed millecies et per maliciam renegatis et blasphematis Deum et beatam Mariam, et sanctos et sanctas. Et non dubitetis vos disciplinare et cilicium portare. Mat. 10 : « Omnis qui me negaverit... coram Patre meo. »

Ad tertium quod beatus Petrus dicitur beatus propter *derecha intension :* nam omnia que faciebat cum recta intentione faciebat, sc. propter honorem Dei et salvationem animarum. Et ista demonstratur in thema cum dicit : Barjona, id est filius simplicitatis, nam non diligebat duplicitatem, Par. ult.: « Scio, Deus meus... diligas. » Et ideo, quia beatus Petrus honorabat Deum, ipse honorificabat eum et dabat illi honorem, ad hoc ut habetur 1 Reg. 2 : « Quicumque honori... eum. » — Et honorificavit eum magis quam alios apostolos, nam ipsi non poterant facere miracula nisi duobus formis : primo per oracionem ; secundo per tactum, per id quod habetur Marc. ult.: « Super egros manus imponent », etc. Sed beatus Petrus non solum istis modis, sed etiam plus, nam per umbram suam curabantur infirmi et contracti, ut habetur Act. 5 : « In quocumque vico... suis. » Item fecit miraculum contra Symonem divinum [*devin*] qui erat in Antiochia, nam de Jerusalem accessit illuc ut predicaret contra eum, et ejecit eum de dicta Antiochia. Et cum dictus divinus accessisset Romam, et per suas conjurationes faceret damnare multas animas, beatus Petrus accessit illuc, et pena (afflixit eum) contra divinos antiquitus, ut habetur Lev. 20 : « Vir, sive mulier, in quibus, etc., morte moriantur. »

Ad quartum quod beatus Petrus dicitur beatus propter duram passionem. Et hec demonstratur in thema cum dicit : Barjona, id est filius columbe, secundum aliam interpretationem ; nam sic fuit beatus Petrus passionatus sicut columba per sacrificium in altari, ut habetur Lev. 1, primo quia plumatur. Et ecce quomodo beatus Petrus fuit passionatus, nam cum ipse predicaret contra peccatum luxurie, tres amice cujusdam prefeti nominati Agrippe, insimul audierunt illum, et fuerunt converse, in tantum quod non accesserunt ad domum prefeti Agrippe. Et cum ipse sensisset quod per predicationem beati Petri fuerunt converse, fecit eum ponere in carcerem. — Ad preces devotarum personarum exierat ; et cum fugeret de carcere, et etiam jam exiret de Roma, apparuit ei Christus portans crucem in humeribus [*sic*], sicut die Veneris stabat. Et beatus Petrus videns adoravit eum dicendo : « Domine, quo vadis ? » Et respondit : « Venio Romam iterum crucifigi. » Et beatus Petrus intellexit quod volebat ut reverteretur ad carcerem, et reversus fuit. Joan. ult.: « Cum esses junior, ambulabas, etc., eum. »

Et modo moraliter, *bona gent,* vos videtis quod differentia est inter crucem beati Petri et Christi, nam beatus Petrus fuit crucifixus capite infra, et Christus capite supra. Et crux beati Petri non salvat aliquem ;

Digitized by Google

sed Christi. Et ideo ego volo vobis docere quomodo debetis vos signare, nam multi errant in signando, sc. per multas *manerias :* quorum (alii) faciendo crucem beati Petri, et quorum ponendo Filium ad dexteram partem, et Spiritum Sanctum ad sinistram, etc. Et ideo signetis vos sic : « In nomine Patris », altius sicut super capite ; « et Filii », super ventrem ; « et Spiritus Sancti », de humero sinistrum ad humerum dextrum ; « Amen », osculando in cruce junctis manibus, ad hoc ut habetur Cant. 8 : « Sub arbore malo... ut signaculum super brachium tuum. » (1).

(Recueil imprimé)

Et resumatur thema. — Verbum propositum pro themate et fundamento nostri sermonis requirit aliqualem literalem declarationem. Pro quo sciendum quod Petrus antequam esset Christi discipulus, apostolus, et papa universalis, vocabatur Symon, sed postquam fuit discipulus Christi, et apostolus, Christus constituit eum papam et vicarium suum universalem, et imposuit sibi nomen Petrus. Sicut fit etiam modo quando papa elegitur, mutatur sibi nomen, et quasi mutatur in alterum virum, et novam creaturam, ita facit Christus Mar. 3 : « Et imposuit Symoni nomen Petrus. » Pater vero beati Petri vocabatur Joannes, et aliquoties grosso modo vocabatur Joanna, et aliquoties diminutive Joannet. aliquoties ut communiter dicitur Joan. Sicut nos communiter facimus in nostro vulgari de aliquo proprio nomine, ita Judei vocabant patrem Petri. Et ita etiam Christus ipsum nominavit. Aliquoties ut communiter dicitur Joannes, ut ibi : « Symon Joannis, id est filius Joannis diligis me. » (Jo. ult.) Aliquoties grosso modo, ut ibi : « Tu es Symon, filius Joanna. » (Joan. 1.) Aliquoties diminutive, ut ibi : « Beatus es Symon bar Jona », id est filius Joanna, id est Joannet. Patet thema secundum expositionem literalem, et sum in materia predicanda in themate.

Petrus vocatur binomius, et ponuntur ibi duo nomina, sc. Symon et bar Jona, et quodlibet nomen habet duas interpretationes, in quibus ostenduntur quatuor virtutes in Petro propter quas est beatus in celo, sc.:

Prompta obedientia ;
Aspera penitentia ;
Recta intentio ;
Et dura passio.

Quantum ad primam virtutem, per quam beatus Petrus est beatus : dicitur prompta obedientia, que notatur hic cum dicitur Symon, quod

(1) Les Espagnols, après s'être signés, baisent encore leur pouce placé sur l'index en forme de croix.

Digitized by Google

interpretatur obediens. Quando enim persona audit et obedit verbis et mandatis Dei, et sine aliqua excusatione implet voluntatem Dei, ut servus fidelis voluntatem Domini sui, obediens est, et meretur salariari, id est solvi in fine servitii. Sic qui in hoc mundo servit prompte, et obedit verbis et mandatis Dei, quando finierit servitium, sc. in morte, juste habebit retributionem et beatitudinem pro salario. Ideo Luc. 11 : « Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. » Hanc obedientiam habuit Petrus, ut patet Mat. 4 : « Ambulans Jesus juxta mare... piscatores hominum. At illi... secuti sunt eum. »

Ad practicam : Beatus Petrus antequam esset discipulus Christi erat piscator pauper, intantum quod ipse et frater suus beatus Andreas habebant solum unam barcham, et unum rete, et vivebant sic de suis laboribus. Sic piscando quadam die, ipso existente in stagno, sc. in mari Galilee, juxta littus dicti maris seu stagni, tunc ipse Christus vidit Petrum et Andream, quibus dixit : O boni homines, et quid ibi facitis ? Responderunt : Domine, volumus pisces capere. Sciens Christus quod alibi plus proficerent quam ibi, dixit eis : « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum ». Ego enim docebo vos piscari reges, principes, duces, comites, et multarum gentium generationes. In his verbis : Venite post me, etc., sunt duo. Primo datur intelligi quod ecclesia Christiana est sicut navis trium cooperturarum. Prima coopertura bassa sive inferior est religiosorum se humiliantium. Et sicut coopertura inferior est secreta, sic religiosus debet esse secretus in claustro, et in cella, non ire per vias vel per plateas tractando negotia secularia. Secunda coopertura signat statum presbyterorum, qui debent ministrare sacramenta ecclesie : communiter in media coopertura stant bone merces et magni valoris. Sic in manu presbyterorum et posse eorum stant merces paradisi, id est sacramenta, propter que habemus vitam eternam. Tertia coopertura est status laicorum, qui vadunt hincinde per mundi sicut mercatores, et illi de navi qui vadunt per cooperturam exercendo laborem navis. De ista dicebat Salomon : « Facta est quasi navis institoris, id est mercatoris, de longe portans panem suum, id est mercantiam, hoc est animam bonam. » (Prov. 3.)

Secundum secretum est cum dicit : « Faciam vos fieri piscatores hominum », qui sunt predicatores. Predicatio est ut rete, quia sicut rete est totum colligatum, et una chorda trahitur, sic predicatio evangelica est de diversis chordis, sc. autoritatibus, rationibus, et parabolis, et omnia sunt colligenda, si predicatio sit bene ordinata, et trahuntur una chorda, sc. themate, quod est fundamentum sermonis : Predicatores istos mittit Deus. Hier. 16 : « Propterea ecce dies venient, et mittet eis piscatores. » Multos piscatores misit, quia apostolos, martyres, confessores, et nos, quibus dicitur : « Laxate retia vestra in capturam. » Non

Digitized by Google

dicit : plicate, contra illos qui habent magnam scientiam, et tenent plicatam, et nolunt se disponere ad predicandum. ad capiendum pisces. Ecce quare dicit : Venite post me, etc., ac si diceret : Dimittite illam barcham parvam, cum qua modo capitis pisces, et ponam vos in magna navi ecclesie trium cooperturarum.

Dimittite retia illa, et habebitis doctrinam evangelicam Dimittite illud mare, et faciam vos piscatores hominum, regum, militum, et aliorum. Hec omnia intellexit Petrus virtute divina, quando Christus ore suo dixit : Venite post me, etc. Cognovit ipsum verum Messiam, etc. Ut ergo beatus Petrus haberet loco retis doctrinam evangelicam, et posset in navi ecclesie per mundum piscari homines, prompte obedivit. Nam dicit evangelium : « Relictis retibus et navi, secuti sunt eum » incontinenti Petrus et Andreas. Beatus ergo Petrus flexis genibus dixit coram Christo in corde suo : Nolo rete. nec navem, ex quo vos posuistis in corde meo affectionem piscandi in mari hujus mundi cum navi ecclesie, et doctrina evangelica incorruptibili, etc.; et subito ivit cum Christo. Ecce prompta obedientia Petri. Dicatur hic contra defectum hujus mundi. Nam omnes vocamur a Christo, sc. Christiani, Judei, Agareni, et nos nolumus ire. Vocat enim nos illuminando corda nostra, dans cognitionem de peccatis, et statim debemus ipsum sequi. Sed accidit nobis ut Samueli, qui vocabatur a Deo, et ipse ibat ad Hely. Nota historiam 1 Reg. 3. Non sic fecit Job, qui dicit : « Vocabis me, et ego respondebo tibi », non Hely. (Job. 14.) Contra tales dicit Christus : « Vocavi, et renuistis, extendi manus meas, et non fuit qui aspiceret. » (Prov. 1.)

Moraliter cum dicit : Faciam vos fieri piscatores hominum. Notent hic religiosi, et alii qui habent predicandi officium, quia omnes sunt piscatores : rete est predicatio evangelica. Ergo modo extendo rete, et cum aliquis audiens predicationem proponit dimittere peccata, et vitia, et habet redeundi propositum ad Deum, tunc predicator potest dicere : Unum piscem cepi. Quando nobilis vel miles propter predicationem dimittit pompam, odium, vel rancorem inimico suo : cepimus unum delphinum. O tales pisces et piscatores quantum placent Deo ! Idem de nobili domina dimissis vanitatibus, ornamentis, et hujusmodi, et confitetur, et proponit bene vivere, tunc potest dici quod cepimus unam toninam. Quando autem in predicatione convertitur agricola aut simplex homo, capitur fundulus. Idem de muliere paupere, capitur una sardina. Et in die judicii dicet Christus predicatoribus : Venite nunc et prandete. Et quando ipsi dicent : De quo domine ? Tunc ipse respondebit : « Afferte de piscibus quos prendidistis ». (Joan. 21.) O quid erit de isto predicatore qui dicet : Domine, ego non sum piscatus nisi alguam et brosam, sc. pecunias, raupas, comeras, familiaritates, et famam. Ideo amore dei laboremus ut capiamus animas. Nam in judicio quilibet venit

Digitized by Google

cum animabus quas convertit dicendo : Ecce duos pisces quos ego prendidi. O quot pisces, quot animas ducit beatus Petrus secum, qui in prima predicatione convertit tria milia animarum et hominum. (Act. 2 et 4.)

Quantum ad secundam virtutem per quam beatus est in paradiso, est aspera penitentia, quod ostenditur cum dicitur : Symon, quod secundo modo interpretatur ponens tristitiam, sc. penitentie, de qua apostolus dicit : « Que secundum Deum tristitia est, penitentiam in salutem stabilem operatur. » (2 Cor. 7.) Nota : que secundum Deum, id est, quando displicet homini de offensis factis Deo, talis beatitudinem meretur, quia veram penitentiam facit, unde Mat. 5 : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur », sc. in beatitudine celesti. Modo attendatis ad penitentiam beati Petri. In quibus enim fecit penitentiam ? in comedendo, in potando, in vestiendo.— In comedendo. Sciatis quod semel fuit interrogatus quam vitam ducebat, respondit : Cibus quotidianus est panis cum olivis, et raro cum oleribus, quia solum in magnis festivitatibus. Ecce vita sua, licet esset papa. Sed queritur : Unde ergo exiverunt tot capones, galline, fasiani, salse de diversis maneriis, que jam sunt in mensa prelatorum ? Dicatur truffative, quod ille olive beati Petri erant gravide, pepererunt capones, et alia predicta. — Item fuit interrogatus de vestitu, et respondit : Vestimenta mea tunica quam vides cum mantello tam in hyeme quam in estate. Ecce prima vestis primi vicarii Christi. Sed queratur : Unde ergo exiverunt tot sumptuose vestes, etc., quas portat prelatus, tot foderature ? Dicatur quod mantellus Petri peperit eas, etc. — Item vita sua fuit talis quod de oculis fecit fontem lachrymarum, recordans de renegatione, propter quod quamdiu vixit lachrymatus est, et vixit post Christi ascensionem, XXXVII annis, ut in libris de viris illustribus dicit sanctus Hieronymus, quod tantum flebat quod habebat faciem quasi adustam ex caliditate lachrymarum. Nota penitentiam de renegatione. Ipse peccavit per os Christum renegando, ideo fecit penitentiam per os, non comedens nisi panem et olivas quasi dicat : quia peccasti, ideo jejunabis. Secundo renegavit Christum, calefaciendo corpus suum, ut dicit Joannes, ideo fecit penitentiam in corpore, solum portans tunicam cum mantello. Tertio sicut facies sua non fuit verecundata Christum negare, ideo flevit. Isti sunt fructus digne penitentie. Luc. 3 : « Facite fructus digne penitentie », ut per que quis peccat, per hec et penitentiam agat, etc.

Moraliter hic : beatus Petrus pro trina Christi abnegatione, quia ex timore mortis abnegavit Christum, et tamen fecit XXXVII annos omnes de penitentia, quid erit de illis renegatoribus, qui non solum ter, sed millies in die renegant pro una minima re, vel parva occasione, jurando magna juramenta, blasphemando Christum. O maledicte renegator, quid erit de anima tua ? Si beatus Petrus pro trina negatione tantum

Digitized by Google

fecit, etc., quid deberes tu facere, qui non timore mortis, sed mala consuetudine juras? Item beatus Petrus solum dixit : Non cognosco eum. Cogita quid erit de anima tua. — Amore Dei adhibeantur modi, quod ista detestabilia juramenta cessent. Ego dabo vobis tria remedia. Primum quod vos mulieres que habetis filios parvos, instruatis ne jurent nisi per adverbia. Secundus modus quod quilibet jurator poneret sibi istam legem, sc. solvere certum quid pro quolibet juramento, et dare pauperibus in die dominica, et sic corrigeretur. Tertius modus corrigendi pertinet ad rectores patrie, qui per statutum debent ordinare quod qui jurant de Deo, puniantur tali modo, etc., et nulli parcere in his que tangunt Christi honorem. Sed quia rectores non corrigunt, conqueritur Deus dicendo : « Dominatores populi inique agunt, etc... sc. non puniendo. » (Esa. 52.) Ecce de secunda virtute, in hoc quod dicitur Symon, id est, ponens tristitiam.

Quantum ad tertiam virtutem, per quam beatus Petrus dicitur beatus, est recta intentio, sc. in omnibus que faciebat predicando, celebrando, et alia opera virtuosa exercendo, semper respiciebat honorem Dei, quod notatur in hoc quod dicitur bar Jona, quod interpretatur filius simplicitatis, non dicit duplicitatis. Quando enim aliquis aspicit in mundum, et ad honores, et non ad Deum, est duplicitas. Accidit talibus ut gallo, qui uno oculo respicit celum, et cum alio granum. Beatus autem Petrus in omnibus habebat rectam intentionem ad Deum. Unde in primo : « Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Ecce simplicitas. Et isti merentur beatitudinem. Unde Mat. 5 : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt », hic per contemplationem, et in alio seculo per eternam possessionem. Bene habuit istam virtutem beatus Petrus, quia licet esset papa, et vicarius Christi, et haberet tantam sanctitatem quod sanaret omnes infirmos, etiam umbra sua tangente infirmos, curabantur. Dicatur quomodo quando sciebant ipsum transiturum per aliquem vicum, ponebant infirmos, ut umbra tangeret eos, et sanarentur. (Act. 5.) Sed cum toto hoc tantam habebant simplicitatem, quod nullam habebat hypocrisim, seu vanam gloriam, aut presumptionem. Ibat simpliciter ; rexit et correxit se, patet quod erat filius simplicitatis. Et poterat dicere : « Scio, Deus meus quod tu... obtuli universa hec. » (1 Paral. ult.) Tu probas corda creature, si servit bene et recta intentione, et si est simplex, diliges eum, et ideo in simplicitate cordis mei dilexi te, et servivi tibi vero corde.

Moraliter hic est sciendum quod primum quod respicit Deus in operibus nostris est intentio. Nam si unus faceret omnia bona mundi de genere bonorum, et non fieret recta intentione, nihil valerent meritorie. V. gr.: magnum opus meritorium est religionem intrare, intantum quod dicit beatus Thomas quod rationabiliter potest dici quod aliquis conse-

Digitized by Google

quitur remissionem peccatorum omnium per ingressum religionis, qui utilior est quam peregrinatio terre sancte, quantum ad promotionem in bonum, que preponderat absolutioni a pena. Sed istud opus pervertitur, quando intentio est perversa et temporalis, ut puta quia speratis quod filius vester erit abbas, vel magister in theologia, aut episcopus, et ideo inducitis eum ad religionem, et nisi hoc speraretis, ipse nunquam religionem ingrederetur, quia talis intentio non est ad Deum, sed ad mundum, et perditur meritum; vel si intrat ut vivat in requie, non servando religionem, ista intentio est perversa. Nam melius esset religioso quod esset latro, quam religiosus non servando que debet. Item predicare verbum Dei est magnum meritum, quia est magnum opus si intentio sit recta, sed quando aliquis predicat propter vanam gloriam seu famam, vel propter pecunias, habens intentionem ad mundana, totum perditur et damnatur. — Querit batus Thomas an per penitentiam potest quis recuperare laureolam que digne predicanti promissa est si per vanam gloriam eam perdiderit? Et dicit quod non, quia non fuit lucratus ipsam, juxta sententiam Domini : « Amen dico vobis receperunt mercedem suam. » (Mat. 6.) Potest tamen acquirere gratiam Dei si emendatur, vel per bonam predicationem aliam de novo potest lucrari laureolam, sed perdita nullatenus potest recuperari. Item in bello justo illi qui vadunt magnum opus faciunt si habent rectam intentionem. Beati sunt qui moriuntur propter justitiam vel defensionem reipublice; inter martyres sunt gloriosi, licet ecclesia non faciat festum. Sed si faciunt propter vanitatem, ut multi dicentes : Amore Domini mei, etc. O fatue, in tali casu oportet preponere amorem et respectum divinum, et veram justitiam dicendo : Faciamus hoc amore et zelo justitie. Ideo vel cenabimus in tabernaculis inimicorum nostrorum per victoriam quam habebimus, vel cum Deo in paradiso, ex quo defendimus justitiam; sed quando habes intentionem fatuam, totum opus bonum perdis. Similiter remittere injurias, parcere inimicis, magnum opus est si fiat pro Deo et amore Christi, sed quando fit non ob Dei reverentiam seu amorem, sed intercessionem personarum, totum meritum perditur. Dicatur practice : si papa vel rex rogaret te quod remitteres, forsitan remitteres, et tamen pro Christo non remittis. Dicatur quomodo in judicio Christus ostendens vulnera dicet : Ecce quid feci ego pro te, videamus quid fecisti tu pro me. Si remisisti amore sui, dabit tibi paradisum, si vero remisisti amore pape, vel regis, vel aliorum, dicet tihi : Vadas ad illos ergo ut dent tibi paradisum, qui habebunt satisfacere de ipsis. Si remittis pura intentione pro honore Christi, tunc Christus accipiet te per manum dicens : « Euge serve bone et fidelis. » (Mat. 25.) Avisemini ut in omnibus ad Deum dirigatis intentionem, ut in « omnibus glorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in secula seculorum, amen. » (1 Petr. 4.)

Digitized by Google

Quantum ad quartam virtutem, que est dura passio, cum dicitur bar Jona, quod secundum secundam interpretationem vult dicere filius columbe. Ecce hic martyrium suum. Dicatur quando sacerdotes veteris testamenti offerebant Deo columbam, primo deplumabant. Item frangebant sibi alas, item frangebant collum, et inclinabant sibi caput, et tale sacrificium multum erat Deo acceptabile, ut dicitur Levi. 1 : « Holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino. » Quod beatus Petrus fuerit filius columbe, patet in ejus martyrio propter patientiam quam habuit, et per eternam beatitudinem : « Si quid patimini propter justitiam, beati. » (1 Pet. 3.) Dicatur quomodo beatus Petrus postquam predicavit per multas civitates et villas, et converterat plures gentes in Antiochia et alibi, venit Romam, et ipse ibi predicans contra mandatum Neronis imperatoris, qui precepit fidem Christi non predicare, fuit captus. Christiani autem volentes eum liberare, dicebant sibi : O pater, nos liberabimus vos, fugite de istis. Tandem acquiescens eis fugit, cui progredienti de civitate apparuit Christus cum cruce in humeris. Quem videns Petrus dixit : Domine, quo vadis ? quasi diceret : Ego egredior de civitate, et tu ingrederis. Respondit Christus : Venio Romam iterum crucifigi, dicens : Semel fui crucifixus in Hierusalem, hic volo iterum crucifigi. Volebat Christus dicere quod postquam fuerat in Hierusalem crucifixus in persona propria, etiam in persona Petri debebat Rome crucifigi. Quod Petrus intelligens, statim reversus est in civitatem, et Christus ad celum. Et dixit Petrus amicis suis Christianis civitatis quomodo sibi apparuerat Christus, etc. Patet quomodo erat Deo acceptabile et gratiosum. Ipse autem fuit reversus ad captionem imperatoris, venerunt ministri, et habuit sententiam crucifigendi in cruce, quam ipse adoravit, dicens ministris : Pro gratia peto quod non crucifigatis me capite sursum, ut Christus magister meus, sed caput ponite deorsum. Dixerunt ministri : Majus tormentum erit sibi, complaceamus sibi in hoc. Dum autem esset in cruce, non cessabat predicare stantibus in circuitu ejus. Ostendit hic nobis doctrinam quod non debemus cessare a predicationibus frigore, nec calore, nec laboribus, sed conari in conversionem animarum. Et ipso sic stante Christus misit angelum cum coronis violarum, et Christus aperuit sibi librum tenens tn manu, in quo beatus Petrus legebat, et postea dixit : Domine Jesu Christe, gratias tibi ago qui me portasti ad finem optatum. Domine, recommendo tibi istos Christianos filios generatos in utero sponse tue, sc. in ecclesia per baptismum. Et sic tradidit Deo spiritum, quem angeli Dei portaverunt ad gloriam.

Moraliter : hec crux Petri non erat talis sicut crux Christi, sed reperio quod etiam ponitis spem vestram in cruce beati Petri, que nullum potest salvare, nec etiam sanctum Petrum, nisi virtute Christi. Unde : « Mihi

Digitized by Google

absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. » (Gal. ult.) Imo quod fortius est, aliqui ponunt de facto, licet non mente, spem in signo diaboli, quod est circulus. Nam sicut boni religiosi in principio horarum invocant Deum signo crucis dicendo : « Deus in adjutorium», ipsi faciunt circulum, « quia in circuitu impii ambulant ». Recita totam practicam, et defectum illorum qui non bene se signant in introitu ecclesie, in mensa, mulier ponens filium in lecto. Idem in presbyteris, benedicendo aquam, panem, et quod deterius est, super corpus Christi faciunt rotulum. Ostende hic quomodo debent signare. Contra hoc signum nullum stetit periculum. Instruite etiam vos vestros. De hoc signo crucis prophetia. Cant. 8 : « Sub arbore malo suscitavi te, pone me signaculum super cor tuum et brachium tuum », etc.

Digitized by Google

De beato Paulo

(Canevas autographe)

Notum vobis facio Evangelium.
(Gal. I.)

Inter alia Christi documenta que dedit apostolis, ultimum fuit sequens. (Marc. ult.): « Euntes in mundum universum, predicate Evangelium omni creature. » Predicatio evangelica Pauli fuit aliis :

Largius copiosa ;
Clarius luminosa ;
Longius virtuosa.

Ideo sibi proprie convenit thema propositum.

De primo : Quilibet aliorum apostolorum accepit in sortem sue predicationis certam provinciam seu regionem ; sed de Paulo dicitur : « Deus qui universum mundum beati Pauli predicatione docuisti.» Ideo dixerat Christus de ipso : « Vas electionis mihi est iste. » (Act. 9.)

De secundo : Alii de auditu, videntes per speculum et in enigmate, predicabant secreta fidei ; Paulus vero in altissima angelorum scola tertii celi, sc. empirei, edoctus a Christo immediate de omnibus misteriis fidei, clarius evangelizavit. Gal. I : « Evangelium quod evangelizatum est a me non est secundum hominem... »

De tertio : Aliorum predicatio usque ad mortem duravit ; sed predicatio Pauli usque post mortem est prolungata, quia caput abcissum ter predicavit nomen Jhesus, et anima predicavit Neroni et suis simul consistentibus. Phil. I : « Christus magnificabitur in corpore meo. »

Statim altera die post Festum B. Petri et Pauli

(Manuscrit de Valence)

Fratres, notum vobis facio Evangelium.
(Habetur verbum istud originaliter Gal. I, et recitatum est statim in epistola hodierna.)

Et sic, sicut heri totum officium ecclesiasticum fuit de beato Petro et predicatio, ita hodie sicut totum officium ecclesiasticum fuit factum de beato Paulo, et similiter fiet noster sermo totum de ipso. Sed ante omnia recurramus ad virginem Mariam sic dicendo : *Ave Maria.*

Digitized by Google

Sancta mater Ecclesia quolibet anno facit duas solemnitates magnas de beato Paulo : una est de conversione ejus quomodo fuit conversus de mala vita ad bonam ; et ideo tunc pertinet facere sermonem de ejus vita virtuosa. Et ideo dicebat ipse ut habetur ad Gal. 2 : « Vivo ego, jam non ego », etc. Et secunda est de ejus passione quam recepit pro Christo in predicatione Evangelii. Et ideo vobis presens thema : « Fratres, notum facio », etc. Et sic sum in materia quam volo predicare.

Et ego invenio quod predicatio beati Pauli fuit excellens magis quam predicationes ceterorum apostolorum in tribus conditionibus : primo quod predicatio beati Pauli fuit supra omnes apostolos *mas largament* copiosa ; secundo quod predicatio beati Pauli fuit super omnes apostolos *clarament alumbrosa ;* tertio quod predicatio beati Pauli fuit super omnes apostolos *mas longament* virtuosa, et sic ecce tres conditiones et singularites, in quibus beatus Paulus fuit supra omnes apostolos. Et propter hoc thema : « Fratres, notum facio », etc.

Ad primum quod predicatio beati Pauli fuit supra omnes apostolos *mas largament* copiosa : nam ceteri apostoli predicaverunt per certas provincias, sanctus Jacobus minor in Judea, et sanctus Mathias in Galilea, et Matheus in parte Ethiopie, et Thomas in partibus Indie, et Andreas Arabie, et Jacobus major Hispanie, et Joannes Asie, et Petrus Antiochie et Rome. Et tunc fuit adimpleta prophetia Osee 5 : « Facti sunt principes », etc. Beatus Paulus per universum mundum, ut habetur in oratione hodierna : « Deus qui », etc. Et sic ejus predicatio fuit *mas largament* copiosa. — Et modo moraliter pro nobis predicatoribus, possumus dicere quod beatus Paulus magis proprius observavit verbum quod dixit Christus apostolis : « Euntes in universum mundum docentes, etc., creature », quam ceteri apostoli qui per provincias, etc. Et hic sunt tria secreta : primo cum dicit : euntes in mundum universum, nam multum periculosum est predicatori requiescere in una civitate multum, vel in una terra, et hoc propter duas rationes : prima propter utilitatem que magis sequitur postquam predicator est bonus et suficiens, predicare per universum mundum. Secunda propter periculum distrahendi se a bona vita, sc. propter familiaritates et notitias, et ideo *menare las carabazas* ne detineantur et se *socarreu,* stando in uno loco, per familiaritates filiarum spiritualium, et tenendo cellam bene ornatam cum *almarasis*, etc., nam si predicator non curat predicare nisi per universum mundum, sic *menando las carabazas* non *socarrabuntur* propter familiaritates et ornamenta, et non curabit de raupis. Et ideo dicit David contra istos, in Psal. 54 : « Deus humiliabit illos, etc., commutatio. »

Et secundo dicit : predicate Evangelium, nam non dicit Ovidium, Virgilium, Dantes, qui solum apparent bene auribus, et non est fructus

Digitized by Google

aliquis, sed cadentie *tantaratan,* etc., quod est contra multos qui non curant studere in biblia et predicare de ea quia rustica, quod est fatuum dicere, nam biblia descendit de summo celo, ut habetur Eccl. 1 : « Fons sapientie verbum in excelsis. » Imo sunt multi qui erubescunt predicare Evangelium, sed Ovidium non, etc. Sed beatus Paulus non erubescebat, ut habetur Rom. 1 : « Non erubesco, etc., credentis. »

Et tertio dicit : Omni creature, quasi dicat non solum majoribus sed etiam minoribus debemus predicare : primo prelatis, secundo dominis temporalibus, ut non fatigent et vexent vasallos, et e contra quod vasalli solvant fideliter *rendam* debitam domino ; et sic de aliis conditionibus personarum ; ad hoc ut omnes simus salvi. Et ideo dicit beatus Paulusmet ut habetur 1 Cor. 9 : « Cum liber essem ex omnibus, etc., salvos facerem ». Et sic habetis quomodo doctrina et predicatio beati Pauli fuit super omnes apostolos *mas largament* copiosa. Et propter hoc dicit singulariter de eo thema : « Fratres, notum facio », etc.

Ad secundum quod doctrina et predicatio beati Pauli fuit super omnes apostolos *mas clarament alumbrosa*, nam ceteri apostoli quod predicabant habebant a Christo per auditum cum ipse predicaret eis, sed beatus Paulus habebat per visum ; et melius testimonium est de visu quam de auditu, nam licet in hoc mundo nullus videbit Deum, ut habetur Joan. 1 : « Deum nemo vidit umquam », etc.; tamen ipse Paulus clariter vidit eum cum fuit raptus usque ad tertium celum, et vidit clariter Trinitatem. Et ideo de eo loquitur beatus Augustinus dicens quod beatus Paulus fuit raptus usque ad celum tertium ; et ipsemet Paulus loquens de se de isto raptu dicit ut habetur II ad Cor. 12 : « Scio hominem raptum usque », etc. Et dicit : « Scio hominem », etc., et loquitur de se, sed ideo loquebatur in tertia persona ne appareret in eo vana gloria.

Et modo ponamus practicam quomodo fuit raptus et vidit ea que erant in celo cum docuit sibi Christus novem plateas, sive camaras. Hic numeremus eas. Et prima est ad quam accedunt penitentes, etc. Secunda est ad quam accedunt persone devote in oratione, et idem de aliis. Et ideo cum vidisset ista, magis clariter doctrina ejus fuit per ipsum predicata, et propter hoc dicebat ipsemet de seipso loquens ut habetur secunda ad Cor. 12 : « Hujusmodi homo raptus est in paradisum, etc., loqui. » Et postea docuit sibi Christus infernum ; et ideo dicit ipse de se loquens secunda ad Cor. 11 : « Nocte ac die », etc. Et postea docuit sibi purgatorium ; et ideo ipse Paulus locutus est de purgatorio, ut habetur 1 ad Cor 3 : « Si quis superedificat », etc. Et sic ideo quia beatus Paulus sciebat quod predicabat, dicit ipsemet de se loquens quod habetur ad Gal. 1 : « Evangelium quod evangelizatur, etc., Jesu Christi. »

Digitized by Google

Ad tertium quod doctrina et predicatio beati Pauli fuit super omnes apostolos *mas longament* virtuosa, nam licet ceteri apostoli in vita sua predicarent et laudarent Deum, tamen non post mortem, et ideo poterant dicere quod habetur in Psa.: « Lauda, anima mea, Dominum, etc., quamdiu fuero. » Tamen beatus Paulus etiam post mortem suam predicavit et laudavit Deum Christum, nam cum fuit decapitatus, caput ejus dicebat : Jesus ! Et statim natus fuit quidam fons aque. Et cum secundo dixisset : Jesus ! iterum natus fuit alius fons aque. Et tertio cum dixisset : Jesus ! iterum natus est alius fons aque ; et ita beatus apostolus Paulus predicavit post mortem, quod non fecerunt alii, sed solum in vita sua. Et ita in hoc est singularis beatus Paulus. — Sed dicet aliquis : bene brevem predicationem fecit dicendo tribus vicibus : Jesus ! etc. — Sed dico quod imo magnam predicationem fecit beatus Paulus propter virtutem illius nominis Jesus, et miracula que fuerunt secuta de fontibus.

Et ideo est secretum quare tribus vicibus dixit : Jesus ! et nati fuerunt fontes tres. Et dico ideo quia nomen Jesus habet tres virtutes : prima virtus est sanitas corporalis, secunda salvatio spiritualis, tertia liberatio de periculis temporalibus. Ad primam virtutem : nam per virtutem nominis Jesus curabitur infirmitas ; ad secundam nam per virtutem nominis Jesus dabitur contritio faciendo crucem cum Jesus super corde ; ad tertiam nam dicendo : Jesus ! liberabitur aliquis a periculo temporali, ut filia *costurera*. Ad hoc ut habetur Prov. 17 : « Turris fortisima, etc., exaltabitur. » Et sic videtis quomodo post mortem predicavit caput beati Pauli apostoli dicendo tribus vicibus : Jesus ! Jesus ! Jesus !

Sed modo videamus de anima quid fecit. Et dico quod recuperavit corpus et dixit Neroni : Converte te ! Et post statim recessit ad gloriam. Et ideo dicit ipsemet ut habetur ad Philipp. 1 : « Magnificabitur Christus, etc., lucrum. » Et sic habetis tres conditiones in quibus fuit singularis super omnes apostolos, etc. [*Sic.*]

De Commemoratione beati Pauli

(Recueil imprimé)

Notum vobis facio Evangelium.
(Gal. 1, et recitatur in epistola hodierna.)

Sicut totum officium est beati Pauli, ita et sermo, etc. Salutetur virgo Maria, etc., et resumatur thema.

Questio solet fieri de istis duobus apostolis Petro et Paulo, uter eorum sit major et excellentior. Huic questioni oportet respondere cum

Digitized by Google

distinctione, et est talis responsio quod isti duo benedicti et gloriosi apostoli Petrus et Paulus possunt considerari tribus modis, sc.:

Secundum conditionem apostolicam ;

Secundum prelationem ecclesiasticam ;

Secundum predicationem evangelicam.

Si comparare volumus secundum conditionem apostolicam, respondeo quod unus non est major alio, vel excellentior, sed equales, quia ita unus sicut alter est apostolus Jesu Christi, sicut omnes presbyteri secundum consecrationem eucharistie equales sunt Petro et Paulo, sed prius fuit electus in apostolum Petrus, et ultimo Paulus. Et de hac conditione apostolica Deus tantum uni quantum alteri dat, quasi dicens Christus Petro : « Volui huic novissimo, sc. Paulo dare sicut et tibi », sc. de apostolica conditione. (Math. 20.) Ecce prima distinctio. — Secundo, si secundum prelationem ecclesiasticam loquimur, major est Petrus quam Paulus, quia papa major est legato. Beatus Petrus fuit apostolus Christi, et papa universalis, et Christi vicarius, cui dicit Christus : « Tu es Symon filius Joanna, tu vocaberis Cephas. » (Joan. 1.) Cephas Grece, id est capitaneus vel major aliorum. Beatus Paulus fuit Christi apostolus et legatus a latere, quia per totum mundum poterat episcopos facere, et beneficia alia dare. Ideo dicit : « Legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. » (2 Cor. 5.) Si ergo secundum prelationem ecclesiasticam Petrus fuit papa, et Paulus legatus a latere, apparet Petrum fuisse majorem. — Tertio si loquimur secundum predicationem evangelicam. Paulus fuit excellentior et abundantior Petro in ardenti predicatione, et etiam apostolis aliis, ideo in persona ipsius per excellentiam potest dicere thema : « Notum vobis facio evangelium. » Hoc excellentius pertinet ad eum, quia major in predicatione evangelica. Patet thema.

Reperi juxta thema quod predicatio evangelica beati Pauli habuit super predicationem aliorum excellentiam in tribus :

Primo quod fuit magis ampla et copiosa ;

Secundo quod fuit plus clara et luminosa ;

Tertio quod fuit magis longa et virtuosa.

Ergo bene pertinet ad eum thema.

Primo dico quod predicatio evangelica, sc. Pauli, super alios apostolos fuit plus ampla et copiosa quam aliorum apostolorum. Nam post receptionem Spiritus Sancti in die Pentecostes quilibet accepit unam portionem vel regionem per mundum ad predicandum evangelium. Petrus ivit in Judeam et Antiochiam. Beatus Joannem in Phrygiam. Mattheus in Ethiopiam. Jacobus major in Hispaniam. — Limitatam predicationem predicare habebant. Sed beatus Paulus non accepit regionem limitatam, sed per totum mundum universum ibat, ut dicit

Digitized by Google

Hieronimus in libris de viris illustribus, quod XXXVII annis ivit de civitate in civitatem, de terra in terram, predicando non cessabat. Ecce quomodo fuit plus ampla et copiosa, quia non ivit in terram certam vel regionem, sed generaliter discurrebat. Unde nota magnum et mirabile quod omnes apostoli, Petrus, Joannes et Bartholomeus, etc., quando veniebant predicare in aliis civitatibus fidem Christi, recipiebant provisionem a civitate, vel a probis hominibus, quia Christus dicebat Luc 10 : « Dignus est operarius mercede sua », sed de Paulo dicit textus Act. 18 : « Erat artis scenofactorie. » Dicit glosa : *senos,* id est tenda et chorda, dicit ergo quod sciebat facere chordas, et suere ; et de hoc sibi providebat, quia certo tempore operabatur cum aliquo de illo officio, ut provideret sibi, et certo tempore predicabat, et certo tempore orabat. Ideo dicit : « Argentum, et aurum... ministraverunt manus iste. » (Act. 20.) Item quia predicabat de Christo contra mandatum imperatoris Neronis, ideo verberabant ipsum per villam, sed propter hoc nec dimittebat predicationem. Alia die lapidabant eum, nec propter hoc dimittebat. Quem videntes ministri imperatoris ita fortem, posuerunt ipsum in campo clauso ad leones, sed in nullo sibi nocuerunt, imo lambebant sibi pedes. Et sic ab infidelibus passus est multas injurias et vituperationes pro Christo et predicatione. Videtur ergo vobis quomodo fuit sua predicatio ampla et copiosa super omnes apostolos ? Recte tenuit Paulus super alios Christi preceptum, qui quando debuit in celum ascendere, dixit apostolis et mandavit : « Euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature. » (Mar. ult.)

Moraliter hic ponuntur tres clausule, in quibus ostenditur predicatoribus verbi Dei quid agere debeant. Prima cum dicit : Euntes in mundum universum. Non dicit quod simus in una civitate seu villa, sed in mundum universum. Nam si sol staret in una parte firmus, non calefaceret mundum, tunc una pars esset combusta, et alia frigida, et alia fructuosa, sed sol discurrit per totum mundum, et illuminat, et calefacit, et facit fructificare. Sic boni religiosi vite apostolice debent ire per mundum. Caveant ne eos retineat voluptas, sed discurrant per mundum, illuminando in fide catholica, et calefaciendo in charitate, et Dei dilectione, et faciendo fructificare in operibus piis misericordie, et meritoriis, quia quanto una esca est magis preciosa et excellens, tanto est plus necessarium quod volvatur in olla, ne adhereat olle ab intra, sicut patet de cucurbitis. Sic si aliquis est delicatus in devotione, et excellens in scientia, et preciosus in predicatione, necesse est sibi quod faciat mutationem, sic non adherebit, quia si recipiet familiaritatem alicujus filie spiritualis, vel aliquorum personarum, jam perdet devotionem, vel cogitabit : Ex quo hic habeo manere, indigeo camera pro tenendo vinum, granum, etc. Et sic acquiret familiaritates, et adherebit quasi olle, et

Digitized by Google

comburet se, etc., quia amorem quem deberet habere ad Deum, ponit in creaturis. Sed quando movet se discurrendo, predicando, non congregat pecunias, neque hujusmodi, quia secum portaret mortem, nec curat de familiaritatibus, nec cameris. Ecce quare dicit: « Euntes in mundum universum. » Unde propheta Oseas dicit figurative: « Effraim factus est subcinericius panis... ipse ignoravit. » (Osee 7.) Nota Effraim, id est, persona alta vel crescens, ut persona crescens in scientia, devotione, vel excellenti predicatione. Dicit quod est facta sicut panis coctus inter cineres, qui non reversatur, de una parte est destructus sive adustus, et ex alia crudus. Sic est de persona que non reversatur, et habet excellentem vitam, calefacit se in amore mundi, refrigerans se de Deo. Et quid sequitur? « Alieni comederunt robur ejus. » Adhuc habuit mensam, et incepit dimittere Deum, devotionem, et lachrymas compunctionis, et de modico in modicum vadit in terram. Ideo David: Non est illis commutatio. Ratio, quia modo satisfacio questioni dicenti: Quare mutant se fratres quolibet anno de conventu ad conventum? Quia oportet cum baculo prelationis agitare et movere istos sicut cucurbitas, vel alium cibum delicatum, ne adhereant capiendo familiaritates.

Secundo dicit: predicate evangelium. Non dicit Ovidium, vel Vergilium, vel Horatium, sed predicate evangelium. Tota scriptura est evangelium figurativum, vel figuratum, et clarum. Unde « rota erat in medio rote ». (Ezech. 1.) Scitis quare precepit predicare evangelium, quia alie doctrine non habent finem seu terminum ad principium. Sicut de fonte, qui non potest ascendere naturaliter per canale altius quam sit fons, quia caret virtute ad plus. Ita de doctrina poetarum, videamus unde exit: Numquid de intellectibus hominum? Imo, ideo non potest facere ut aliquis ascendat in celum. Et tu qui predicas tantum eas, semper eris terrenus. Sed doctrina evangelica, que exivit de celo, ad illum locum de quo exivit facit ascendere personam que ipsam predicat et servat. Ideo Christus Joan. 4: « Aqua quam ego dabo fiet in eo fons aque salientis in vitam eternam. » Ideo predicate evangelium, quia predicare verba damnatorum damnatio est. Dicit enim Hieronymus quod Aristot. et Plato in inferno sunt. Accipe ergo doctrinam Christi, que ducit ad vitam, ut est biblia, que liber vite dicitur, libri vero poetarum dicuntur libri mortis.

Tertio dicit: Omni creature, sc. hinc inde; non dicit solum in una civitate, nec dicit magnis Dominis, sed etiam agricolis. Non solum divitibus, sed etiam pauperibus, et aliis, quia omni creature. Dicit magister Vincentius quod dolet. Nam reperit in Lombardia novem valles hereticorum propter defectum predicatorum. Dixit sibi unus de illis vallibus: Frater, xxx anni sunt quod nullus frater venit huc, nec clericus ad instruendum nos in fide, sed veniunt heretici de partibus

Digitized by Google

longinquis, et predicant nobis suos errores, quos evitaremus si habuissemus doctrinam evangelicam. Ideo dicit : Omni creature, et in omni loco supple. Ideo Hieremias in spiritu videns hunc defectum dicit : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. » (Thre. 4.) Parvuli, id est, rustici simplices, pauperes, et ignorantes, et heretici petierunt doctrinam evangelicam, et nemo ministravit eis. Sed beatus Paulus universaliter extendit doctrinam evangelicam. Ideo dicit : Notum vobis facio evangelium.

Dico secundo quod predicatio evangelii beati Pauli fuit super omnes alios plus clara et illuminosa. Audite bene. Omnes alii apostoli predicabant doctrinas quas a Christo audiverant, sed non viderant, sed beatus Paulus predicabat illud quod viderat, quia realiter fuit raptus in celum. Joannes vero secundum spiritum. Ideo dicit : « Evangelium quod evangelizatum est a me, non est secundum hominem, supple purum, nec ego ab homine, sc. puro accepi illud, et didici, sed per revelationem Jesu Christi. » (Ad Gal. 1.) Nota, non habui ab homine, id est, mortali, sed immediate a Christo Deo et homine habui, quem vidi in sua gloria et divinitate cum tota curia celesti. Ideo si dicatur tibi : Ubi dicit Paulus ? potes dicere quod in celo empyreali in schola angelorum tribus diebus studuit, et scivit plus quam Salomon aut omnes philosophi in tota vita sua. In libro vite eterne cito efficitur homo magister. Nec mirum si quando agricole rustici, vel rudes, ignorantes, vel parvi hodie nati, baptizati et mortui, sicut intrant scholam angelorum aperto libro vite per Deum, et sibi ostenso, majorem scientiam habent in puncto quam virgo Maria aut sancti doctores habuerunt in hoc mundo unquam. Ideo, bone gentes, laboretis ire ad istud studium, quia in uno momento est intellectus illuminatus omni scientia, nec oportet legere per capitula seu distinctiones. Hic liber solum habet duas chartas, sc. humanitatem et divinitatem. Et Christus est liber vite. Cogita ergo si infans vel rusticus intrans paradisum, habet in puncto tantam scientiam, quid de beato Paulo, qui tribus diebus fuit raptus per potentiam Dei, et anima ejus tribus diebus et noctibus studuit ibidem ? O quantam scientiam debuit addiscere ! Bene poterat clare, veraciter, et luminose predicare.

Et ut melius intelligatis, ponam in practica, ut veniamus ad mortalitatem. Unde si unus dives homo edificasset domum que constitisset decem milibus francorum, et veniret amicus ejus de ultra mare, quem invitasset, jam sibi ostenderet totam domum, dicendo amico : Noveritis, amice, quod ex quo non fuistis hic, edificavi istam domum, et ista est camera ubi dormio ego, et in ista filii mei, et in ista scutiferi. Ecce coquinam, stabulum, cellarium, etc. Sic etiam fecit Christus, qui ostendit sibi totam domum paradisi. O quam pulchra est illa ! Certe si quis

Digitized by Google

solum posset ponere caput per aliquam fenestram ad videndum domum paradisi, tanta est illa pulchritudo corporalis, quod staret homo centum annis sine cibo et potu, et esset mirabiliter consolatus, etiam si non videret Christum, nec virginem Mariam, solum ex pulchritudine corporali celi. Ideo dicitur: « O Israel! quam magna est domus Dei, et ingens, id est, inestimabilis locus possessionis ejus. Magnus est, et non habet finem », supple in duratione. (Baruch. 3.) Totus mundus est quasi unus punctus respectu illius domus paradisi, cujus minima camera est major decem regnis. Neque mirum, quia una stella est major tota Hispania. Ecce quomodo ostendit sibi palatium regni. Consequenter rapuit eum, et ostendit sibi novem ordines angelorum in celo, et nunquam homines sciverunt aliquid de eis, donec Paulus revelavit eis.

Primo ostendit sibi primum ordinem, sc. angelorum humano modo loquendo, ubi est rector seu capitaneus sanctus Raphael; et cum vidit Paulus illam pulchritudinem dixit: O Domine! et quomodo est beatus qui huc venit! Et vix poterat loqui, ita stetit attonitus de illa gloriosa habitatione quam viderat. Ad quem Christus dixit: Paule, scis quis habitabit cum istis? Dixit Paulus! nescio. Respondit Christus: Omnes illi qui post peccatum fecerunt rigorosam penitentiam, qui non solum servant jejunia ecclesie, sed amplius faciunt, confitentur, sepe communicant, etc. Dixit Paulus: O quam benedicti erunt qui de suis peccatis egerint penitentiam! — Secundo ostendit sibi secundum ordinem, sc. archangelorum ubi est capitaneus sanctus Gabriel. Cum Paulus vidit istam gloriam, fuit totus stupefactus, et interrogabat Christum dicens: Domine, et qui stabit hic? Respondit Christus: Persone spirituales et devote. Nam sicut anima est nobilior corpore, sic devotio que in anima consistit est major penitentia. Quesivit Paulus: Domine, et in quibus reperietur? Respondit Christus: in personis que semper faciunt orationem die ac nocte, que audiunt missas devote, etc. Et apostolus: O in tam bono puncto pro illis qui faciunt devotam orationem, etc. — Tertio ostendit sibi tertium ordinem, sc. principatuum, ubi est capitaneus sanctus Michael; in istum locum vadunt persone misericordes. Unde, beati misericordes, etc. — Quarto ostendit sibi ordinem potestatum, in quem vadunt que in adversitatibus habent patientiam. Ideo apostolus: « Patientia vobis est necessaria, supple ad habendum istam gloriam, ut facientes voluntatem Dei reportetis promissionem. » (Heb. 10.) — Quinto ostendit sibi ordinem virtutum, in quo collocabuntur qui habebunt concordiam temporalem. Ideo dicit apostolus postquam descendit: « Pacem habete cum omnibus. Non vos defendentes, id est vindicantes, charissimi, sed date locum ire. Scriptum est enim: Mihi vindictam, et ego retribuam. » (Rom. 12.) — Sexto ascendit in ordinem dominationum, in quo collocabuntur prelati bone vite, qui intraverunt per portam,

Digitized by Google

qui habent gubernare animas, plus curantes de animabus quam de redditibus. Item Domini temporales. — Septimo thronorum, ubi collocabuntur qui pro Christo servaverunt paupertatem, terrena propter Christum dimittentes. — Octavo Cherubinorum, qui interpretatur plenitudo scientie, ubi collocabuntur doctores devoti. Unde de talibus dicit Daniel : « Qui docti fuerint fulgebunt », etc. (Dan. 12.) — Nono Seraphinorum, et in illo ibunt qui habebunt supernalem charitatem. Unde « major horum est charitas ». (1 ad Corinth. 13.) Et quando tales cogitant de Deo totaliter liquefiunt sicut candela ad ignem. Jejunium est eis refectio, vigilia dormire, persecutio consolatio, tota adversitas amore Christi est eis consolatio, habent ferventem affectionem. Si Christus diceret eis : adhuc usque ad annum venietis ad me, etc.; responderent : O Domine, annus XII menses habet, et debemus tandiu privari illa claritate ? etc.

Ideo Paulus postquam vidit omnia ista, tunc vidit unam preciosam cathedram, in qua stabat Christus super omnes ordines angelorum, et ad latus aliam, et dixit : Domine, et quis erit hic ? Respondit Christus : Super omnes ordines angelorum erit mater mea, et in ista cathedra collocabitur. O tam bene videtur gloriosa, cujus precibus totus mundus sustinetur. Ideo cantat ecclesia : « Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad celestia regna », etc. Deinde vidit divinam essentiam, et quando reversus fuit, quod apostoli crediderunt quod studuerat in studio celesti, et dixerunt sibi : Unde venis ? Respondit : « Scio hominem in Christo... raptum hujusmodi », etc. (2 Cor. 12.) Nota : ego scio hominem in Christo Jesu, qui fuit raptus usque ad tertium celum. Scriptura sancta non fecit mentionem nisi de tribus celis. Primo de firmamento. Secundo de cristallino seu aqueo, de quo Psal.: « Aque que super celos sunt », etc. Tertium est celum empyreum. Ergo clarior fuit doctrina, quia propriis oculis vidit omnia que predicavit. Ideo dicit : Notum vobis facio evangelium.

Dico tertio quod doctrina et predicatio beati Pauli fuit plus longa et virtuosa. Declaratur sic. Omnes alii apostoli finierunt suam predicationem in morte, sed Paulus in vita, XXXVII annis predicavit ante mortem, et post mortem predicavit. Ideo dicitur plus longa et virtuosa. Dico practice. Quando predicavit XXXVII annis Nero imperator Romanus captivavit ipsum ad mortem ; et quia predicavit Christum contra ordinationem et voluntatem Neronis, Nero mandavit ipsum capi, et dedit sententiam capitalem contra eum, quia erat nobilis et privilegio Romanorum gaudebat. — Dicatur quomodo fuit ductus ad decapitationem. Et facta oratione lictor decapitavit eum, de cujus collo exivit lac, deinde sanguis. Lac ostendit suam puritatem, quia semper fuit virgo. Deinde venit tanta claritas de celo, quod facilius aspiceret homo solem quam

Digitized by Google

illam claritatem, et statim anima beati Pauli egressa, venit ad Neronem in palatium, qui loquebatur cum philosophis dicens : O et tam magnum miraculum est istud ! Et anima intravit : quam videns Nero fuit territus, et non mirum, quia si sanctas personas terret bonus spiritus, licet postea consoletur eas, multo magis terret malas. Et dixit Neroni : Venio ad te si vis ad Christum converti, porta paradisi est tibi aperta, ego fui mortuus de mandato tuo, et vivo in eternum. Sic poteris tu si volueris. Ecce quomodo predicavit post mortem, non legitur hoc de alio sancto. Patet ergo quomodo sua predicatio fuit longe virtuosa. Statim Nero solvit omnes Christianos quos tenebat captos, sed non fecit se Christianum, sed permansit in peccato suo. Jam ipse Paulus prophetaverat hoc, quia dicebat : « Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam sive per mortem. » (Ad Phil. 1.) Item in morte predicavit. Etiam dicatur de capite quod fecit tres saltus, et in quolibet dixit Jesus ! et exibat in quolibet saltu unus fons. Tres predicationes fecit in quolibet, sc. Jesus, Jesus, Jesus ! Multam materiam habebat ad predicandum. Hic est secretum Jesus. Ego dico quod istud nomen Jesus habet tres virtutes super omne nomen. Unde : « Dedit illi nomen Deus, quod est super omne nomen. » (Ad Phil. 2.) Et Luc. 2 : « Vocatum est nomen ejus Jesus. » Christus cognomen est. Et alias etiam tribus vicibus propter tres virtutes quas habet principaliter :

Prima contra defectus spirituales ;

Secunda contra malicias corporales ;

Tertia contra pericula seu mala temporalia.

Defectus spirituales sunt peccata : si aliquis est qui non habeat contritionem de peccatis suis, et habet cor lapideum, et non scit quid dicitur, Math. 27. quod Jesu Christo in cruce pendente petre scisse sunt, et monumenta aperta sunt, et mortui surrexerunt. Si vis contritionem habere, ponas te coram crucifixo genibus flexis, et devote dic : Jesus ! faciendo signum crucis juxta cor, et mollietur ad penitentiam, et monumentum aperietur, sc. os per confessionem, et mortuus, sc. spiritus resuscitabitur, sc. ad statum gratie. Idem est si aliquis in desiderio vindicte ponat se coram crucifixo, dicendo : Jesus ! etc., cogitans quomodo Christus pepercit crucifixoribus, et immediate veniet ad te una dulcedo de illo favo mellis paradisi, et intrabit cor tuum, quod in memoriam passionis Christi remittes injuriam. Unde omnis « quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit ». (Rom. 10.) Nota invocaverit, sc. intus in corde. Nomen Domini, sc. Jesus, Deus dabit sibi contritionem peccatorum. Ideo hoc nomen ejus contra defectus spirituales facit tria, sc., mollificat cor, facit confiteri, suscitat animam.

Secundo dico quod hoc nomen ejus est contra malicias corporales. Si devotionem haberemus, medici parum lucrarentur nobiscum. Nam

Digitized by Google

omnes virtutes sanctorum et angelorum sunt in hoc nomine Jesus. Et ideo noster Hypocrates vel Galenus Jesus, postquam salutem procuravit animabus nostris per redemptionem, voluit etiam procurare et dimittere medicinam, quando enim debuit recedere per ascensionem, ordinavit aphorismum dicendo : « Signa eos qui crediderint, non dicit qui sancti fuerint, hec sequentur : In nomine meo », etc. (Math. 16.) O si haberemus devotionem ad istud nomen ! sed nullam habemus nisi ad vanitates, et sortilegia, et conjurationes. Unde dicit psal.: « Homines et jumenta salvabis, Domine », etc. Unde si dolet caput, fac signum crucis in eo, dicens Jesus ! etc., si fidem habes, et sanitas corporis non sit nociva anime, sine dubio curaberis. Item si habes filium infirmum, si scit loqui, ipsemet signando dicat : Jesus ! etc., alias facias tu. Non fiat subito, sed cum devotione, quia emplastrum suaviter ponitur et cum caliditate et devotione. Item vos mulieres que cupitis concipere in utero, dicatis : Jesus ! quia virtus hujus nominis Jesus dabit vobis prolem si vultis. Item quando est pregnans, ut Deus conservet prolem in utero, quia multe concipiunt que non possunt portare. Idem de mulieribus, quando debent parere, faciant signum crucis, dicendo : Jesus ! ubi sentiunt dolores, quia melius est dicere : Jesus ! quam clamare ut capra. Ecce secunda virtus contra malicias corporales. In hoc ergo nomine habeatis devotionem, quia « non est aliud nomen datum hominibus sub celo in quo oportet nos salvos fieri, nec est in aliquo alio salus ». (Act. 4.) Et loquitur de sanitate de uno contracto quem sanctus Petrus curaverat. Illud ergo nomen invocate, non aliud.

Tertio contra pericula temporalia valet hoc nomen Jesus. Tu homo bellicus si sis in bello justo, dic : Jesus ! non deficient tibi vires. Secus de bello injusto, quia nescit divina justitia patrocinium dare criminibus. Similiter si esses in deserto, et in circuitu tuo essent inimici tui vel animalia, dicas : Jesus ! et tu liberaberis. Item contra tempestatem fac crucem cum nomine Jesu, et non nocebit. Contra omnia pericula est medela. Unde : « Turris fortissima nomen Domini » (Prov. 18.) Nomen Domini Jesus. Vocatum est nomen ejus Jesus. (Luc. 2.)

Patet secretum : cum tribus vicibus caput beati Pauli saltavit, significans virtutem contra predictos tres defectus. Ecce quomodo beatus Paulus non solum in vita, sed etiam in morte, et post mortem predicavit. Ergo conclusio tertia clara est, sc. quomodo sua predicacio fuit magis longa et virtuosa. — Ergo thema : « Notum vobis facio », etc.

Digitized by Google

Octava beati Joannis

(Canevas autographe)

Impletum est tempus pariendi.
(Luc. 1.)

Finis mundi propter multas similitudines dicitur tempus pariendi, juxta illud ps. 47 : « Ipsi videntes sic... ibi dolores ut parturientis. » Propter magnam ergo vicinitatem et propinquitatem finis mundi dicit propositum thema : « Impletum est tempus pariendi. » — Propinquitas finis mundi percipi potest sicut manifeste cognoscitur finis diei, sc. ex recessu radiorum solis :

Ab ymis torrentibus ;
A planis convallibus ;
Ab elevatis costibus *(sic)* ;
Ab excelsis collibus ;
Et a summis montibus.

De primo : Torrentes dicuntur homines laboratores, propter vite asperitatem, propter frequentem egestatem, et propter subjectam humilitatem. Dan. 3 : « Imminuti sumus... sumusque humiles. » — Ab hujusmodi torrentibus jam videtur retraxisse radios suos verus sol justitie, Christus Deus noster. Ps. 81 : « Nesciverunt neque intellexerunt. »

De secundo : Convalles dicuntur burgenses et mercatores ac persone divites, propter divitiarum habundantiam et vite lasciviam. Ps. 64 : « Valles habundabunt frumento. » — Ab hujusmodi videtur sol justitie retraxisse radios suos, juxta illud Math. 24 : « Quoniam habundabit iniquitas... »

De tertio : Costes, sive coste dicuntur sacerdotes et ministri altaris qui super alios elevati sunt ad Christo ministrandum. Num. 16 : « Num parum vobis est quod... separavit vos Deus ab omni populo. » — In hiis non apparent radii solares sapientie et devotionis. Ez. 22 : « Sacerdotes contempserunt legem meam. »

De quarto : Colles dicuntur religiosi propter transitum celestium mercium, propter gaudium contemptionis proprie, et semitam certe vite. Ps. 64 : « Pinguescent speciosa deserti... » — In hiis etiam non apparet splendor solaris Jer. 5 : « Ecce magis hii simul... ruperunt vincula. »

De quinto : Montes intelliguntur prelati Ecclesie et domini temporales, propter eminentiam dominii, et propter resonantiam imperii : « Resonat de altissimis montibus echo. » (Sap. 17.) — Ab hiis montibus

Digitized by Google

jam recessit sol caritatis et justitie. De prelatis, Phil. 2 : « Omnes que sua sunt querunt, non que Jesu Christi. » — De dominis temporalibus, Is. 1 : « Principes tui infideles. »

In Octavis beati Joannis Baptiste

(Manuscrit de Valence)

Humiliamini sub potenti manu Dei.
(Habetur verbum istud originaliter 1 Petri, et recitatum est in epistola presentis dominice.)

In ista presenti predicatione quam ego teneor facere in hac nobili civitate [*Tolède*], tenebo *maneriam* quam tenent carpentatores, nam ponam fundamentum istam primam predicationem, et postea edificabo quotidie camaras, sc. alias predicationes. Sed ante omnia recurramus ad virginem Mariam dicendo : *Ave Maria.*

Istud verbum propositum dicit sic : *deved ser humildes debajo la mano de Dios.* Et ideo, *bona gent,* sub hac manu Dei ego perquisivi quot sunt *manere* et conditiones vere humilitatis, et perquisivi in sancta Scriptura, et per gratiam Dei inveni quinque *maneras* humilitatis vere. Prima *humildad* de reverentia, et ista docetur in oratione ; secunda *humildad* de obedientia, et ista docetur in operatione ; tertia *humildad* de penitentia, et ista docetur in tota confessione ; quarta *humildad* de pacientia, et ista docetur in tribulatione ; quinta *humildad* de sapientia, et ista demonstratur in conversatione. Et sic ecce quinte conditiones humilitatum. Et de qualibet istarum loquitur thema : « Humiliamini », etc.

Ad primum de humilitate de reverentia : et ista docetur in oratione. Et ista humilitas reverentialis est restringere cor ab omni presumtione et superbia, considerata potentia et majestate Dei qui creavit celum, etc. Et dico ego quod hec humilitas demonstratur in oratione, si est devota, nam attento cui debet presentari supplicatio, id est oratio, creatura debet restringere cor suum, et reputare se nichil respectu Dei ; et sic exaudietur oratio, ut habetur Jac. 4 : « Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. » Et ita faciebat David, ut habetur ps. 101 : « Respexit Dominus orationem humilium. » Et ideo, *bona gent,* si vultis ut oratio vestra audiatur per Deum, faciatis eam cum humilitate reverentiali. Et debetis eam facere de mane et de sero devote, non induendo, etc., ad hoc quod habetur Judith 9 : « Neque enim... humilium placuit deprecatio. » Et ita habetis unam conditionem humilitatis vere quam teneatis in corde vestro. Ergo : « Humiliamini », etc.

Digitized by Google

Ad secundum, de humilitate de obedientia que docetur in operatione : et ista humilitas reverentialis est vera quando creatura contra suam voluntatem et sensualitatem obedit Deo servando decem precepta, et cavendo a septem peccatis mortalibus, dicendo : non mea voluntas, sed tua fiat ! etc., ad hoc quod habetur, Job 22 : « Qui humiliatus fuerit, etc., salvabitur. » Et sicut portaretis unum saccum honerosum ratione pretii quod constitit vobis, ita et fortius debetis portare istum saccum decem preceptorum quod non *pesat* nisi decem libras, etc.

Et hoc loquimur quando facies est plorosa que placet Deo, ut Cant. 2 : « Ostende mihi faciem tuam, etc., decora. » Imo dico quod angeli in celo gaudent et audiunt talem, ut Cant. 8 : « Que habitas in hortis, amici auscultant ; fac me audire vocem tuam. »

Tout le reste est en blanc.

Digitized by Google

jam recessit sol caritatis et justitie. De prelatis, Phil. 2 : « Omnes que sua sunt querunt, non que Jesu Christi. » — De dominis temporalibus, Is. 1 : « Principes tui infideles. »

In Octavis beati Joannis Baptiste

(Manuscrit de Valence)

Humiliamini sub potenti manu Dei.
(Habetur verbum istud originaliter 1 Petri, et recitatum est in epistola presentis dominice.)

In ista presenti predicatione quam ego teneor facere in hac nobili civitate [*Tolède*], tenebo *maneriam* quam tenent carpentatores, nam ponam fundamentum istam primam predicationem, et postea edificabo quotidie camaras, sc. alias predicationes. Sed ante omnia recurramus ad virginem Mariam dicendo : *Ave Maria.*

Istud verbum propositum dicit sic : *deved ser humildes debajo la mano de Dios.* Et ideo, *bona gent,* sub hac manu Dei ego perquisivi quot sunt *manere* et conditiones vere humilitatis, et perquisivi in sancta Scriptura, et per gratiam Dei inveni quinque *maneras* humilitatis vere. Prima *humildad* de reverentia, et ista docetur in oratione ; secunda *humildad* de obedientia, et ista docetur in operatione ; tertia *humildad* de penitentia, et ista docetur in tota confessione ; quarta *humildad* de pacientia, et ista docetur in tribulatione ; quinta *humildad* de sapientia, et ista demonstratur in conversatione. Et sic ecce quinte conditiones humilitatum. Et de qualibet istarum loquitur thema : « Humiliamini », etc.

Ad primum de humilitate de reverentia : et ista docetur in oratione. Et ista humilitas reverentialis est restringere cor ab omni presumtione et superbia, considerata potentia et majestate Dei qui creavit celum, etc. Et dico ego quod hec humilitas demonstratur in oratione, si est devota, nam attento cui debet presentari supplicatio, id est oratio, creatura debet restringere cor suum, et reputare se nichil respectu Dei ; et sic exaudietur oratio, ut habetur Jac. 4 : « Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. » Et ita faciebat David, ut habetur ps. 101 : « Respexit Dominus orationem humilium. » Et ideo, *bona gent,* si vultis ut oratio vestra audiatur per Deum, faciatis eam cum humilitate reverentiali. Et debetis eam facere de mane et de sero devote, non induendo, etc., ad hoc quod habetur Judith 9 : « Neque enim... humilium placuit deprecatio. » Et ita habetis unam conditionem humilitatis vere quam teneatis in corde vestro. Ergo : « Humiliamini », etc.

Digitized by Google

Ad secundum, de humilitate de obedientia que docetur in operatione : et ista humilitas reverentialis est vera quando creatura contra suam voluntatem et sensualitatem obedit Deo servando decem precepta, et cavendo a septem peccatis mortalibus, dicendo : non mea voluntas, sed tua fiat ! etc., ad hoc quod habetur, Job 22 : « Qui humiliatus fuerit, etc., salvabitur. » Et sicut portaretis unum saccum honerosum ratione pretii quod constitit vobis, ita et fortius debetis portare istum saccum decem preceptorum quod non *pesat* nisi decem libras, etc.

Et hoc loquimur quando facies est plorosa que placet Deo, ut Cant. 2 : « Ostende mihi faciem tuam, etc., decora. » Imo dico quod angeli in celo gaudent et audiunt talem, ut Cant. 8 : « Que habitas in hortis, amici auscultant ; fac me audire vocem tuam. »

Tout le reste est en blanc.

Digitized by Google

Octava Apostolorum

(Canevas autographe)

Sicut viri misericordie quorum pietates non defuerunt.
(Eccl. 44.)

Nota differentiam stricte loquendo inter opera misericordie et opera pietatis. Et utraque possunt comprehendi quadrupliciter.

Opera misericordie sunt corporalia, sc.:
Donare *liberalment;*
Prestare *purament;*
Reddere *plenament;*
Servire *dolçament.*
Opera pietatis sunt spiritualia:
Orare *devotament;*
Alloqui *perfetosament;*
Parcere *cordialment;*
Subportare *homilment.*

De primo, liberalitas dandi attenditur penes quantitatem doni et penes promptitudinem dandi et penes ylaritatem dantis. Cor. 9 : « Qui parce seminat », etc.

De secundo, puritas mutui attenditur ut fiat sine usura. Ps. 111 : « Jocundus homo qui miseretur. »

De tertio, plenitudo restitutionis attenditur penes possibilitatem restituentis, quantum ad res et quantum ad tempus. Rom. 13 : « Reddite omnibus debita. »

De quarto, dulcedo servitii est attendenda juxta illud Gal. 5 : « Vos... per caritatem servite. »

De quinto, gloria orationis precellit eleemosynas corporales dignitate, utilitate, et communitate, Thi. 2 : « Obsecro igitur... fieri obsecrationes », etc.

De sexto, utilitas allocutionis stat in docendo, consulendo, corrigendo et consolando. Eph. 4 : « Omnis sermo malus », etc.

De septimo, remittere corde offensas non tantum est pietas offendenti, sed potius ipsi offenso, quia venenum iracundie mortiferum ex visceribus sue anime evomit. 1 Joan 3 : « Nos scimus quoniam de morte translati sumus. »

De octavo, sine humili subportatione alienorum defectuum non potest homo vivere in hoc mundo. — Nota exemplum de illo qui provocatus

Digitized by Google

fregit situlam. In vitis patrum. — Ideo Eph. 4 : « Cum omni humilitate et mansuetudine, et cum patientia subportantes », etc.

Je n'ai trouvé ce canevas développé nulle part, à cette date, non plus que le précédent. On a pu voir que le ms de Valence n'a d'autre rapport avec celui-ci que la chronologie ; le *thème* même est différent. Mais je désire m'écarter le moins possible des canevas autographes qui me servent de guide.

De même, c'est par respect pour son caractère d'authenticité que je reproduis le ms de Valence : ce ne sont souvent que des textes scripturaires alignés en ordre de bataille. On s'aperçoit que le maître qui dictait et le disciple qui écrivait étaient au bout de leurs forces.

Digitized by Google

De beata Margarita

(Canevas autographe)

Inventa una pretiosa margarita, abiit.
(Mat. 13.)

Juxta quinque terminos hujus thematis nota in beata Margarita :
Profundam humilitatem quia *inventa ;*
Divinam caritatem quia *una ;*
Constantem firmitatem quia *pretiosa ;*
Lucentem puritatem quia *margarita ;*
Plenam felicitatem quia *abiit.*

De primo, homo recedendo a Deo per superbiam perditur, sed redeundo per humilitatem invenitur ab eo. Exemplum de ove. — Nota hic qualiter dimittendo excellentiam paterne domus, in domum nutricis pauperis se contulit propter Christum.

De secundo, sicut cupiditas humana dividit hominem in multa, ita caritas divina conjungit et congregat in unum. Luc. 10 : « Martha ! Martha ! » etc. — Nota hic qualiter non potuit avelli a Christi amore propter promissiones prefecti Olibrii.

De tertio, propter constantiam firmitatis moritur in tormentis. Ps. 115 : « Pretiosa in conspectu Domini », etc. — Nota hic quam constanter sustinuit tormenta.

De quarto, quia margarita ut gemma munda et lucida ; ideo persone vite munde et lucide scientie dicuntur margarite. Mat. 13 : « Simile est regnum celorum homini querenti bonas margaritas. » — Nota hic quam clare cognovit demonium sub specie hominis et drachonis.

De quinto, in hac vita nihil est totaliter plenum, sed in alia. Prov. 7 : « Non est vir in domo sua : abiit, etc. » — Nota hic ejus martyrium, quomodo abiit in celum.

De sancta Margareta

(Recueil imprimé)

Inventa una pretiosa margarita, abiit.
(Mat. 13.)

Cogitanti mihi magnam devotionem et sanctitatem beate Margarete invenio quinque virtutes in ea, in quibus stat tota perfectio sanctitatis :

Digitized by Google

Prima est vera humilitas ;
Secunda sancta charitas ;
Tertia firma stabilitas ;
Quarta pura claritas ;
Quinta plena felicitas.

Et subtiliter iste quinque virtutes notantur in quinque verbis thematis. In prima dictione, sc. inventa, ostenditur prima virtus, et in secunda secunda, et in tertia tertia, etc.

Dico primo quod beata Margareta fuit ornata magna virtute, que est vera humilitas, que notatur in primo verbo thematis cum dicit : « Inventa ». Ratio : Inventio totius humane perditionis fuit superbia. Dicatur quando homo vult facere ad libitum suum, nec vult obedire mandatis divinis, hec est superbia. Dicatur quomodo Lucifer voluit parificar Deo. Ecce sua perditio per superbiam, et sibi consentientium ; nolui stare sub regula sibi a Deo data, noluit humiliare se Dei voluntati, sed voluit facere secundum suam inclinationem. Ecce peccatum et perditio sua. Idem de Adam, cui precepit Deus in signum dominii ne comederet de ligno vetito, sed de aliis. Si tenuisset regulam, bonum fuisset sibi et nobis, quia nullam miseriam, nec tribulationem, nec mortem incurrissemus, quia omnia ista habemus ex suo peccato, sed noluit, et mulier incepit malum dicens : Et quare non comedemus ? et ipse comedit. Et ecce hec sua perditio, et consequenter nostra ex superbia. Ideo dicitur : « Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas. Ratio : In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio », sc. angelorum et hominum. (Thob. 4.) Si ergo per superbiam perditur creatura, quia non vult vivere juxta regulam sibi a Deo datam, per oppositum, sc. quando non vult facere juxta suam voluntatem seu inclinationem, sed juxta Dei ordinationem, invenitur. V. gr.: Quando dicitur : Domine, ego sum inclinatus ad superbiam, pompam, vanitatem, etc., sed quia vos, Domine, precipitis oppositum, ideo volo humiliari. Idem dicatur de aliis peccatis juxta auditorum facultatem. Ideo dicitur : « Inventa ».

Dicatur historia breviter de pastore habente centum oves, et perdidit unam, qua inventa letus dixit : « Congratulamini mihi omnes, quia inveni ovem quam perdideram. » (Luc. 15.) Iste pastor est Christus, centum oves sue sunt humiles et obedientes suis preceptis. Ratio, quia omnia mandata legis in summa sunt decem, et decies decem multiplicando sunt centum, et signat perfectionem decem mandatorum super se ; et perditur una ovis quando exit de grege, et comedendo vadit de herba in herbam. Sic perditur Christianus ovis Christi, cujus ovis clausula est obedientia x mandatorum, que quando preterit, ovis dicitur perdita, et potest dicere cum David : « Erravi sicut ovis que periit », etc. (Ps. 118.) Queritur ovis a Christo quando dat sibi cognitionem de peccatis, et

Digitized by Google

invenit eam, quando dat sibi contritionem de peccatis, et portat in humeris per suam passionem, dicens angelis amicis suis : Congratulamini mihi omnes, etc. Ecce quare dicit : « Inventa. »

Modo videamus quomodo beata Margareta habuit veram humilitatem. Dicatur cum esset filia patriarche Antiochie civitatis, sed parentes ejus erant infideles, tamen habuit nutricem Christianam. Cum autem beata Margareta esset VII vel VIII annorum nutrix predicabat sibi quolibet die Christum, et virginem Mariam, intantum quod secrete beata Margareta fuit baptizata, et fecit votum castitatis. Hoc vero sciens pater, habuit eam exosam eam flagellando ; nec propter hoc voluit adorare idola, propter quod pater voluit eam interficere, sed mater contradicebat. Qua mortua, pater dixit sibi vel quod abnegaret Christum, vel patrem. Et ipsa voluit potius abnegare patrem quam Christum, et potuit dicere cum David : « Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. » (Psal. 26.) Et dimissis ornamentis et vestimentis, recessit de domo patris, et ivit ad domum nutricis pauperrime, que habebat XX vel XXX oves, quas commisit Margarete custodiendas, dicens sibi quod caveret a nemoribus et locis separatis, ne homines eam invenirent solitariam, et sibi nocerent, sed juxta viam in pratis pasceret oves.

Dicatur practice quomodo beata Margareta custodiebat oves, et considerate hic suam magnam humilitatem. Cum ergo esset induta de auro, et ornata Margaritis, pro Christo humiliavit se tantum, induendo se simplici panno. Item primo erat in palatio, nunc in heremo. Item ante comedebat gallinas, modo panem cum caseo ; ante dormiebat in magno lecto, etc., nunc autem cum illa paupere nutrice, etc. Videtur ergo vobis an fuit humilis ? Si bene ergo humilitas facit inveniri personam, et beata Margareta fuit ita humilis ut audivistis, ergo dicit thema : « Inventa », etc. — Moraliter cum volumus humiliari, si non possumus ut beata Margareta que dimisit omnia, ad minus illi qui vadunt nimis pompose in habitu ultra suum statum seu conditionem, dimittant, quia illud non est virtus. Idem de clericis, qui non vadunt in habitu clericali, sed seculari, dimittant. Idem de religiosis, qui non portant habitum suum juxta suam regulam. Ideo dicebat Christus : « Discite a me quia mitis sum, sc. in vita et conversatione, et humilis corde. » (Mat. 11.)

Dico secundo quod habuit sanctam charitatem, que ostenditur cum dicitur : « Una ». Declaratur sic : Charitas proprie est amor Dei ardentissimus, sc. quando persona charitativa omnia que dicit, cogitat et operatur, ordinat ad Deum, ideo dicitur : « Una ». Ratio : Charitas et cupiditas sunt opposita, quia cupiditas spargit cor in rebus mundanis, sed charitas unit et congregat cor, nihil aliud volens nisi Deum. — Dicatur hic exemplum de duabus sororibus, sc. Magdalena et Martha, ad quarum domum cum Christus semel venisset lassus et fessus, Martha

Digitized by Google

satagebat se in exercitio charitatis propter Christum, etc. Magdalena de istis non curans, posuit se ad pedes Christi dicendo : Domine, dicatis mihi aliquod bonum verbum, vel de quo predicastis hodie. Videns Martha quod soror sua sederet dixit : « Domine, non est tibi cure quod, etc., unum est necessarium », id est unitas cordis ad Deum. (Luc. 10.) Patet ergo quod charitas ostenditur cum dicitur : « Una ».

Dicatur quomodo beata Margareta habuit istam virtutem. Unde cum semel juxta viam pasceret oves, et esset XIII vel XIV annorum, decora valde in corpore, sed pulchrior in anima, illac transivit Olibrius prefectus persequens Christianos, qui videns tam pulchram puellam, admirans stetit, dicens : Si ista puella est generosa, ducam eam in uxorem ; sin minus, ducam eam in concubinam ; et fecit eam venire coram se. A qua quesivit tria. Primo nomen suum. Secundo genus. Tertio conditionem. Ipsa autem humiliter respondit dicens : Ego vocor Margareta, id est perla. Dicit prefectus : proprium nomen habet, et pulchrum. Secundo de genere nobili, filia sum patriarche. Tertio de conditione, Christiana sum. Respondit preses : Prima duo sunt convenientia, sed tertium non, quia stultitia est adorare hominem crucifixum, traditum a discipulis, et mortuum in cruce. Respondit Margareta : Et quomodo scitis vos quod Christus sit mortuus in cruce ? Respondit : Quia ita legi in libris Christianorum. Et Margareta : In eisdem libris invenistis quod Christus est Deus et homo, voluit pati in cruce ne sibi credentes et obedientes patiantur in inferno. Et volens Margareta ex causa provocare ipsum ad iram, ut eam odisset, ne perderet virginitatem, dixit : Stultitia est de eisdem libris recipere unum et non aliud. Et ipse indignatus posuit eam in carcere tenebroso. Ecce charitatem quam habuit, non curans de preside, nec de honore, seu promissionibus sibi factis, quia noluit nisi Deum. Et poterat dicere : « Unam petiit a Domino, hanc requiram », etc. (Psal. 26.) — Moraliter hic vos de mundo isto habetis exemplum ut uniatis vos qui habetis cor dispersum in campis, vineis, animalibus, etc., sed ad minus in die dominica oportet vos recolligere. Dicatur quod si servatis festa ut fieri debet, recolligendo cor in die festo, ne cogitet de negotiis vanis, et os ne loquatur de mundanis, sed audire oportet missam completam, et cum silentio, et Deus dabit vobis abundantiam, et omnia vestra plus proficient servando sic festa, quam ex omnibus curis vestris, et Deus custodiet vos a siccitate, mortalitate, fame, etc.

Dico tertio quod habuit firmam stabilitatem, que ostenditur cum dicitur : « Pretiosa ». Tunc persona est pretiosa coram Deo, quando est stabilis et firma in servitio Dei, et nulla occasione dimittit bonam vitam inceptam. Ideo dicitur de martyribus, qui ante eligebant mortem quam dimitterent bonam vitam : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, » propter stabilitatem quam habebant. Dicatur hic quo-

Digitized by Google

modo beata Margareta fuit constans et firma, quia de carcere educta coram preside audacter confitebatur Christum. Ad quam preses dixit quod abnegaret fidem Christi, ut faceret eam magnam dominam, alias eam interficeret. Respondit: Fac quod potes, quia quod dicis ego non faciam. Dicatur hic quomodo preses dedit Margarete quinque tormenta.

Primo denudavit eam. Magnum tormentum est mulieri verecunde, sed ipse fecit ut videret suam pulchritudinem ; et cum virgo verecundaretur, dicebat intra se Christo : Domine, talem verecundiam sustinuistis vos pro me quando fuistis denudatus in monte calvarie, etc. Secundo fuit flagellata, et libenter et patienter sustinuit, cogitans quod Christus etiam fuit flagellatus. Tertio fuit lacerata, et ferro caro ejus cardata, et gentes in circuitu flebant, dicendo quod misereatur sue pulchritudinis. Ipsa respondit : O mali consiliatores, nunquid pro sanitate corporis debeo nocere anime mee peccando ? etc. Quarto lamine ferree ignite fuerunt ejus lateribus applicate, ipsa dicente : « Non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam que revelabitur in nobis. » Patienter sustinuit. Quinto projecit eam in aquam, ut ibi submergeretur, sed ipsa signavit se signo crucis, et secutus est terremotus magnus, ex quo XII millia gentium conversi sunt. Ecce quomodo fuit firma. — Moraliter hic nota contra illos qui incipiunt penitentiam, vel alia bona, et post statim dimittunt. Et dicatur de illis qui perseverant in penitentia, quomodo anima poterit dicere Christo in judicio : « Feci judicium et justitiam. » (Psal. 118.)

Dico quarto quod beata Margareta habuit puram claritatem, cum dicitur : « Margarita », erat enim clara in mente ad cognoscendum secreta Dei, et puritatem vite. Mat. 13 : « Simile est regnum celorum homini negotiatori, querenti bonas margaritas. » Dicatur quomodo beata Margareta habuit claritatem scientie, et puritatem vite. Nam cum fuisset reducta ad carcerem, diabolus volens eam terrere, ut sic territa consentiret presidi, intravit ad eam in forma ingentis draconis, fingens ut eam absorberet, sed ipsa dicendo Jesus, signavit se, et draco crepuit, et recessit. Dicatur hic de virtute signi crucis contra omne periculum, et ostende quomodo populus se debet signare. Ideo dicit ecclesia : « Contra hoc signum nullum stat periculum. » Secundo diabolus iterum intravit carcerem in formam doctoris antiqui, dicens se Christianum esse, volens ei persuadere ut presidi consentiret. Nam si esset sua, multa bona posset facere Christianis. Ipsa vero oravit dicens : Domine quis est iste talia suadens ? etc. Et spiritus qui habitabat in ea dixit sibi : Margareta, diabolus est. Tunc ipsa arripiens ipsum per barbam projecit eum ad terram, et posuit pedem super ejus collum dicens : Quare venisti proditor ? Respondit quod ad decipiendum eam. Et iterum quesivit ab eo : Quare persequeris sic Christianos ? Respondit : Ego non

Digitized by Google

persequor eos, sed ipsemet persequuntur se per invidias suas, et malas voluntates, licet ego de hoc injuste sim diffamatus. Ecce claritatem quam beata Margareta habuit ad cognoscendum ipsum malignum spiritum. Istam claritatem debemus nos habere, cognoscendo spiritum, quando venit ad nos transfigurans se in angelum lucis. Ideo dicit Joannes : « Charissimi, probate spiritus si ex Deo sint. » (1 Joan. 4.)

Et probantur dupliciter. Primo ex parte nostra dicendo : Et quis sum ego, cum sim jam peccator ? etc., Sed in hoc multi decipiuntur, credentes de aliqua illusione quod sit angelus bonus, Christus, vel virgo Maria, etc. Secundo probatur ex parte diaboli, sc. respiciendo quid dicit, quia si dicit contra Dei mandata, sine dubio diabolus est. V. gr., si dicit : Interficiatis vos pro Deo, quia multum sibi placet. Idem de penitentiis indiscretis, a diabolo sunt talia. Ideo probate ut beata Margareta, que noluit credere diabolo, dicenti sibi quod duceret virum, quia contra votum quod fecerat castitatis suadebat.

Dico quinto quod beata Margareta habuit plenam felicitatem cum dicitur : « Abiit », sc. ad gloriam. Dicatur hic ejus martyrium. Quando preses fecit eam venire coram se, videns eam curatam a plagis dixit : O Margareta, magna est patientia deorum, etc. Dicatur ejus passio, qua dicta potest dici autoritas : « Non est vir in domo sua, sc. spiritus in domo carnis. Abiit via longissima, sc. ad celum, sacculum pecunie, sc. meritorum et bonorum secum tulit, in die plene lune, sc. in die judicii reversurus est in domum suam, sc. carnem, per veram resurrectionem » (Prov. 7), quia tunc omnes resurgemus.

Digitized by Google

De beata Maria Magdalena

(Canevas autographe)

Ecce mulier, que erat in civitate peccatrix.
(Luc. 7.)

Nota in beata Magdalena quinque que sunt materia nostre hedificationis :

Primo conversationem criminosam ;

Secundo conversionem virtuosam ;

Tertio perfectionem gratiosam ;

Quarto predicationem fructuosam ;

Quinto contemplationem gloriosam.

De primo, quia rerum affluentiam plerumque voluptas comes assequitur. Deut. 32 : « Incrassatus est... et recalcitravit. » E contrario beata Martha perseveravit in virginitate, patiens fluxum sanguinis duodecim annis secundum Ambrosium. Eccl. 31 : « Infirmitas gravis sobriam facit animam. »

De secundo, nota evangelium Luc. 7.— Moraliter juxta illud Luc. 3 : « Facite fructus dignos penitentie. »

De tertio, prov. ult.: « Multe filie congregaverunt divitias », etc. — Moraliter juxta illud Mat. 19 : « Si vis perfectus esse », etc.

De quarto, nota ex legenda sua, quomodo venit Massiliam et convertit Provinciam. Ps. 44 : « Diffusa est gratia », etc.

De quinto, qualiter in Balma fecit penitentiam contemplando usque in finem. « Maria optimam partem elegit. » (Luc. 10.)

In Festo sancte Marie Magdalene

(Manuscrit de Valence)

Ecce mulier, que erat in civitate peccatrix.
(Luc. 7.)

Sic quomodo totum officium Ecclesie est beate Marie Magdalene, similiter tota nostra predicatio erit de ea. Et credo, si placet Deo, quod erit bona materia pro omnibus. Et ideo recurramus ad advocatam omnium, dicendo : *Ave Maria.*

Digitized by Google

Ecce mulier, que erat in civitate peccatrix.
(Luc. 7.)

Ego cogitando in vita beate Magdalene, inveni in vita sua, quod ipsa habuit quinque conditiones. Et sunt he :

Prima, conversatio vitiosa ;
Secunda, conversio virtuosa ;
Tertia, perfectio gratiosa ;
Quarta, predicatio fructuosa ;
Quinta, contemplatio gloriosa.

Et in qualibet habebimus bonas doctrinas pro nobis. Et propter hoc dicit thema de ea : « Ecce mulier, que erat in civitate peccatrix. »

Ad primam conditionem de conversatione vitiosa. Et istam conditionem, et conversationem vitiosam habuit beata Magdalena propter carnalitatem luxuriosam quam tenuit. Et est ratio : nam propter tribulationes, et angustias, et paupertates quis apropinquatur Deo. Et propter hoc dicit beatus Gregorius : Mala, que nos hic premunt, ad Deum ire nos compellunt. Et concordat authoritas Isaie 26 : « Domine, in angustia requisierunt te. » Sed prosperitates, et delicie, et divitie faciunt elongare, et oblivisci Deum, ut habetur Deuter. 32 : « Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.» Et contigit beate Magdalene ; nam cum non haberet prosperitatem, sed tribulationes et angustias, erat devota Deo ; sed postea cum habuit prosperitates et divitias, fuit facta indevota, et oblita Deo. Et ecce quomodo : Nam ipsa erat filia cujusdam nobilis, et nobilis matris, qui erant divites valde. Et tunc, dum parentes ejus vixerunt, quia tenebatur stricta in doctrina, fuit devota Deo ; sed postea eis mortuis, fuit indevota : quia remansit domina, et potens in divitiis, et habuit opportunitatem peccandi, et peccavit, ut habetur in vita sua.

Sed modo hic venit una questio : quare beata Martha fuit, et vixit semper virgo ; beata Magdalena, luxuriosa, cum essent sorores eorumdem parentum ? — Et dico, quod ideo, ut dicit beatus Ambrosius : nam habebat fluxum sanguinis, de qua loquitur Mat. 9 : « Et infirmitas fluxus sanguinis, facit personam difformem, sc. *grogam* (palidam), et fetentem ; et ideo scutiferi, et milites non curabant de ea, sed de beata Magdalena ; et ideo erravit. Sed modo habemus ex hoc, quod benedicta est infirmitas, per quam custoditur castitas : ut habetur Eccl. 31 : « Infirmitas gravis sobriam facit animam ». Et concordat de beato Paulo, Cor. 12 : « Nam virtus in infirmitate perficitur », sc. ad castitatem servandam.

Ad secundum, de conversione virtuosa. Et hec conversio fuit facta per predicationes Christi, qui tunc predicabat per mundum. Ita dicit sua historia. Sed modo ponamus in practica quomodo. Et dic, in quantum

Digitized by Google

tangit evangelium hodiernum, quod cum audisset quod Christus predicabat, accessit ad predicationem ; non propter devotionem, sed ut videretur ab hominibus : et cum vidisset eam Christus, predicavit contra luxuriam ; et licet verba sua tangerent aures ejus, tamen etiam, et cor : quod secus est in alio predicatore, ut dicit Augustinus. « In celo cathedram tenet, qui corda hominum docet. » Et Gregorius : « In vanum laborat exterius lingua predicatoris, nisi adsit interius gratia Salvatoris.» Et ita beata Magdalena habuit contritionem, et cognitionem de peccatis suis, et flebat. Et cum sciret quod Christus erat invitatus in domo Simonis, accessit ad eum cum unguento, ut continetur in textu evangelii.

Et moraliter. Sumatis exemplum convertendi vos, sicut fecit beata Magdalena. Nam postquam peccaverat per cor pensando vanitates, frangebat ipsum flendo, habendo contritionem. Item, peccaverat per labia, et osculabatur pedes Christi. Item, peccaverat per oculos, et tenebat inclinatos in terram, etc. Et ideo vos si fecistis peccata, per contrarium faciatis penitentiam : nam si peccastis per superbiam, humiliate vos in oratione ; vel per os, orare in ore ; vel per manus, elevate eas in oratione ; vel per corpus in luxuria, cubate in terra, vel super *postem* (tabulam), vel per sparsionem sanguinis, disciplinare se, et effundere sanguinem suum, etc. Luc. 3 : « Facite fructus dignos penitentie. » Et digni fructus sunt, quando penitentia per contrarium correspondet peccatis.

Ad tertium, de perfectione gratiosa. Nam non fecit sicut multe mulieres, que statim revertuntur ad peccatum : nam numquam respiciebat homines in facie, quia cum hominibus peccaverat. Et sequebatur societatem Christi. Luc. 8 : « Sequebantur Jesum, et ministrabant ei de facultatibus suis. » Sed postea cum Christus ascendisset in celum, vendidit omnia que habebat ad hoc ut attingeret perfectionem vite, de qua Mat. 19 : « Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia que habes, et da pauperibus. » Et dedit omnia sua apostolis : nam non poterat invenire magis pauperes quam ipsos. Et vivebat de suis manibus *filando* lanam ad turnum et ad fusum, ut habetur Prov. 31 : « Quesivit lanam, et linum. » Et ideo, *mes filles,* sumatis exemplum de ea, ut habetur ibidem : « Multe filie congregaverunt divitias ; tu supergressa es universas. »

Ad quartum, de predicatione fructuosa. Nom occulte per Jerusalem propter Judeos, predicabat, et convertebat multos ad fidem catholicam. Et Judei tractabant ei mortem ; sed non audebant, quia magni generis erat ; sed tenuerunt modum ut ponerent eam in navi vel in barca, cum sua sorore et aliis, sine victu et provisione, ita ut morerentur. Et per gratiam Dei, in brevi tempore attinxerunt Massilliam civitatem. Et steterunt ibi per tres dies, quod non recipiebantur ; sed per gratiam

Digitized by Google

Dei mediantibus predicationibus suis fuerunt recepti in domo cujusdam : et convertit totam Proensam [*la Provence*]. Et ideo potest dici de ea verbum Sap. 8 : « Doctrix enim est disciplina Dei, et electrix operum illius. »

Sed modo hic venit una questio : quare tunc beata Magdalena, que erat mulier, convertebat gentes infideles ; et nos non possumus convertere malos christianos ? — Respondeo : Ideo quia predicatio beate Magdalene habebat tria ; sc. doctrinam celestialem, vitam spiritualem, opus divinale. Jer. 23 ; « Qui habet sermonem meum, loquatur. » Sed predicatio nostra, non habet ista tria : quia non doctrinam celestem, sed terrenalem, que sonat auribus per cadentias, ut Virgilius, et Ovidius, etc. Nec vitam spiritualem, que est sigillum predicationis ; nec opus divinale ; quia non facimus miracula sicut beata Magdalena ; sed bene facimus miracula *embotils*, id est scandala, sc. cognoscere luxurialiter, etc. Et ideo dicebat beatus Paulus, Rom. 15 : « Non enim audeo aliquid loqui. »

Ad quintum, de contemplatione gloriosa : Nam dimissit officium predicandi, propter legem, et prohibitionem quam fecit beatus apostolus, 1 ad Tim. 2 : « Mulier in silentio discat ». Et rogavit Deum, ut sibi revelaret locum, ubi posset vitam contemplativam habere. Et Deus missit ei angelos, qui portaverunt eam ad locum altum de *la Balma*, et ibi stetit triginta duobus annis, quod non bibit, neque comedit aliquid corporale, nec vidit aliquam creaturam istius mundi ; in tantum quod vestis fuit devastata, et capilli crescebant ei, qui erant loco vestis. Et dic quod dicit historia sua, quod angeli apparebant ei, et videbat eos corporaliter septem Horis canonicis. Et cantabant angeli : et illis septem Horis recipiebat refectionem spiritualem, etc.

Et tunc, per hanc contemplationem gloriosam, pervenit ad contemplationem gloriosam paradisi. Nam angeli denuntiaverunt sibi qua die ascenderent cum ea in gloriam. Et tunc dixit quod portarent eam ad sanctum Maximinum, nam prius volebat recipere corpus Christi ; recordans se de predicatione quam fecerat Christus, in qua dixit Joan. 6 : « Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis... » etc. Et postquam communicavit, statim tradidit spiritum. Et angeli portaverunt eam in celum. Ergo « Maria optimam partem elegit, que non auferetur ab ea. » Et sic : « Ecce mulier, que erat in civitate peccatrix. » Et sum istius opinionis, quod post virginem Mariam, non est adeo sancta et gloriosa quam ipsa, etc.

Deo gratias.

Digitized by Google

De sancta Maria Magdalena

(Recueil imprimé)

Manum suam aperuit inopi.
(Habetur verbum istud originaliter in libro Prov. ult.)

Et sicut tota solennitas et officium hodie est beate Magdalene, ita etiam et sermo noster. Si placet Deo habebimus materias bonas et speculativas pro illuminatione intellectus, et morales pro reformatione vite. Salutetur primo virgo Maria, et resumatur thema.

Intellectus hujus verbi secundum quem ego volo pertractare thema, est quod Christus aperuit manum suam beate Marie Magdalene pauperrime, sc. gratie Dei et virtutum ante suam conversionem. Pro cujus declaratione sciendum quod in scriptura sancta, misericordia Dei quam habet circa peccatores, dicitur manus. Ad hoc est ratio et autoritas. Ratio est ista. Experimentaliter videtur quod si aliqua persona cadit in lutum, aquam, vel ignem, si ab aliquo sublevetur, datur ei manus. Idem quando aliquis cadit in terram per avaritiam, usuram, rapinam, vel furtum, etc., vel in lutum per luxuriam, vel in aliquod peccatum aliud, Christus qui est juxta eum erecte vel recte stans, quia nunquam cecidit per peccatum, extendit manum, sc. misericordiam suam, personam elevans. Autoritas Mat. 14 : Christus existens in mari super aquas tanquam Dominus omnium creaturarum, ad quem dixit Petrus : « Domine si tu es, jube me ad te venire... Modice fidei, quare dubitasti ? Et quia loquitur de manu, innuitur quod persona que cadit et incepit mergi in peccatis, si debet sublevari, oportet ut per manum misericordie Dei elevetur. Idem de David, postquam peccavit cum Bersabea, et occidit virum suum, sc. Uriam, cupiens sublevari dixit : « Fiat manus tua ut salvet me », sc. quasi dicat : cecidi. Patet ergo quod misericordia Dei dicitur manus. Cum ergo Maria Magdalena in sua juventute primo caderet in terram per amorem terrenorum, non curans diligere celestia, cecidit in lutum per luxuriam, etc. Cecidit etiam in superbiam, inquantum volens se clarificare super omnes per suam pulchritudinem, sed Jesus Christus manu sue misericordie eam elevavit. Ideo dicit thema : « Manum suam aperuit inopi. » Nunc patet thema.

Notandum est hic cum dicit : « Aperuit manum. » In manus apertione quinque digiti ostenduntur, quibus lapsus erigitur. Ita de manu misericordie Dei Christi Jesu, in qua aperuit Marie Magdalene quinque digitos eam elevando.

Primus digitus est longa expectatio ;
Secundus benigna conversio ;
Tertius alta promotio ;

Digitized by Google

Quartus spiritualis affectio ;
Quintus celestialis fruitio.

Dico primo quod Christus ostendit Marie Magdalene que ceciderat in peccatum longam expectationem, quia diu eam expectavit ad penitentiam, noluit eam damnare post primum peccatum, nec post secundum. Creditur enim quod XII annis vixit in peccatis, continue addendo peccata peccatis. Et Christus expectabat ovem perditam quasi dicat : adhuc etiam erit sancta et bona. — Ad practicam, dicatur quomodo erat de genere regio, nobilis et generosa. Pater enim ejus erat nobilis baro, et magnus Dominus unius partis Hierusalem. Quandiu vixerunt pater et mater ejus, custodierunt eam bene, sicut debent facere boni patres et matres, ne filie visitentur et truffent cum hominibus, scutiferis, seu militibus. Sed mortuis parentibus, Lazarus, Magdalena, et Martha diviserunt sibi hereditatem. Quando autem Magdalena vidit se liberam, et dominam baronie de Magdalo, neminem timuit, et scutiferi et milites inceperunt eam visitare, et sic paulatim ipsa fuit philocapta de uno secrete, et secrete peccavit cum eo, cogitans : hoc erit secretum. Sed ille tractans illud cum sociis suis, dicebat : Certe ego habui pulchriorem domicellam, etc. O ! dixerunt alii : Postquam chorea est incepta, videamus que sit pulchrior. Et veniebant ad eam dicendo : Certe, nisi mihi consentiatis ego revelabo, etc. Et ex quo prima vice mulier perdidit verecundiam, tunc factum est, non enim habet faciem resistendi. Ideo mulieres resistite in principio, quia postquam verecundia est perdita, de peccato in peccatum ruetis, intantum quod Magdalena perdidit nomen, propter quod dicebatur vulgariter peccatrix, ipsa tamen ignorante, quia nullus sibi dixit. Dicebant tamen gentes : O ! quid erit de ista peccatrice publica, etc. Sed Deus jam expectavit eam ad penitentiam. Ideo Esa. 30 : « Propterea expectat Dominus ut misereatur vestri. »

Moraliter hic cogitate quanta est misericordia Dei expectantis peccatorem, et non statim damnat eum. Dicatur de latrone, de quo factus est jam processus, et data est sententia, sed executio non fit, quia expectat rex ut convertatur, et parcatur sibi, sed ille adhuc adjicit et multiplicat furta ; et si rex adhuc expectaret, stultus magis quam misericors judicaretur. Tamen Christus hoc faciens non reputatur stultus, sed summe misericors. Nam postquam homo peccat, statim fit processus, et scribitur in libro Dei. Autoritas : « Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur » (Psal. 138), et sententia est data : « Anima que peccaverit ipsa morietur. » (Ezech. 18.) Vide misericordiam Dei, quot anni sunt quod tu incepisti peccare, processus fuit factus, et sententia data, tamen executio suspenditur. Dicunt angeli Christo : Domine, iste continue addit malum malis, et multiplicat peccata, etc. Dicit Christus : Expectemus eum adhuc. Ideo Hieremias

Digitized by Google

dicit : « Misericordie Domini, quia non sumus consumpti. » (Thre. 3.) Istam gratiam non fecit Deus angelis. Nam doctores theologici concorditer dicunt quod Lucifer qui tunc erat sanctior Michaele, et angeli mali, tunc, etc., erant sancti, sed postquam peccaverunt, Deus non expectavit eos per annum, nec per mensem, etc., sed statim executio fuit facta, et projecti sunt in infernum irrevocabiliter, intantum quod nec Christi passio, nec incarnatio, nec aliquod opus Christi eis profuit, de quo dicit Christus : « Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem. » (Luc. 19.) Quia sicut fulgur in puncto inflammationis peccati ceciderunt de celo, et nos qui sumus vermes Deus expectat. Videturne vobis maxima misericordia ? Imo pro certo. Et sic patet primus digitus.

Secundum digitum ostendit Deus in secundo opere beate Magdalene, sc. in benigna conversione. Postquam enim diu expectavit, Christus tunc convertit eam, quasi dicat Christus : Oportet quod traham eam, et quod relevem manu mea. — Ad practicam quam tangit evangelium hodiernum cum glosis. Dicatur, quando Christus predicabat, tunc ipsa erat peccatrix, et Christus venit predicare ad locum ubi erat, et cum omnes gentes venirent ad sermonem, dicebant : O ! propheta Jesus debet predicare, vadamus ad eum audiendum. Ipsa etiam venit, et credatis quod ut videretur, ideo venit, et ornata tota. Sed cum Christus predicaret, videns eam, sagittavit in corde, incipiens predicare contra luxuriam, dicens quod pro tam modica delectatione maxima est pena, sc. semper comburi in inferno. Item contra superbiam. Et Maria Magdalena vertebat collum, respiciendo hincinde. Et quando audivit sic Christum predicantem, incepit inclinare caput, et flere, et Christus continuabat predicationem.

Et Christo ordinante quidam invitavit Christum, sc. Symon leprosus, cujus domus erat circa domum Magdalene ; et Christus ut Magdalena haberet majorem occasionem veniendi voluit ut comederent circa januam domus januis apertis. Et Christus voluit tenere dorsum ad januam, ne ipsa verecundaretur intrare. Magdalena autem reversa de sermone ad domum suum, incepit deponere vanitates, et ornamenta, ivit simpliciter cum mantello, et capite nudo, scita prius domo ubi Christus comedebat venit ad Christum. Cogitate quomodo sui scutiferi voluerunt eam associare, sed non permisit. Cogito ego quod quando intravit domum, Simon leprosus dixit sibi : Quid vultis vos hic ? Sed facto signo a Christo sibi, tacuit Simon. Et Magdalena venit retro ad pedes Christi, osculans, et unguento ungens, clamans in corde suo, et flens, dicendo : Misericordia, Domine ! misericordia, Domine ! misericordia, Domine ! quia pro peccatoribus de muliere nasci voluisti. O Domine ! et modo detis mihi indulgentiam delictorum. Ego sum ovis, et venio ad pastorem, infirma ad medicum, immunda ad fontem misericordie et gratiarum. Et sic la-

Digitized by Google

chrymis lavabat pedes Christi, et capillis tergebat. Simon incepit mala cogitare intra se dicens : « Hic si esset propheta, sciret utique que et qualis est mulier que tangit eum. Quia peccatrix est. » (Luc. 7.) Et Magdalena videns quod Christus sibi non loquebatur, dixit in corde : Domine, nunquid parcitis mihi ? Tunc Christus respexit Simonem dicens : Vides hanc mulierem, remittuntur ei peccata multa. » Et nunquid non omnia ? Et Christus dixit sibi : « Remittuntur tibi peccata tua. » Sed iterum potuit dubitare an remittebat sibi penam. Et Christus tunc dixit sibi : « Fides tua te salvam fecit ». Quia si tunc fuisset mortua, propter peccatum nullum habuisset purgatorium. Item adhuc potuit dubitare cum esset juvenis an adhuc caderet in peccata. Tunc Christus dixit : « Vade in pace », quasi dicat : Ego dabo tibi bonam perseverantiam. Ecce infinita misericordia. Dicit Greg.: « Quid miramur, fratres, Mariam venientem, ad Dominum suscipientem ? traxit eam chorda misericordie quam cordi suo alligavit in predicatione. »

Moraliter hic dicatur quod dimittant peccata exemplo Magdalene, et vadant ad Christum in confessione, et confessor tenet locum Christi. Ideo dicit propheta in persona peccatoris : Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Ideo dicit thema : « Manum suam aperuit inopi. »

Tertius digitus est alta promotio, qui est digitus longior. Christus vero nullum despicit, si vero corde redit ad eum, imo honorat, dans gratias et dignitates. Nota quinque officia que Christus dedit Marie Magdalene gradatim post suam conversionem. Primo fecit thesaurariam suam. Magnum officium est, quoniam Christus ibat predicando et non portabat pecunias, sed dicit Marcus quod post sermonem circunspectis omnibus, glosa : si quis eum invitaret ad prandium. Hoc sciens beata Magdalena ditissima sequebatur Christum audiens sermones. Ipsa dicebat hospitalariis : Paretis prandium pro Jesu Christo et suis, et invitate eum, et ego solvam vobis ; et sic exequebatur officium thesaurarie. Autoritas de hoc : « Iter faciebat Jesus... ministrabant ei de facultatibus suis. » (Luc. 8.)

Secundo non deponendo eam a primo officio, fecit eam secretariam suam. Luc. 10 : « Maria sedebat secus pedes Domini Jesu, et audiebat verbum illius. » Ex isto textu habetur quod est secretaria. Non enim legitur quod in isto parlamento fuissent apostoli, nec alii, sed solus cum sola, nec verbum quod Christus sibi dixit fuit scitum, quia nullus evangelistarum ipsum ponit, sed cogito ego quod ipsa petebat a Christo audire de ordinatione et gloria sanctorum. Et Christus dixit quomodo in celo sunt tres hierarchie, et novem ordines angelorum. Item quomodo anime collocantur in illis ordinibus, quomodo in primo ordine collocantur penitentes, etc., super omnes autem ibi mater mea. Credo, quod ipsa

Digitized by Google

petiit de se in quo ordine collocaretur, et forte fuit dictum a Christo quod cum Seraphinis ex ardente charitate. Item petiit de penis inferni, et de purgatorio, et limbo puerorum, et Christus sibi dixit totum. Ecce quomodo fuit secretaria.

Tertium officium fuit quia fecit eam familiarem suam, et sociam matris sue, sc. virginis Marie, que licet esset purior sole, dedit tamen sibi istam in sociam, nec despexit eam, sicut multe caste superbe despiciunt peccatores, et tamen Christus fecit eam familiarem, et sociam matris sue. Ratio, quia Christus ordinavit duas vias ad paradisum. Prima est innocentie, sive de innocentia pura, que recte vadit ad gloriam. Unde dicit David : « Dominus non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. » (Psal. 83.) Alia via est digna penitentia, quia si Deus non ordinasset nisi viam innocentie, desperare possemus nos. Ideo ordinavit secundam penitentiam dicens : « Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. » (Mat. 4.) Per istas vias Deus elegit duas Marias. Prima que ivit per viam innocentie fuit virgo Maria, et ipsam sequuntur omnes innocentes, ipsa portat vexillum. Prima persona que primo ivit per viam penitentie fuit beata Maria Magdalena in novo testamento, ipsa enim fuit capitanea. Ideo hodie cantat ecclesia : Laudemus opus Dei in Maria genitrice, sc. innocentie, laudemus in Maria peccatrice, sc. penitentie. Illa est speculum innocentie, Maria hec est exemplum penitentie.

Quartum officium fuit quod fecit eam apothecariam et medicam suam. Magnum officium est esse medicum vel apothecarium regis vel pape, quia in eorum manibus ponit vitam suam. Hoc officium exercuit beata Maria Magdalena, quando Christo fatigato ex itinere unxit manus, et pedes, et caput. Ideo Joan. 2 : « Maria hec erat que unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis. »

Quintum officium et majus est quod eam fecit apostolam, quod est altius officium et principale. Autoritas : « Nosipsi primitias spiritus habentes. » (Rom. 8.) Glosa : quia tempore prius, et ceteris abundantius. Petrus et Paulus et alii fuerunt apostoli, id est, missi ad peccatores, sed Maria Magdalena apostolorum apostola, sc. missa ad convertendos apostolos dubios de Christi resurrectione. Autoritas : « Vade ad fratres meos, et dic eis », etc. (Joan. 20.) Ideo cantat ecclesia : O vas et margarita prefulgida, que resurrectionem Christi nunciando apostolorum apostola fieri meruisti. »

Quartus digitus manus misericordie Dei fuit spiritualis affectio sive perfectio, que consistit in hoc quod dicit Christus : « Si vis perfectus esse... sequere me. » (Mat. 19.) Hic ponit duo puncta, sc. Vende omnia, ecce paupertas spiritualis. Secundo : Sequere me, ecce hic doctrina evangelicalis. In his duobus consistit perfectio spiritualis. Ista

Digitized by Google

duo habuit excellenter beata Maria Magdalena. Nam post Christi ascensionem, quia jam pro Christo non indigebat pecuniis, vendidit quicquid habuit, et dedit pauperibus, id est posuit ad pedes apostolorum juxta Christi consilium, etc.; retraxit se in parva domo, et vivebat manibus laborando, quolibet die audita missa et sermones ab aliquo apostolorum, filabat lanam vel linum. Autoritas in epistola hodierna : « Quesivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. » Et sequitur : « Manum suam misit ad fortia, sc. laborando, et digiti ejus apprehenderunt fusum. » Et sequitur : « Panem otiosa non comedit. » (Prov. ult.) Nulla ergo mulier dicat : Oportet me ipsam tradere alicui, ut provideat mihi. Idem de monialibus dicentibus : Oportet me habere specialem ut provideat mihi, quia conventus non sufficit, etc., quia beata Maria Magdalena, et etiam virgo Maria providebat sibi, filio suo, et Joseph manibus suis septem annis exul in Egypto, filando, texendo et suendo.

Secundo sequebatur ipsum predicando. Dicatur de persecutione christianorum in Hierusalem post Christi ascensionem, aliquos occidendo, exulando. Et quia Magdalena, et Martha, et Lazarus erant nobiles, noluerunt publice eos occidere, sed miserunt eos in quadam barcha sine provisione aliqua, sine velo, sine remis, ut sic submergerentur, sed beata Maria Magdalena, facto signo crucis pro arbore dicendo : In nomine Patris, etc., et subito de portu Jaffa venerunt ad portum Marsilie. Et inceperunt predicare per Provinciam, et habuit tantam gratiam in labiis suis, propter hoc quot tot vicibus osculata fuit Christi manus et pedes, quod convertit ad Christum totam Provinciam. Ecce spiritualis devotio. Dicit Egesippus doctor antiquus, quod beata Magdalena post conversionem nunquam respexit homines in facie, nisi Christum, et interrogata de causa quare ? respondit, quod propter aspectum hominum fecerat tot peccata. Dicatur hic contra mulieres, que quando sentiunt transire equos, statim faciunt se ad fenestras, etc.

Quintus digitus est celestialis fruitio. Dicatur quomodo post conversionem Provincie cogitavit quomodo posset contemplari ; et in civitate Aquensi oravit dicens : Domine Jesu Christe, recordor quod in domo Marthe ipsa satagebat, et ego contemplabar ad pedes tuos, et tu promisisti mihi : Maria optimam partem elegit, que non auferetur ab ea. Placeat tue mujestati hanc gratiam mihi dare. Et statim angeli venerunt, et portaverunt ipsam de Aquis usque ad Balmam. Et die noctuque ibi contemplabatur, et non habebat ibi aquam, vinum, panem, neque herbas ; et ibi stetit ultra trigintaduos annos quod nihil comedit. De Moyse reputatur ad multum quod XL diebus in monte nihil comedit, etc. Si dicatur : De quo ergo vivebat Magdalena ? Dico quod de cibo celesti. Nam septem horis canonicis, sc. in matutinis, etc., angeli veniebant, et in qualibet hora cantantes vocibus corporalibus elevabant eam. Quelibet

Digitized by Google

petiit de se in quo ordine collocaretur, et forte fuit dictum a Christo quod cum Seraphinis ex ardente charitate. Item petiit de penis inferni, et de purgatorio, et limbo puerorum, et Christus sibi dixit totum. Ecce quomodo fuit secretaria.

Tertium officium fuit quia fecit eam familiarem suam, et sociam matris sue, sc. virginis Marie, que licet esset purior sole, dedit tamen sibi istam in sociam, nec despexit eam, sicut multe caste superbe despiciunt peccatores, et tamen Christus fecit eam familiarem, et sociam matris sue. Ratio, quia Christus ordinavit duas vias ad paradisum. Prima est innocentie, sive de innocentia pura, que recte vadit ad gloriam. Unde dicit David : « Dominus non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. » (Psal. 83.) Alia via est digna penitentia, quia si Deus non ordinasset nisi viam innocentie, desperare possemus nos. Ideo ordinavit secundam penitentiam dicens : « Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. » (Mat. 4.) Per istas vias Deus elegit duas Marias. Prima que ivit per viam innocentie fuit virgo Maria, et ipsam sequuntur omnes innocentes, ipsa portat vexillum. Prima persona que primo ivit per viam penitentie fuit beata Maria Magdalena in novo testamento, ipsa enim fuit capitanea. Ideo hodie cantat ecclesia : Laudemus opus Dei in Maria genitrice, sc. innocentie, laudemus in Maria peccatrice, sc. penitentie. Illa est speculum innocentie, Maria hec est exemplum penitentie.

Quartum officium fuit quod fecit eam apothecariam et medicam suam. Magnum officium est esse medicum vel apothecarium regis vel pape, quia in eorum manibus ponit vitam suam. Hoc officium exercuit beata Maria Magdalena, quando Christo fatigato ex itinere unxit manus, et pedes, et caput. Ideo Joan. 2 : « Maria hec erat que unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis. »

Quintum officium et majus est quod eam fecit apostolam, quod est altius officium et principale. Autoritas : « Nosipsi primitias spiritus habentes. » (Rom. 8.) Glosa : quia tempore prius, et ceteris abundantius. Petrus et Paulus et alii fuerunt apostoli, id est, missi ad peccatores, sed Maria Magdalena apostolorum apostola, sc. missa ad convertendos apostolos dubios de Christi resurrectione. Autoritas : « Vade ad fratres meos, et dic eis », etc. (Joan. 20.) Ideo cantat ecclesia : O vas et margarita prefulgida, que resurrectionem Christi nunciando apostolorum apostola fieri meruisti. »

Quartus digitus manus misericordie Dei fuit spiritualis affectio sive perfectio, que consistit in hoc quod dicit Christus : « Si vis perfectus esse... sequere me. » (Mat. 19.) Hic ponit duo puncta, sc. Vende omnia, ecce paupertas spiritualis. Secundo : Sequere me, ecce hic doctrina evangelicalis. In his duobus consistit perfectio spiritualis. Ista

Digitized by Google

duo habuit excellenter beata Maria Magdalena. Nam post Christi ascensionem, quia jam pro Christo non indigebat pecuniis, vendidit quicquid habuit, et dedit pauperibus, id est posuit ad pedes apostolorum juxta Christi consilium, etc.; retraxit se in parva domo, et vivebat manibus laborando, quolibet die audita missa et sermones ab aliquo apostolorum, filabat lanam vel linum. Autoritas in epistola hodierna : « Quesivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. » Et sequitur : « Manum suam misit ad fortia, sc. laborando, et digiti ejus apprehenderunt fusum. » Et sequitur : « Panem otiosa non comedit. » (Prov. ult.) Nulla ergo mulier dicat : Oportet me ipsam tradere alicui, ut provideat mihi. Idem de monialibus dicentibus : Oportet me habere specialem ut provideat mihi, quia conventus non sufficit, etc., quia beata Maria Magdalena, et etiam virgo Maria providebat sibi, filio suo, et Joseph manibus suis septem annis exul in Egypto, filando, texendo et suendo.

Secundo sequebatur ipsum predicando. Dicatur de persecutione christianorum in Hierusalem post Christi ascensionem, aliquos occidendo, exulando. Et quia Magdalena, et Martha, et Lazarus erant nobiles, noluerunt publice eos occidere, sed miserunt eos in quadam barcha sine provisione aliqua, sine velo, sine remis, ut sic submergerentur, sed beata Maria Magdalena, facto signo crucis pro arbore dicendo : In nomine Patris, etc., et subito de portu Jaffa venerunt ad portum Marsilie. Et inceperunt predicare per Provinciam, et habuit tantam gratiam in labiis suis, propter hoc quot tot vicibus osculata fuit Christi manus et pedes, quod convertit ad Christum totam Provinciam. Ecce spiritualis devotio. Dicit Egesippus doctor antiquus, quod beata Magdalena post conversionem nunquam respexit homines in facie, nisi Christum, et interrogata de causa quare ? respondit, quod propter aspectum hominum fecerat tot peccata. Dicatur hic contra mulieres, que quando sentiunt transire equos, statim faciunt se ad fenestras, etc.

Quintus digitus est celestialis fruitio. Dicatur quomodo post conversionem Provincie cogitavit quomodo posset contemplari ; et in civitate Aquensi oravit dicens : Domine Jesu Christe, recordor quod in domo Marthe ipsa satagebat, et ego contemplabar ad pedes tuos, et tu promisisti mihi : Maria optimam partem elegit, que non auferetur ab ea. Placeat tue mujestati hanc gratiam mihi dare. Et statim angeli venerunt, et portaverunt ipsam de Aquis usque ad Balmam. Et die noctuque ibi contemplabatur, et non habebat ibi aquam, vinum, panem, neque herbas ; et ibi stetit ultra trigintaduos annos quod nihil comedit. De Moyse reputatur ad multum quod XL diebus in monte nihil comedit, etc. Si dicatur : De quo ergo vivebat Magdalena ? Dico quod de cibo celesti. Nam septem horis canonicis, sc. in matutinis, etc., angeli veniebant, et in qualibet hora cantantes vocibus corporalibus elevabant eam. Quelibet

Digitized by Google

elevatio valebat unum bonum prandium, et sic septem vicibus edebat septem carmina. Et dicit beatus Thomas et Gregorius, quod locutio angelorum est secundum rem ad quam se applicant ; et cantus iste angelorum est laudare Deum de gratiis factis Magdalene ; et reperietis ista carmina in hymnis hodiernis.

Cum ipsa surgebat in media nocte de rupe, ubi dormiendo faciebat penitentiam, primo flectebat genua, et signabat se, quia crux est clavis que aperit celum, et incipiebat dicere : *Credo in Deum,* etc., *Pater noster,* et post *Ave Maria;* et post matutinas contemplando in suo spiritu cogitans : Hac hora Christus fuit captus, ligatus, et ductus ad domum Anne ; et finaliter cogitabat de Christi opprobriis. Tunc descendebant angeli, et elevabant eam in aera cantantes : « Lauda mater ecclesia, lauda Christi clementiam, que septem purgat vitia per septiformam gratiam. » Et quando tenebant ipsam in altum, remittebant eam ibidem. Ecce quali cibo angelico vivebat. Secundo hora prima incipiebat orare, et postea contemplari. Cogitabat enim : Hora prima ductus est Jesus ad Pilatum, traditus gentibus, multum accusatur ; in collo percutiunt manibus ligatum, vultum Dei conspuunt lumen celi gratum. Et superfluebat de lachrymis, et angeli ipsam elevantes cantabant : « Maria soror Lazari, que tot commisit crimina, ab ipsa fauce Tartari, redit ad vite limina », sc. ad portas. Ipsa soror Lazari de porta inferni, venit ad portam paradisi. Hora tertia orans et contemplans : Crucifige ! clamitant hora tertiarum, etc. Hec sententia fuit data contra Christum ut inter latrones crucifigeretur, et Joannes annunciavit virgini Marie. Quomodo ergo consolata fuit ? Cogitate quomodo deficiebat. Et tnnc angeli eam elevantes contabant : « Post fluxe carnis scandala, fit ex lebete fiala in vas translata glorie, de vase contumelie. » Post scandala carnis de caldario inferni factum est vas glorie et paradisi, etc. Hora sexta orabat contemplando quod videbat Christum in cruce suspensum, et petentem potum, et quomodo matrem commisit Joanni. Inde cogitans quando, quasi deficiebat ; angeli veniebant, et elevando eam cantabant : « Egra currit ad medicum, vas ferens aromaticum, et a morbo multiplici verbo curatur medici. » Hora nona cogitabat quomodo Christus expiravit, et hely dicens, clamavit. In hac hora petre rupte sunt. Et cum quasi defecisset, angeli veniebant et elevabant eam, et cantando dicebant : « Surgentem cum victoria Jesum videt ab inferis, prima meretur gaudia que plus ardebat ceteris. » Quando Christus resurrexit victoriose, ita vidit eum primo, et ideo fuit ardentior in amando. Hora vespertina cogitabat quomodo Christum deposuerunt de cruce, etc., et sic ab angelis elevabatur cantando ; In thesauro reposita est regis drachma perdita, gemmaque lucet inclita de luto luci reddita. » Ecce que prandia habebat, et vos potestis habere, cogitando in mysteriis Christi passionis.

Digitized by Google

Post hec cum sic transissent XXXII anni, angeli nunciaverunt sibi suam mortem, et tunc ipsa petiit pro gratia a Christo ut angeli portarent eam ad sanctum Maximinum, et de manibus beati Maximini communicavit, et quando vidit hostiam consecratam dixit: Domine, Jesu Christe, ego credo quod sicut fuistis in utero virginis, et estis in celo Deus verus et homo, ita etiam in hac hostia, et in fide ista recipio vestrum gloriosissimum corpus. Et post complevit vitam suam, et sua anima sanctissima ad Christum est ducta. Cogitate si ista tam excellens creatura et gloriosissima, sancta super omnes alias excepta virgine Maria, noluit mori quousque communicavit. Scitis quare? Quia recordabatur de verbo Christi dicentis: Amen, amen dico vobis, nisi... vitam in vobis. » (Jo. 6.) Non fuit secura quousque communicaret. Patet quomodo debetis esse diligentes ad communicandum quolibet anno, cum sit expressum preceptum in quolibet anno in paschate communicare, sed de bono consilio etiam in magnis festivitatibus. Hic est cibus gloriosus qui ducit ad vitam eternam.

Nunc patet quomodo Christus manum sue misericordie aperuit inopi. Placeat ei quod ejus sanctissimis orationibus habeamus hic remissionem peccatorum, et in futuro gloriam eternam.

Digitized by Google

De beato Jacobo

(Canevas autographe)

Unus ad dexteram tuam, in regno tuo.
(Mat. 20.)

Juxta verba thematis nota de beato Jacobo :

Conversio virtuosa quia *unus ;*

Predicatio fructuosa quia *ad dexteram tuam ;*

Et passio gloriosa quia *in regno tuo.*

De primo : Sicut conversio ad mundum dividit et disgregat creaturam in multa, ita e contrario, conversio ad Deum unit et congregat. Deus enim est fons a quo bona cuncta procedunt, et in quo omnia simul habentur. Bona autem in mundo sparsim habentur quasi in rivulis. 1 Cor. 6 : « Qui adheret Domino unus spiritus est. » — Nota quomodo beatus Jacobus in sua conversione reliquit retia, patrem et navem, id est mundi negotia, dyabolum et carnem. Is. 51 : « Unum vocavi eum »,etc.

De secundo : Dextera dicitur intentio celestis, sicut sinistra dicitur mundana. Mat. 6 : « Nesciat sinistra tua quid faciat dextera. » Quia ergo beatus Jacobus semper intentione celesti predicabat, ideo predicatio ejus fuit fructuosa. — Nota ad hoc Joan. 21, quando Jacobo piscanti cum quibusdam aliis Christus dixit : « Mittite in dexteram navigii rete et invenietis. » Unde dicere potuit illud Cant. 2 : « Quia amore longueo... leva ejus », etc.

De tertio : Gloriosa est passio per quam celeste regnum acquiritur. Mat. 5 : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. » Et nota hic ejus martirium, extirpando errorem dicentium oportere ire ad sanctum Jacobum vel in vita vel in morte.

In Festo sancti Jacobi, Apostoli

(Manuscrit de Valence)

Unus ad dexteram tuam in regno tuo.
(Mat. 20.)

Sicut festivitas hodierna tota est de beato Jacobo, sic similiter erit nostra predicatio. Et si placet Deo, erit bona materia, et utilis pro omnibus, et Christianis, et Judeis, et Sarracenis. Sed ut gratia divina

Digitized by Google

intersit in presenti sermone recurramus ad virginem, dicentes: *Ave Maria.*

Unus ad dexteram tuam in regno tuo
(Mat. 20.)

Pro declaratione istius verbi, sciatis, quod iste sanctus apostolus beatus Jacobus, fuit consobrinus Christi, filius Salome, sororis beate Marie virginis, et frater beati Joannis evangeliste: nam ambo erant fratres, et filii Salome. Et ideo beata Maria Salome, quadam die cum esset coram Domino, quesivit unam gratiam ab eo, confidens de consanguinitate, quia consobrini erant Christi : et petiit ut unus staret in regno suo ad dexteram, et alius ad sinistram.

Sed modo hic venit una questio: pro quo petebat dexteram partem, et pro quo sinistram? Et dico, quod pro beato Jacobo, qui erat primogenitus et major, petebat dexteram partem ; et pro beato Joanne sinistram, nam erat secundo genitus. Et ideo de beato Jacobo proposui presens verbum : « Unus ad dexteram tuam in regno tuo. » Et in istis verbis demonstrantur tres excellentie.

Prima, vita spiritualis, quia dicit: « Unus. »

Secunda, doctrina evangelicalis, quia dicit : « Ad dexteram tuam. »

Tertia, gloria celestialis, quia dicit : « In regno tuo. »

Ad primam excellentiam, de vita spirituali, cum dicit : « unus ». Et videamus quid sit vita spiritualis? Et sciatis quod homo quantum ad animam est spiritualis, et quantum ad corpus corporalis : nam de duobus substantiis homo est creatus, ut habetur Gen. 2 : « Formavit igitur Dominus hominem de limo terre, et in animam viventem. » Et ideo homines habent contrarietatem in se, quia de duobus substantiis contrariis sunt compositi : nam caro trahit ad terram, et spiritus ad celestia. Et ideo angeli qui sunt substantie spirituales, non habent hanc repugnantiam, et ideo habetur de nobis ad Galatas 5 : « Caro enim concupiscit adversus spiritum. » Et ideo spiritus debet vincere, et dominari carni ancille, ut habetur ad Rom. 8 : « Fratres, debitores sumus non carni. » Et sic dominando carni per vitam spiritualem, adheremus Domino, et erimus cum ipso unus spiritus. 1 ad Corinth. 6 : « Qui autem adheret Domino, unus spiritus est. » Et propter hoc dicitur in thema : « Unus ».

Et hanc vitam spiritualem tenuit beatus Jacobus, et ideo *Unus*, vincendo, et castigando carnem suam. Et ecce quomodo. Nam cum esset piscator, et piscaretur cum patre suo Zebedeo, et fratre suo Joanne, Christus accedebat per littus maris ; et respiciens ipsos, vocavit beatum Jacobum, et beatum Joannem, ut sequerentur eum. Et statim illuminati obediverunt sibi, et dimisserunt patrem suum carnalem ; nam magis debebant obedire patri anime, quam patri corporis et carnis. Et accedentes ad Christum, prostrati et genuflexi adoraverunt eum. Et ex hoc

Digitized by Google

habemus doctrinam, quod si aliquis vult converti ad Deum, puta intrando religionem, vel aliter sibi servire volendo, potest etiam renuente patre carnali, nam magis est obediendum Deo Patri anime quam patri carnali, qui solum est pater corporis et carnis, et modicum ibi facit. Et ideo beatus Hieronymus requisitus, et consultus per quemdam juvenem, qui volebat ingredi religionem, respondit sibi quod, licet mater sua sparsis crinibus, et veste scissa, et pater in limine janue se poneret, calcaneo posito super patrem, accederet ad Christum. Et idem dico de Judeis, quod si aliquis Judeus habens jam discretionem vult baptizari, quod invitis parentibus potest. Et potest dicere cum David, Psalm. 26: « Pater meus, et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me. » Et ita fecit beatus Jacobus. Et ita *unus,* adherendo Christo, quia « qui adheret Domino, unus spiritus est ».

Et ex hoc habemus moralitatem, pro Christianis, cum dimissit beatus Jacobus rete ; et pro Judeis, cum dimissit patrem ; et pro Sarracenis, cum dimissit naviculam.

Ad primum, de Christianis. Nam sicut beatus Jacobus volens adherere Christo reliquit rete ; ita Christiani volentes adherere Christo debent dimittere rete avaritie, in quo diabolus recipit animas damnatas per rapinas, et furta, et dolos, et deceptiones. Et de isto rete diaboli habetur Habacuc 1 : « Totum in hamo sublevavit. » Et ideo faciatis restitutionem, et ita dimittetis rete avaritie, sicut dimissit beatus Jacobus patrem.

Et istud tangit Judeos, qui debent dimittere patrem suum, et Christo vero Messie adherere. Nam licet ante adventum Christi essent filii Dei, ut habetur Exod. 4 : « Hec dicit Dominus : Filius meus primogenitus Israel » ; tamen, quia non crediderunt adventum Christi, receperunt patrem demonem, ut habetur Joan. 8 : « Vos ex patre diabolo estis. » Et ideo relinquatis talem patrem, sc. diabolum, et recipiatis Christum verum Messiam, qui jam venit, ut habetur Deuter. 18 : « Prophetam de gente tua. » Et tunc poteris dicere cum David : « Pater meus, et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me. »

Ad tertium, quod dimissit naviculam. Et istud tangit Sarracenos, qui debent dimittere naviculam, id est legem Mahometi. Nam sicut illa navicula erat parva ad navigandum, ita navicula parva, id est *Moschea* Mahometi, non potest portare aliquem ad paradisum, sed omnes ad infernum ; ut apparet in quodam exemplo, quod debet movere multum corda vestra. Nam fuit revelatum cuidam Mahometano, qui faciebat orationem, ut Deus eum illuminaret, quam legem deberet tenere ut salvaretur, quod quoties sonabatur tuba ad Moscheam Sarracenorum, Mahomet cum catena, etc [*sic*]. Matthei 9 : « Ascendens in naviculam, transfretavit. »

Digitized by Google

Ad secundum de doctrina evangelicali, ideo quia dicit : « Ad dexteram tuam. » Nam per predicationem evangelicalem, Deus amplexatur personas, ut convertantur. Et ideo habetur Cantic. 2 : « Leva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. » Et hanc excellentiam de doctrina evangelicali exercuit beatus Jacobus per totam Hispaniam, et convertit totam : nam Pater est *Castellanorum*. Et cum quidam Judei magnates nollent converti per suas predicationes, imo dicebant quod erat filius piscatoris, venerunt ad disputationem, et disputaverunt quinque questiones, etc.

Ad tertium, de gloria celestiali, quam attigit beatus Jacobus propter martyrium. Et magis digne consequitur per martyrium, quam per innocentiam baptismalem, vel afflictionem penitentialem. Ad hoc habetur Matthei 5 : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justiciam. » Et fuit decapitatus, etc.

Deo gratias.

De sancto Jacobo, apostolo

(Recueil imprimé)

Crescit in templum sanctum in Domino.
(Eph. 2, recitative autem in epistola hodierna, etc.)

Pro brevi declaratione hujus verbi, et introductione materie nostre sciendum quod invenitur in sancta scriptura satis clare ista differentia inter vitam bonorum, justorum, et malorum, quia vita justorum, bonorum semper crescit et augmentatur, malorum vero decrescit et minuitur. Dicit enim textus : Justorum autem semita, id est stricta via penitentie, timoris Dei et devotionis, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem, via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. » (Prov. 4.) Nota : quasi lux splendens procedit. Nam ex quo exit, continue ascendit, et magis clarescit hora prime quam in aurora, et hora tertie quam prime, et sic deinceps. Ita est de vita justorum, continue crescit. Ratio hujus differentie, bonorum sc. et malorum, est quia persone juste sunt in gratia Dei : ecce hix lux. Et quicquid operantur, deliberant, sive sint cogitationes cordis, sive locutiones oris, sive operationes corporis, imo quod plus est, opera naturalia sunt eis meritoria. De cogitationibus et aliis non est dubium, ex quo sunt in gratia, sed de operibus naturalibus ut comedere, ut possint servire Deo. Idem de dormitione. Etiam risus, ut post possit flere, totum est meritorium, intantum quod una bona persona semper ascendit ; melior est hodie quam heri, et cras quam hodie. Ideo apostolus assignat rationem cum dicit : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. »

Digitized by Google

(Rom. 8.) Etiam preterita peccata ut dicit glosa : Ratio, quia quando cogitat peccata commissa, persona justa fit humilior, ideo vertuntur sic ad meritum occasionaliter. Sed peccatores non ascendunt, imo descendunt de peccato in peccatum. Greg.: « Peccatum quod per penitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. » Ecce differentia inter bonos et malos. Ideo volens vobis ostendere vitam sanctam et perfectam beati Jacobi, recepi thema de crescentia, quomodo sc. vivebat in hoc mundo, dicens : « Crescit in templum sanctum in Domino. » Patet thema. Et sum modo in materia predicanda. Et invenio quod beatus Jacobus crevit in tribus gradibus :

Primo crevit in discipulum apostolicalem ;
Secundo crevit in legatum evangelicalem ;
Tertio in habitatorem celestialem.

Tres saltus quos fecit usque ad celum subtiliter tanguntur in themate.

Dico primo quod beatus Jacobus crevit in discipulum apostolicalem, cum alias fuisset multum sanctus, et hoc tangitur cum dicit : « Crescit in templum. » Nam doctrina est theologie, quod persona existens in bona vita est templum Dei, quia Spiritus Sanctus habitat in eo, et non est major honor et utilior quam tenere regem et papam Jesum. De hoc dicit apostolus : « Nescitis quia templum Dei estis vos », etc. (1 Cor. 3.) Modo audite quoniam beatus Jacobus ascendit ut esset discipulus apostolicalis. Dicatur quomodo erat frater Joannis, et filius Zebedei, qui cum semel essent ad mare Galilee, Christus illac transiens vocavit eos, dicens : Juvenes, venite, sequimini me. Et tanta fuit virtus hujus verbi, quod fuerunt illuminati in intellectu, et calefacti in corde, et statim « relictis retibus et patre secuti sunt eum. » (Mat. 4.) Ecce quomodo crevit de piscatore in apostolum Christi.

Moraliter Jacobus veniens ad Christum dimisit retia et patrem. Hic dat exemplum nobis religiosis maxime, qui debemus sequi Christum, quod dimittamus retia, id est retinentia, secundum etymologiam, sicut sunt negotia et occupationes mundane, que retinent religiosos, clericos, et laicos, qui non possunt ad Christum venire. V. gr. de religiosis : Major laqueus quem habet diabolus ad illaqueandum religiosos sunt negocia, ut ponat ipsos in negociis, ut dimittant predicationem sub aliquo colore, vel tractandi pacem, vel tractandi matrimonia, ibi ponunt seipsos, vel visitant ut habeant familiaritates, vel ambasiatas domiuorum. Multi cum magno fervore incipiunt sanctam vitam et predicationem bona intentione, sed diabolus in predictis illaqueat eos, etc., que, licet sint bona, tamen dimittunt optimum, sc. predicationem, quod est officium precipuum in Ecclesia Dei. Ab istis cavebat apostolus, qui predicabat infidelibus ut baptizarentur, qui propter devotionem volebant ab eo baptizari. Jam videtis baptizare quod bonum est, tamen dixit : « Non

Digitized by Google

enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare » (1 ad Corinth. 1), ac si diceret : Gratias ago Deo meo quod neminem occidi. Item dixerunt apostoli : « Non est equum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis. » (Act. 6.) Et tu, religiose, ponis te in negociis, etc., dimittantur retia, etc. Et concordat scriptura dicens religiosis : « Fili, ne in multis sint actus tui, et si dives fueris contra votum paupertatis, non eris immunis a delicto. » (Eccl. 11·) Nota : ne in multis sint actus tui. Multa sunt tria vel quatuor, etc., et duo non sunt multa. Duo habet facere religiosus, celebrare sc. et predicare. Ista duo ostendit David psal. 106, dicens : « Et sacrificent sacrificium laudis », ecce missa, que includit officium totum septem horarum canonicarum. « Et annuncient opera ejus », ecce predicationem in exultatione, que quidem predicatio includit studium. Si dicat religiosus : ergo non potero habere pecunias. Respondet : Quia si dives fueris, non eris immunis a delicto. Idem de clericis, quia multi sunt illaqueati in negociis : alii ponunt se in negotiis in domibus dominorum, alii faciunt se procuratores, alii sunt scutiferi, et associant milites, etc., alii mercatores, alii usurarii, etc. Ideo apostolus contra tales dicit : « Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus. » (2 ad Tim. 1.) Tria negocia potest clericus exercere, sc. celebrare, sacramentum ministrare, predicare, vel precepta prelati servare. Item laici sunt multi illaqueati, quia sunt multi mercatores, qui si non haberent partem in omnibus societatibus nihil esset. Idem etiam de Juristis, qui de omnibus litigiis intromittunt se, quando dicitur de mercatore : O ! nihil fit sine eo. Idem de tali cive vel jurista, quia licet vos, seculares, habeatis negocia que pertinent ad domum et ad providendum domui, et dimittitis negocia superflua, etc.

Dicatur historia de illo magno mercatore subtili, et illaqueato in multis negociis, cui dixit Deus : « In multitudine negociationis tue... et perdidi te, o Cherub. » (Ezech. 28.) Ibi incipit constructio : O Cherub, id est plenitudo scientie ad negociandum, etc. Ideo exemplo beati Jacobi dimittantur retia, alias ecce quid dicit Christus : « Attendite vobis ne graventur corda vestra », etc. (Luc. 21.) Secundo dimittendus est pater, sc. ille de quo dixit Jesus Christus Judeis : « Vos ex patre diabolo estis. » (Joan. 8.) Dicatur quomodo genuerat filios de mala uxore, quam duxit a principio, sc. de inobedientia. Dicatur quomodo erat creatus in magna dignitate, et tunc erat sanctior Michaele. Sed quia fuit inobediens, volens Deo parificari, tunc duxit illam uxorem, et de eadem dicta uxore genuit ultra mille millia de filiis, sc. demones sibi in peccato obedientes et consentientes. Deinde de eadem uxore generavit Adam et Evam, et hodie quotidie generat, quando sc. tentat homines quod faciant contra Dei precepta. Cum talia senseritis, statim ite post Christum, et poteritis dicere cum David : « Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. » (Ps. 26.)

Digitized by Google

Dico secundo quod beatus Jacobus crevit de discipulo in legatum evangelicalem, quod ostenditur cum dicitur : « Crescit in templum sanctum, » quia licet omnes canonizati sint sancti, plus tamen et excellentius apostoli. Sopho. I : « Sanctificavit vocatos suos », sc. apostolos, quos principaliter vocavit ipse. Dicatur quando Christus debuit ascendere in celum in die ascensionis, vocatis apostolis fecit eos legatos evangelicales, dicens : « Euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature. » (Mat. ult.) Modo quis fuit primus apostolorum qui hanc legationem exequebatur eundo per mundum ? non Petrus, nec Andreas, nec Joannes, etc., sed Jacobus iste. Unde euntibus in Hierusalem virgine Maria et apostolis, beatus Jacobus recepta ab eis licentia venit in Hispaniam, predicans de Christo, quia Christus dixit eis : « Eritis mihi testes in Hierusalem », etc. (Act. I.) Ideo beatus Jacobus venit ipsum testificari a finibus terre. Patet ergo sua legatio evangelicalis. Diceret hic aliquis : Verum est quod primo venit in Hispaniam, sed parum boni ibi fecit, quia solum novem discipulos ibi convertit. Dicatur quod sicut Christus convertit duodecim apostolos, qui fuerunt XII grana tritici ad fructificandum, quia totum mundum converterunt, ita beatus Jacobus. Nam illi novem discipuli fuerunt novem grana fructificantia, quia totam Hispaniam converterunt. In hoc tenuit consilium Christi dicentis : « In hoc clarificatus est pater meus », etc. (Joan. 15.)

Secundo rediit in Hierusalem, ubi adhuc invenit alios discipulos sive apostolos congregatos, et incepit ibi disputare contra Judeos, et Hermogenem incantatorem. Qui surrexerunt contra eum discendo : Disputemus cum eo, ipse nunquam studuit, et vult predicare, etc. Dicatur quomodo beatus Jacobus predicabat de trinitate, quomodo erat unus Deus in essentia, et trinus in personis, etc., probans hoc rationibus, et autoritatibus, et miraculis. Sed Judei et doctores contra eum dicebant deridendo : Bene videtur quod vos estis piscator. Et nunquid dicit scriptura : « Audi, Israel : Dominus Deus tuus unus est. » (Deut. 6.) Dicatur quomodo respondebat eis, dando similitudinem de sole uno, ubi est pater generans, sc. substantia, et filius, sc. radius genitus, et Spiritus Sanctus, sc. calor. Item in dicta autoritate ponuntur tria vocabula, sc. « Dominus », quod est nomen potentie, que patri attribuitur, « Deus » nomen sapientie, que filio appropriatur, « tuus » nomen bonitatis, que Spiritui Sancto attribuitur. Secundo predicavit quod Christus est Deus et homo, et Judei contra, quia illud est contra istud scripture, psal. 80 : « Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens. » Respondeo quod licet Christus incepit esse homo recens, non tamen incepit esse Deus recens. Dicatur similitudo de filio regis vel imperatoris XXX annorum quando fit miles, non tamen fit noviter filius regis, etc.

Digitized by Google

Tertio quando predicavit de Christi passione, tunc Judei contra: Quare hoc? cum Moyses dicat: « Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.» (Exo. 15.) Et preterea si Deus fuisset omnipotens, quid oportebat pati et mori? nonne potuit remittere omnibus dicendo: Simus amici decetero? Respondeo quod in Deo essentiallter sunt misericordia et justitia, quia sua essentia est, in nobis vero accidentaliter. Et ergo sicut Deus non potest dimittere suam essentiam, ita nec suam misericordiam et justitiam. Si omnibus pepercisset, ubi esset sua justitia? Si omnes damnasset rigore sue justitie, ubi fuisset sua misericordia? Ideo voluit servare modum, ut simul ostenderetur sua infinita misericordia, et sua justitia. Misericordia fuit ostensa, quia voluit pati innocens et sine culpa. Justitia vero solvens precium sufficientissimum, etc.: « Vere languores nostros ipse tulit », etc. (Esa. 53.)

Quarto quando predicabat de sacramento altaris, etc., et Judei contra. Vos dicitis quod gentes veniant ad vestrum sacrificium, et facietis eos adorare panem et vinum, cum tamen scriptura dicat: « Dominum Deum tuum adorabis.» (Deut. 6.) Respondeo quod a principio mundi usque ad finem Deus voluit in forma corporali adorari, cum Deus in sua substantia non posset videri, ut tempore Moysi in arca, in nube, etc., et modo in figura ista. Panis dat vitam. Et de panis ordinatione dixit David: « Exaltate Dominum Deum vestrum, » hoc dicitur clericis; « et adorate scabellum pedum ejus », id est hostiam consecratam, hoc dicitur toti populo. Sic Judei non poterant contradicere sibi, imo vicit eos beatus Jacobus, et fuit completa prophetia Christi dicentis: « Ego dabo vobis os, id est eloquentiam et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. » (Luc. 21.)

Tertio dico quod crevit in habitatorem celestialem, quod ostenditur cum dicitur: « Crescit in Domino.» « Quis similis tui, popule meus qui salvaris in Domino? » (Deut. 33.) Hoc specialiter dicitur apostolis. Sicut beatus Jacobus fuit primus apostolus, qui exercuit legationem evangelicam, ita fuit primus de apostolis qui intravit paradisum. Et posset hic fieri talis consequentia, quia sicut dicitur Jacobus major, quia primo fuit discipulus Christi quam alter Jacobus, licet alter esset antiquior dierum, ita etiam primo intravit paradisum, et potest dici major aliis apostolis.

Dicatur ejus martyrium. Videntes Judei quod non poterant eum superare disputationibus, recurrerunt ad Herodem regem noviter venientem, qui cupiens placere Judeis, dedit sententiam decapitationis contra beatum Jacobum. Dicatur cum duceretur ad martyrium, quomodo curavit unum hydropicum, etc.

Digitized by Google

De sancta Anna, matre B. V. Marie

(Recueil imprimé)

Habebitis fructum vestrum in sanctificatione.
(Verbum istud habetur originaliter ad Rom. 6, et recitative in epistola currentis solennitatis.)

Festum et solennitas hodierna est illius benedicte et sancte matris virginis Marie beate Anne. Et sicut officium misse fit de ea, ita erit et sermo noster. Et si placet Deo de vita sua habebimus multas bonas doctrinas ad peccatorum correctionem, et animarum nostrarum instructionem et bonam informationem. Sed primo salutetur filia sua virgo Maria.

Verbum propositum presento ego beate Anne dicens : Vos, beata Anna, habetis fructum vestrum, sc. virginem Mariam in sanctificationem vestram. Pro cujus declaratione sciendum quod questio est inter multas personas, quare sancta mater Ecclesia et populus christianus non facit festum de patre virginis Marie sancto et justo, vocato Joachim, sicut de matre ejus beata Anna. Respondeo quod licet Joachim fuit sanctus et benedictus amicus Dei, tamen majoris sanctitatis fuit beata Anna. Ratio, quia majorem participationem habuit cum virgine Maria filia sua. Pater vero modicum participat cum filiis, sed mater que novem menses portat, et post nativitatem lactat, nutrit, dormit cum eis, et osculatur. Quia ergo beata Anna habuit majorem participationem cum virgine Maria filia sua fonte totius sanctitatis, que jam in utero matris existens erat sancta, cogitate ergo quanta sanctitas remansit in beata Anna que ipsam portavit et nutrivit, dando sibi illa que habebat, virgo Maria dabat matri sanctitatem, ideo fuit sanctior, perfectior et spiritualior Joachim viro suo. Nota similitudinem ad hoc de rosa, que colligitur ab uno, et datur alteri, et ille eam portat, et tenet in manu clausam, in quo ergo remanet plus de odore illius rose vel pomi, in dante an recipiente? Certum est quod in recipiente. Ita rosa paradisi et pomum virtutum virgo Maria per Joachim fuit data beate Anne per generationem, et beata Anna recepit, portavit, nutrivit, et tribus annis lactavit, plus ergo remansit in ea de odore sanctitatis. Ista est ratio quare sit festum de beata Anna. et non de Joachim. Et ecce autoritas, que bene facit ad propositum : « Letamini justi in Domino, sc. vos Christiani, et confitemini memorie sanctificationis ejus », sc. sanctitatis beate Anne. (Psal. 96.) Istam rationem tangit thema dicens : Habetis fructum vestrum in sanctificationem vestram majorem quam pater ejus Joachim. Patet thema.

Digitized by Google

Invenio quod beata Anna habuit fructum suum, sc. virginem Mariam matrem Domini Jesu Christi, sc.:

Desiderando longe ;

Sperando certe ;

Conservando digne.

Dico primo quod beata Anna habuit fructum suum, sc. virginem Mariam desiderando longe. Dicit beatus Hieronymus : Beatus Joachim nobilis homo ex civitate Nazareth, et Anna nobilis de genere David ex civitate Bethleem fecerunt matrimonium, et fuerunt xx annis sine fructu matrimonii, non habentes prolem. Ratio erat ex parte Anne, que erat sterilis et infecunda. Ita erat frigida, quod sua complexio refutabat ne conciperet, propter quod satis tristabantur. Ratio, quia ad procreationem prolis matrimonium est ordinatum, quia totum aliud non valet unum denarium. Videntes ergo quod virtute naturali non poterant obtinere prolem, tenuerunt quatuor modos, ut virtute Dei obtinerent :

Primo per devotas orationes ;

Secundo per largas eleemosynas ;

Tertio per multa jejunia ;

Quarto per votum et promissionem.

Pro primo ibant frequenter ad templum orare, ut Deus daret eis fructum matrimonii, quia ille est finis, quia ideo arbores plantantur in horto ut faciant fructum ; et dixerunt : Ita, Domine, vos posuistis nos in horto matrimonii, etc. Et plorantes petebant prolem. Unde cum semel beata Anna in horto videret nidum cujusdam avicule, beata Anna flens dixit Deo : O Domine, huic avicule dedistis tot filios, quibus cum magno labore providet. Domine, da mihi prolem aliquam. — Ecce primum modum recurrere ad Deum orando, quia nullus alius potest dare filium vel filiam, quia requiritur ibi creatio. Nam Deus format corpus in utero matris, ac si tu de terra vel luto formares imaginem, deinde creat animam de nihilo. Hoc sciens Job dixit : « Manus tue Domine fecerunt me, et plasmaverunt me, et non pater nec mater, totum in circuitu. » (Job. 10.) Modo habetis cognoscere quod peccatum est multorum, qui quando non possunt habere prolem de suo matrimonio, recurrunt ad divinos, sortilegos, etc, Ideo penitemini, et confitemini, et petatis a Deo, quia infallibiliter si fructus matrimonii sit utilis anime vestre, dabitur vobis. Autoritas Christi de hoc : « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. » (Joan. 16.) Nota in nomine meo, quod est Jesus, id est salvator. Petitur ergo in nomine Salvatoris, quando homo petit rem utilem ad salvationem, et non ad damnationem.

Secundo Joachim et Anna petebant prolem a Deo per eleemosynas, quia dixit angelus Thobie : « Bona est oratio cum jejunio et eleemo-

Digitized by Google

syna. » (Thob. 12.) Et quia ipsi erant divites, non de usuris, sed de suis possessionibus. Et dicit Hieronymus quod faciebant tres partes de suis bonis. Primam dabant Deo. Secundam peregrinis, orphanis, et pauperibus. Tertiam retinebant sibi et familie domus. Nota quomodo dividebant suum frumentum. Primam partem mittebant templo, secundam apportabant pauperibus, tertiam pro se. Idem de vino, oleo, et aliis. Isto modo oratio juvatur eleemosynis, et econverso. Ideo dicit scriptura : « Ex substantia tua fac eleemosynam », etc. (Thob. 4.)

Moraliter habetur hic doctrinam, quod si non potestis facere tantas eleemosynas ut tenemini, nec cor sufficit, solvatis ad minus decimas et primitias. Sunt aliqui qui dicunt : O ! dabo ego bona mea malis clericis, concubinariis ? non certe. Dicatur quod Deo dantur, et non eis. Si autem Deus tenet malos clericos, ipse castigabit eos, et ex hoc non debetis sibi auferre jus suum. Quia si rex tenet malos scutiferos, non ex hoc auferuntur sibi redditus, quia alias reciperet sibi in commissum. Ita et Deus, quia « Domini est terra, et plenitudo ejus », etc. Et ipsam nobis concessit pro censu annuali, et in signum Dominii retinuit sibi decimam, sed ipse non comedit, sed dat suis servitoribus. Et quando solvitur bene, custodit et conservat, alias totum perditur. Quando vos creditis habere bladum vel vinum : Non ! dicit Deus, quia male mihi solvistis, totum vastabo. Ideo veniunt tempestates, grandines, etc. Ideo Malach. 3, dixit Deus : « Vos configitis me in decimis, et primitiis »,etc. Remedium hoc est : « Inferte omnem decimam in horreum meum », etc. Nota : Inferte. Non dicit quod dimittatur in vineis et campis, ut comedant bestie, porci, etc. Item si non potestis facere tantas eleemosynas ut beata Anna, ad minus restituatis furta, usuras, rapinas, solidatas, et damna. Ideo Jacob ait : « Ego omne damnum reddebam », etc. (Gen. 3.)

Tertio petebant cum jejuniis, licet essent nobiles et delicati, tamen omnia jejunia et precepta servabant, et etiam alia, dicendo : Ut de carne nostra exeat fructus matrimonii, faciamus fructum jejuniorum. Et poterat dicere uterque : « Humiliabam in jejunio animam meam. » (Psal. 34.) — Moraliter habetis hic doctrinam ut servetis jejunia ecclesie. Ad hoc maxime tenentur illi qui possunt habere unam bonam refectionem. Aliqui laboratores excusant se a jejunio ecclesie, qui tamen non excusantur si non audiunt missam jejuni. Item ne bibant in tabernis in loco ubi habetis domum. Ideo apostolus : « Nunquid domos non habetis ac manducandum et bibendum ? » contra illos qui bibunt in tabernis : « Aut Ecclesiam Dei contemnitis ? » contra illos qui non veniunt jejuni ad missam. (1 Cor. 11.)

Quarto petebant prolem a Deo per promissiones, quia simul Joachim et Anna fecerunt votum quod si Deus daret eis fructum matrimonii, servirent Deo in templo. Sicut si vos modo promitteretis quod esses reli-

Digitized by Google

giosus vel religiosa. Sed multi damnantur ex promissionibus et votis, facientes vota, et non curant complere. Majus peccatum est fractio voti aliquo modo, quam homicidium, quia est infidelitas. Ergo ait sapiens, Eccl. 5 : « Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere », etc. Quando sunt juvenes, faciunt aliquod votum, vel eundi ad sanctum Jacobum, etc., et transeunt de anno ad annum, et non curant complere, et quando sunt senes, petunt dispensationem in voto. Quando ponitur certum tempus, intra illud debet compleri. Si autem non ponitur tempus determinatum, intelligitur quod statim compleant. Et quia sunt multi qui non curant de Deo, ideo damnantur. Ideo cavendum est a votis. Patet ergo quomodo fructus beate Anne fuit in sanctificationem longe desiderando.

Dico secundo quod beata Anna habuit fructum suum, sc. virginem Mariam, sperando certe, quando fuit certificata per angelum, quem Deus sibi misit. Pro quo nota hic historiam quomodo Joachim et Anna venerunt de Nazareth in Hierusalem ad templum, ut offerrent secundum consuetudinem. Quando Joachim qui erat nobilis baro voluit offerre, sacerdos respexit eum dicens : Et quis es tu ? — Respondit : Pater ergo sum Joachim servitor vester, qui veni offerre, et sacerdos. — Certe non recipiam oblationem vestram, quia vos estis maledictus a Deo, quia non habetis prolem, signum ergo est quod aliquod peccatum secretum est in vobis. — Et ait illi Joachim : Pater, nescio in me aliquod magnum peccatum, licet non possim excusari a peccatis, quia non habeo prolem, et hoc bene displicet mihi. — Et ait ei sacerdos : Recedatis a templo. — Et Joachim respondit : Pater, non faciatis mihi istam verecundiam.— Et ait sacerdos : Certe nisi recesseritis, ego non faciam officium nec sacrificium. Tunc Joachim cum magna verecundia exivit de templo. Si ita vellet modo facere sacerdos, sc. expellere aliquem de ecclesia de nobilibus, statim diceret scutifer : Per corpus meum talis morietur, etc., ego inveniam eum. Sed Joachim patienter recessit, et non ivit ad domum ex verecundia vicinorum, sed ivit ad pastores suos ad sylvam, et ibi flens orando dicebat : O Domine ! quod peccatum est meum, quia ita sum maledictus ? etc.

Uxor autem ejus Anna que erat in templo, quando audivit quod sacerdos ita contendebat cum viro suo, videns quod vir suus recesserat de templo, statim uxor ut confortaret virum suum, et refrenaret eum, ne noceret sacerdoti, exivit de templo, et ivit ad domum. Hic habent exemplum mulieres, quomodo debent consolari viros suos, qui ex negotiis tristantur, et quando veniunt ad domum, uxores debent eos consolari. Sed sunt alique que non consolantur eos, sed magis contristant. Quando autem beata Anna fuit in domo, et non invenit ibi virum suum, tunc transivit sibi totum desiderium de creaturis. Et flexis genibus oravit pro viro suo sancto et justo ut Deus eum conservaret. Ecce

Digitized by Google

sancta uxor. Dum autem Joachim sic orando fleret in deserto, apparuit sibi archangelus Gabriel, et Joachim timuit, quia ista est conditio spiritus, quia caro non potest sustinere presentiam spiritus, sed conditio boni spiritus est statim consolari, dicens sibi : Ecce orationes tue sunt exaudite. Ex illa patientia quam habuisti Deus misit me ad te, ut nunciem tibi quod tu de uxore tua habebis unam filiam, non filium, que erit melior cunctis filiis, et erit mater regis Messie regis celi, etc. Et in signum hujus vade in Hierusalem, et in porta deaurata invenies Annam uxorem tuam, quia ego ista etiam nuntiabo sibi. Et angelus recessit, et apparuit Anne in domo flenti, quia nihil sciebat de viro. Bene poterat dicere angelus illud : « Vos contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. » (Joan. 16.) — Moraliter secundum quod dixi in prima parte, Joachim et Anna steterunt viginti annis, orantes, eleemosynas dantes, jejunantes, et voventes, et cum toto hoc non obtinuerunt prolem. Et quia in ista verecundia a sacerdote sibi facta habuit patientiam, statim habuit promissionem de prole. Ex quo sequitur quod melior est patientia quam orationes, eleemosyne, jejunia, vel promissionem coram Deo. Modo cogitate hic, quia si vultis habere patientiam in injuriis vel factis, ista virtus valet plus apud Deum ad obtinendum illud quo indigetis in hoc mundo, et salvationem in alio, quam aliquid aliud. Ideo ejicite foras rancores, odia, et malas voluntates. Ideo dicit scriptura sancta : « Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. » (Heb. 10.) Ecce qualiter beata Anna habuit fructum suum in sanctificatione sperando certe, etc.

Dico tertio, etc., conservando digne, sc. tripliciter. Primo in utero, in quo formato corpore et creato spiritu a Deo, in eadem die et hora fuit sanctificata. Novem mensibus fuit in utero matris sancta et benedicta, et mater ejus beata Anna cavebat quod non equitabat hincinde ut viri, cavebat a tripudiis, quia his multe mulieres perdunt thesaurum eis commissum. Secundo conservavit post nativitatem ipsam lactando. Ita faciebant sancte mulieres antiquitus. Sed modo statim dicit viro uxor : Habeatis nutricem, et hoc facit ut ipsa possit ostendere ubera, etc. Nolunt dare lac filio, et dant canicule, et male faciunt, quia sicut uterus est camera prolis, sic ubera cellarium ipsius debent esse. Sed beata Anna ipsamet voluit lactare virginem Mariam, quia filii et filie recipiunt bonam complexionem a matre, sed perdunt eam multoties ex malo lacte. Nota hic exemplum de illo nobili in Lombardia, qui habuit nutricem filio suo, que perdito lacte lactavit filium lacte cujusdam porce, ne perderet bonam promissionem et salarium, qui fuit et vixit sicut porcus. Ecce qualiter destruitur complexio. Idem de captivis, que lactant filios dominorum. Tertio conservabat eam in templo. Postquam beata Anna ablactavit virginem, dixit viro suo : Domine, non recordamini de voto ?

Digitized by Google

— Respondit : Imo. Ideo compleamus votum. Non dixerunt : Expectemus quod habeat decem annos ut multi. Vel quando sunt pulchre, tunc dicunt : Dabimus sibi aliam gibbosam vel monoculam, etc. Et statim Joachim et Anna presentaverunt Deo filiam suam in templo, ubi fuit decem annis continuis in servitio Dei. Ideo possumus dicere beate Anne : Habetis fructum in sanctificationem, conservando digne.

Moraliter hic habetis exemplum standi in templo Dei in diebus dominicis et festis audiendo missam et sermonem. Qui bene vult servare festa, debet facere quinque. Primo cessare ab omnibus operibus temporalibus, non facere barbitonsuram, nec aliud opus servile. Ratio, quia in dominica Christus cessavit ab omnibus negotiis et laboribus resurgendo, ideo vult quod Christiani representantes illam resurrectionem et quietem quiescant in diebus dominicis. Idem de sanctis, quia illa die quieverunt in quiete glorie. Qui autem non vult quiescere, semper laborabit in inferno. Secundo quod jejuni audiatis missam. Dicatur ratio. Nec taberna debet aperiri ante missam in die festo. Tertio quod sitis pro tempore in missa. Nam in principio debetis esse, sc. in confessione, que fit pro vobis. Quarto debetis esse in missa quousque detur benedictio a sacerdote. Quinto quod non loquamini dum missa dicitur, sed hodie abusus est, quia non faciunt nisi loqui de vanis rebus sub missa, etc. Memento ergo ut diem sabbati sanctifices. Sed de illis qui servant ista quinque, potest dici : Habetis fructum, sc. bonorum operum, in sanctificationem vestram.

In Festo sancte Anne, matris B. V. Marie

(Manuscrit de Valence)

Malgré la division différente, ce manuscrit reproduit les mêmes idées et avec un moindre intérêt. On peut néanmoins garder le début et la fin.

Habetis fructum vestrum in sanctificationem.
(Rom. 6.)

Et quia hodie est festivitas, et solemnitas beate Anne, matris matris Jesu Christi ; similiter erit sermo de ea. Et si placet Deo erit bona materia. Sed ut gratia Dei intersit, salutemus ejus filiam virginem Mariam, dicendo : *Ave Maria.*

Habetis fructum vestrum in sanctificationem.
(Rom. 6.)

Pro declaratione istius verbi propositi, et ingressu materie de sanctitate beate Anne matris virginis Marie, ego volo determinare unam

Digitized by Google

questionem, quam vos communiter possetis movere: quare de beata Anna matre virginis celebratur quolibet anno festum, et non de Joachim? Cum similiter esset sanctus, et conveniebat postquam habebat generare virginem Mariam matrem Christi. Et de hoc habetur Psalm. 86: « Fundamenta ejus, id est virginis, in montibus sanctis. » Num videtur, quod magis deberet celebrari de isto festum, cum sit vir, et caput mulieris, quam de ipsa, que est subjecta sibi: vel saltim equaliter celebraretur de ipsis festum, postquam ambo erant sancti, et parentes beate Marie matris Christi? — Et dico quod ideo magis celebratur festum de beata Anna, quam de Joachim, quia magis sancta erat ipsa, quam ipse. Et est ratio: Nam ipsi erant sancti propter propinquitatem quam habebant cum virgine Maria; sed modicum propinquitatis habuit beatus Joachim cum virgine Maria; nam modicum facit pater in generatione filiorum. Sed beata Anna majorem proximationem habuit: nam concepit eam, et portavit per novem menses, et postea nutrivit, et lactavit eam; et ita magis remansit de sanctitate virginis in ea propter approximationem. Et ita ista ratione est magis sancta Anna, quam Joachim, et celebratur quolibet anno de Anna, et non de Joachim. Et hoc probatur a simili, ut habetur Jeremie 1: « Antequam exires de vulva, sanctificavi te. » Et ideo magis sanctificatus fuit beatus Joannes Baptista, qui prophetavit de Christo verbo et re, sc.: « Ecce agnus Dei. » Luce 1: ... « Spiritu Sancto replebitur », etc. Et sic modo habetis questionem determinatam, quare magis celebratur festum de beata Anna, quam de Joachim.

Et invenio quod Joachim et beata Anna fuerunt sancti, propter quinque virtutes.

Prima, misericordia copiosa;
Secunda, patientia virtuosa;
Tertia, credentia fructuosa;
Quarta, obedientia gratiosa;
Quinta, perseverantia gloriosa.

Et ideo dicit thema: « Habetis fructum vestrum in sanctificationem. »

Ad primum, de misericordia copiosa, quam habuerunt ipsi in vita sua sancta. Nam ut dicit beatus Hieronymus, beata Anna et Joachim erant de nobili et magno genere, etc.

. . . . . .

Ad quartum, de obedientia gratiosa. Nam debemus, sicut ipsi, obedire Deo, observando decem precepta, et maxime in adimplendis votis, propter id Eccle. 5: « Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. » Et hoc votum, et hanc obedientiam observaverunt ipsi. Nam sicut preceperat eis Angelus, quod non sugeret lac beata virgo alicujus femine, nisi beate Anne; nam ipsamet lactavit eam. Et hoc est propter duas rationes: Una est naturalis, alia est moralis. Naturalis est ista: Nam

Digitized by Google

creatura recipit complexionem illius a qua lactatur. Et hic *computabo* unum exemplum, quod est contra mulieres magnates, que nolunt lactare filios suos, sed dant nutricibus, ut ipse habeant mamillas rotundas, et ostendant hominibus, etc. Nam contigit in Lombardia, quod quedam nutrix faciebat nutrire filium domini, quem nutriebat, cum lacte porce. Et ita puer habuit complexionem suis, et grunnibat. Et beata Maria suxit lac per tres annos, sicut Christus filius suus suxit lac. Et cum habuisset virgo Maria tres annos, ejus parentes adimpleverunt votum propter obedientiam : Quod erat, ut cum haberet tres annos presentarent eam ad templum. Et ita fecerunt. Cum essent in pede scale, et denudarent se veste, virgo Maria per angelos fuit ascensa supra in quintum decimum gradum, denotando quod ipsa esset supra novem ordines angelorum, et sex sanctorum. Et ideo habetur Proverb. 31 : « Multe filie congregaverunt divitias. » Et ex hoc habemus bonam doctrinam, quod nos simus obedientes, maxime servando vota.

Ad quintum, de perseverantia gloriosa. Nam beata Anna perseveravit in servitio Dei. Et cum amisisset maritum suum Joachim, nolebat nubere. Sed revelatione divina nupsit iterum cum Cleopha, ex quo habuit Mariam Cleophe : Que habuit quatuor filios, sc. beatum Jacobum minorem, etc. Et mortuo Cleopha, iterum nupsit, revelatione divina, cum Salome : De quo habuit Mariam Salome, que habuit beatum Joannem evangelistam, et beatum Jacobum majorem, ducem Castellanorum. Et ecce quomodo perseveravit. Ideo Matthei 10 : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Et cum beata Anna staret in articulo mortis, imaginetis quod filia sua virgo Maria consolabatur eam, dicendo : Quod sicut Deus elegit filiam suam in matrem, ita et aviam. Et ex hoc habemus doctrinam sc. perseverare, etc. Ut habetur Rom. 10 : « Omnis qui credit in illum non confundetur », etc.

Deo gratias.

Digitized by Google

De sancta Martha

(Recueil imprimé)

Martha, Martha, sollicita es.
(Luc. 10.)

Octavo die a festo beate Marie Magdalene fit festum beate Marthe sororis sue, quia octavo die post beatam Magdalenam ascendit in celum. Ideo de ea volo nunc vobis predicare. Salutetur prius virgo Maria.

Thema propositum est verbum Christi ad beatam Martham, in quo ostendit Christus summarie vitam quam tenuit Martha, sc. activam, maxime quia iste due sorores, Maria Magdalena et Martha diviserunt sibi duas vitas spirituales. Beata Maria Magdalena dedit se vite contemplative. « Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. » (Luc. 10.) Martha autem elegit vitam activam, dans se laboribus pro Christo cum dicit : « Martha, Martha, sollicita es », id est, anxia. Nota cum dicitur dupliciter, Martha Martha, quia vita activa si bona est, non solum curat de corporibus, sed etiam de animabus, dans bona consilia, etc. Patet quod summarie Christus ostendit vitam beate Marthe. Sed subtiliter volens vobis predicare de isto verbo, invenio quod in eo ostenduntur tres excellentie beate Marthe quas habuit in hac vita :

Prima est puritas virginalis ;

Secunda est pietas proximalis ;

Tertia est dignitas personalis.

Prima ostenditur cum dicitur : Martha. Secunda cum dicitur : Martha. Tertia cum dicitur : Sollicita es.

Dico primo, etc., nam istud nomen Martha in lingua Syriaca idem est quod dominans. In hoc ostenditur puritas virginalis, que non est nisi dominium quod persona recipit super sensualitatem corporis, nec cogitando, nec loquendo, nec operando aliquam corruptionem luxurie, et dominatur quinque sensibus eos custodiendo. Dicatur de quolibet ab illa corruptione carnis, quomodo beata Martha conservabat se in puritate virginali. Ideo dicitur Martha, id est dominans vel principans, quia sicut princeps non habet supra se aliquem dominantem inquantum talis, sic nec puritas virginalis habet supra se majorem gradum castitatis. Ideo dicit Beda : « Bona est castitas conjugalis, melior continentia vidualis, sed optima perfectio virginalis. » Ecce principatus, sed cum pauci sint qui habeant istam puritatem virginalem, quia quasi nullus nisi pueri parvi, et illi etiam jam inclinantur ad malum. Dicatur quomodo lu-

Digitized by Google

dunt, etc., contra peccatum luxurie. Ideo Christus faciens de hoc planctum cum Joanne dicit : « Habes pauca nomina in Sardis », etc. (Apoc. 3.) Nota in Sardis. Sardis juxta Hebraicam interpretationem, id est pulchritudo principatus, quia magna pulchritudo est quando illi de matrimonio servant sibi fidem castitatis, pulchrius de viduis castitatem servantibus, sed maximum quando est principatus virginitatis. Sed quod sint pauci, dicatur historia de demone in corpore cujusdam nolente exire, nisi dicerentur tres misse a tribus clericis virginibus, etc. Ideo dicit principium evangelii : « Mulier quedam Martha nomine, id est, dominans suo corpori, recepit Christum in domo sua », sc. per virtutis imitationem, que semper fuit virgo.

Questio est hic que fuit ratio quod Martha conservavit virginitatem, cum beata Maria Magdalena soror sua fuerit ita inhonesta in sua juventute, ut cum essent pulchre equaliter et divites, et non timentes aliquem post mortem parentum, quare ergo fuit tanta diversitas? — Respondeo, presupposita divina ordinatione, que est causa omnium rerum, non invenio aliam rationem particularem nisi infirmitatem, quam passa est beata Martha. Ideo audivistis historiam de muliere habente fluxum sanguinis, XII annis, que habetur Mat. 9. Dicit Ambrosius expresse quod ista mulier fuit beata Martha. Que infirmitas facit tria : primo fecit perdere colorem, secundo fecit ipsam fastidiosam, et tediosam, sive gravem, tertio fecit ipsam fetidam. Quam infirmitatem habuit immediate post mortem parentum. Ideo nullus miles nec scutifer curavit de ea. Oppositum fuit de Magdalena juvene, pulchra, leta, et solatiosa, que visitabatur a militibus et scutiferis. Dicatur hic contra mulieres que osculantur homines juvenes dicentes : O ! tu es amicus meus. — O benedicta infirmitas, preservans a peccatis. Ideo Eccl. 31 : « Malitia unius hore oblivionem facit luxurie magne. » Nota malitia, id est infirmitas, que initium habuit a malitia diaboli, unius hore, quia tempus presens respectu eternitatis non est nisi una hora. — Moraliter habemus hic exemplum recipiendi patienter infirmitates quas Deus non daret nisi pro salute anime. Quot peccata vitantur ratione infirmitatis ! Nam quando mulier est clauda, vel habet perlam in oculo, non curat de tripudiis, vanitatibus, etc. Dicatur hic historia de Petronella filia beati Petri apostoli pulcherrima, non videbatur filia piscatoris, sed imperatoris. Et quidam comes volebat eam in uxorem, ad quam mittebat milites. Quod sentiens beatus Petrus, rogavit Christum ut mitteret sibi febrem, etc. Ecce ratio quare Martha fuit virgo, et non Maria Magdalena. Ideo David : « Dum appropriant super me nocentes », etc. (Psal. 26), et Eccl. 1 : « Infirmitas gravis sobriam facit animam. »

Dico secundo quod secunda excellentia est pietas proximalis, sc. in eleemosynis corporalibus et spiritualibus, que tangitur cum dicitur

Digitized by Google

secundo : Martha, id est provocans seu irritans secundum interpretationem Hebraicam, sc. incitans ad bellum, quod fit per pietatem proximalem, sicut quando aliquis ense incitat alium, irritat eum. Ita operibus pietatis, dando panem, vinum, et pecunias pauperibus, homo incitat diabolum. Sic faciebat Martha, id est irritans. Ideo de ista pietate dicebat apostolus ad discipulum suum Timot. : « Exerce teipsum ad pietatem », etc. (Tim. 4.) Exercitatio corporalis fit per jejunia, vigilias, cilicia, etc., sed respectu operum pietatis ad modicum utilis est, quia solum sibi prodest gubernando corpus, sed opera pietatis, et quibus dantur habent promissionem vite que nunc est, et future. Ideo juxta hoc consilium apostoli, beata Martha dedit se operibus pietatis ad Christum, et ad discipulos suos in domo sua recipiendo. Dicatur historia quomodo in die ramorum postquam Christus predicavit, circunspectis omnibus cum jam vespere esset hora, regressus est Bethaniam cum discipulis ad prandium in domo Marthe. (Mar. 1.) Ideo Martha dicebatur hospita Christi.

Dicatur quomodo post Christi ascensionem vendidit omnia, ponens precium ad pedes apostolorum, ut dividerent Christianis pauperibus. Ecce opera pietatis corporalia. De spiritualibus autem dicatur, cum propter exilium venisset ad Provinciam, quomodo predicabat dans provisionem animabus de coquina Spiritus Sancti, eis ministrans escas spirituales, intantum quod ipsa ex una parte, et beata Magdalena ex alia predicabant, et predicando converterunt totam Provinciam. Dicatur quomodo predicabant de articulis fidei, et de trinitate, incarnatione, etc., et probabant hoc miraculis, curando infirmos, etc., ideo convertebantur. Iste pietates majores erant quam corporales. Dicatur hic cum recederet de territorio Aquensi ut iret Avinionem, transivit per Tharascum, ubi erat ingens draco, major balena, et erat semipiscis, et semianimal, imo vivebat in aqua et in terra. Et in aqua Rhodani subvertebat naves transeuntes ut comederet homines. Super quo gentes illius terre scientes suam sanctitatem, sc. beate Marthe, recurrerunt ad eam ut provideret de hoc. Dicatur quomodo beata Martha cum aqua benedicta et cruce ivit contra draconem. Commendetur hic virtus aque benedicte. Et cum draco vellet eam invadere, beata Martha subito cum scuto crucis dixit : Ecce crucem Domini, fuge, etc., et ligavit eum. Et draco sequebatur eam ut ovis sequitur pastorem, et interfecerunt eum. Et in memoriam hujus miraculi dicitur modo locus Tharascum, cum ante diceretur Nerluc, id est, niger locus vel lucus. Sed quia ille draco dicebatur Tharascus, ideo locus dicitur modo Tharascum. Post hoc ivit ad Avinionem, et cum predicaret ibi in quadam magna platea, ubi est nunc conventus predicatorum, quidam juvenis infidelis volens venire ad sermonem, sine navi natando voluit transire Rhodanum, et submersus fuit, et post

Digitized by Google

triduum inventus est. Beata Martha suscitavit eum, devote orando Jesum Christum, quod sicut ipse voluit suscitare Lazarum fratrem suum, ita vellet suscitare illum juvenem. Ecce quomodo exercebat opera pietatis, ideo dicitur Martha, id est, irritans demonem per opera pietatis corporalia et spiritualia. Ideo dicit evangelium : « Martha autem satagebat circa frequens ministerium » tam corporale quam spirituale.

Dicatur similitudo de duobus militibus, quorum unus custodit castrum regis, et alius non solum custodit castrum, sed etiam acquirit multa alia castra ab inimicis, cui magis tenebitur rex ? Nonne magis tenebitur illi qui custodit et acquirit alia ? Imo ; ita Deus cuilibet nostrum commisit castrum, sc. corpus, ideo custodiatur ab inimicis ne intrent. Debet tamen quilibet non esse contentus de se ipso, sed multa alia debet acquirere predicando, expellendo demones, quod fit quando superbus humiliatur, avarus restituit, etc. Idem de septem peccatis. O tunc, quanta diligentia predicatores deberent facere istas conquestas, maxime magistri qui habent scientiam ! Ideo Martha non solum custodivit castrum suum, sed etiam multa alia Christo acquisivit. Ideo Christus dicit : « Qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno celorum. » (Mat. 5.) Docere et non facere bonam vitam nihil valet. Ideo apostolus : Attende enim tibi, sc. castrum tuum custodiendo, et lectioni, exhortationi, et doctrine. « Noli negligere gratiam que in te est, et quie data est tibi. » (1 ad Tim. 4.)

Dico tertio quod tangitur dignitas personalis cum dicitur : sollicita es, id est anxia. Nam persone in dignitate existentes debent esse sollicite, Rom. 12 : « Qui preest, in sollicitudine », supple presit. Ideo cum dicitur : Sollicita es, ostenditur dignitas personalis. Dicatur postquam diu predicavit, quomodo fecit unum monasterium monialium in Tharasco, et multe virgines ibi intraverunt, et non habebant redditus, sed suis manibus operabantur, et quicquid lucrabantur ponebant in communi. Non comedebant carnes, nec pinguedinem aliquam, ideo modicum expendebant. Dicatur contra moniales quomodo nihil faciunt, sed otiose et vagantes vadunt per conventum, respiciendo hincinde, etc. Dicatur quomodo per septem dies ante suum obitum vidit celos apertos, et multitudinem angelorum animam beate Magdalene sororis sue secum portantem. Tunc Christus sibi revelavit quod octava die ipsa etiam veniret ad gloriam paradisi. Dicatur quomodo in nocte qua debuit ad Dominum migrare, in camera sua fecit accendi magna luminaria. Et dum dormirent omnes qui erant in camera nisi ipsa, venerunt demones, et extinxerunt omnia luminaria, et ipsa oravit : O Domine ! et sic dimittetis me in tenebris ? Tunc descendit beata Magdalena soror sua cum lumine, et accendit omnia luminaria. Item fecit sibi legere passionem secundum Lucam, quia habuerat multa ab ore beate Marie virginis. Et sic obiit.

Digitized by Google

Dicatur hic miraculum sancti Frontoni, in quo miraculo ostenditur gloria beate Magdalene, et beate Marthe. Quia Christus in habitu episcopali, et beatus Frontonus episcopus fecerunt exequias ipsius corporis. Et cum posuissent corpus in sepultura, dixit Christus : In memoria eterna erit ista hospita mea. In hoc cognoverunt Christum ipsum esse. Et de nullo sancto nec sancta legitur hoc nisi de ista, et de virgine Maria, quia Christus fuit in exequiis virginis Marie. — Moraliter hic nota si volumus dimittere peccata, et servire Deo, honorabit nos. 1 Reg. 2 : « Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum. »

Digitized by Google

Prima die Augusti, in Vincula S. Petri

(Manuscrit de Valence)

Gratia Dei vita eterna.
(Rom. 6, et recitatum est in epistola currentis dominice.)

Et ut gratia divina sit in ista presenti predicatione, et sit ad laudem Dei et bonam edificationem et consolationem animarum nostrarum, recurremus ad virginem Mariam sic dicendo : *Ave Maria.*

Istud verbum propositum dicit sic quod : *por la gracia divinal* se *ha de alcançar la gloria eternal,* et non per alium modum, nisi per gratiam divinalem. Et ego invenio quod gratia divina est necessaria pro tribus rebus. Primo est necessaria *por assallir de pecado mortal;* secundo est necessaria *por attener la vida spiritual;* tertio est necessaria *por avenir a la gloria celestial.* Et de hac tertia loquitur thema : « Gratia Dei vita eterna », id est : per gratiam Dei pervenitur ad gloriam eternam, nam est ablativi casus.

Ad primum, quod gratia Dei est necessaria *a salir de pecado mortal.* Et est ratio naturalis, nam anima ut creata de nichilo, et actualiter potest redire ad nichilum quod est peccatum, sed de peccato non potest exire per se sine gratia divina, sicut aqua calida naturaliter *reddit* frigida, quia de sui natura est frigida, sed non potest naturaliter redire calida, nisi artificialiter. Et ideo cum quis incidit in peccatum naturaliter incidit, quia de nichilo fuit creata anima, et peccatum ad quod *reddit* est nichil. Et ideo ut *exiat* de peccato est necessaria gratia divina ut *calificet* eam per Spiritum Sanctum, ut habetur Ose. 13 : « Perditio tua... in me auxilium tuum. » Et ideo cum quis incidit in peccatum est sic sicut ille qui incideret in quoddam puteum ; et sicut ille qui incidit in puteum indiget scala ut exiat, ita qui incidit in puteum peccati mortalis indiget scala divinalis gratie ut exiat. Et hec scala gratie divine habet decem scalones per quos quis exiat extra puteum peccati. Primus scalo est habere cognitionem peccatorum ; secundus habere contritionem ; tertius recipere firmum propositum non revertendi ad peccata ; quartus confiteri omnia peccata facta ; quintus facere aliquem orationem devotam, quolibet die de mane et de sero. — Et queritur an debeamus facere orationem ad orientem, vel occidentem, vel aliam partem. Et respondetur dupliciter : aut loquimini de convenientia vel experientia, aut de necessitate. Si de convenientia, dico quod ad orientem, nam quando

Digitized by Google

Christus fuit assumptus in celum, omnes discipuli qui stabant ibi respiciebant versus orientem. Et ideo altaria ecclesie respiciunt versus orientem. Et cum Christus veniet judicare mundum, omnes respiciemus versus orientem, ad hoc ut habetur ps. 67 : « Psallite Deo qui ascendit super celum celi ad orientem.» Et sic est conveniens. Si autem de necessitate, dico quod non est necessarium magis adorare versus orientem quam versus aliam partem. Et huc habendo in credentia spiritus quod ubicumque sit Deus. Et hanc responsionem fecit Christus cuidam mulieri, Joan. 4 : « Patres vestri », etc., et Christus facta ista interrogatione respondit sibi : « Veri adoratores adorabunt », etc.

Sextus scalo est facere aliquam penitentiam corporalem, et facere justitiam de corpore *qui* te fecit peccare.

Septimus est eleemosinam facere, ut per eleemosinam consequaris eleemosinam a Deo. Math. 5 : « Beati misericordes quoniam ipsi », etc.

Octavus est restitutio *tortorum,* sc. ablata, vel bona vel famam. Et quod per manus est ablatum, per manus debet restitui ; quod per os est ablatum, ut diffamare, per os debet fieri restitutio, sive sit dictum verum sive falsum.

Nonus est parcere inimicis suis, non desiderando vindictam.

Decimus post hec omnia recipere corpus Christi. Et ita peccator qui erat in puteo peccati exit extra per hanc scalam gracie divinalis. Et de hoc loquitur 1 Cor. 15 : « Persecutus sum ecclesiam », etc.

Ad secundum, quod gratia divinalis est necessaria *a tener vida spiritual*. Nam sicut est necessaria *gracia divinal* ad extrahendum peccatorem de peccato, ita et ad retinendum ipsum ut non redeat. Nam multi sunt tentantes, sc. demones, caro et mundus. Et ideo dicit David, ps. 93 : « Quis consurget mihi adversus malignantes », etc. Et ut intelligatis quomodo est necessaria gratia divinalis ad retinendum aliquem ut teneat vitam spiritalem, *scultetis hunc* exemplum et similitudinem : Pone quod in quadam columna alta stat quedam *anfora* vitrei habens tres conditiones, sc. quod sit plena de *brasis* igneis, et quod faciat ad eam magnum ventum, et quod multi projiciant lapides ad eam, certe bene est necessarium quod retineatur, alias frangetur. Et ista columna est vita spiritualis, et *anfora* vitrei est persona que facit vitam spiritualem ; et est plena de igne carnis et inclinationibus ipsius ; nam omnia, et vene, et ossa, et nervi sunt plena. Et ventus magnus sunt tentationes demonum, *quod ventum derribavit* castellum Eve, Ade, David et Salomonis, eos faciendo incidere in peccata. — Item lapides qui projiciuntur ad anforam vitrei, id est personam spiritualem, sunt derisiones gentium mundanarum, sc. dicendo : hypocrita ! vel : non facit ut beate [*les béates*] veniant ad eum ; item ut cantet missas amatoriis ; item facit se simplicem ut gentes recurrant ad eum in confessionibus et habeat pecuniam. Et si

Digitized by Google

persona spiritualis ascendit in columna, id est bona vita dimittendo malam, bene erit necessarium quod sustineatur et quod conservetur per gratiam divinalem, nam tres pugnant contra eam, sc. inclinationes carnium, tentationes demonum et derisiones personarum mundanarum. Et de hac gratia habetur 1 Cor. 15 : « Gratia Dei in me vacua non fuit », sc. ad conservandum.

Ad tertium quod gratia divinalis est necessaria *por avenir a la gloria celestial*, nam sicut est necessaria ad extraendum de peccato et ad retinendum in bona vita, ita est necessaria pro attingendo gloriam celestem. Et est ratio : nam sine gratia divinali, non sunt omnia bona opera a nobis facta et merita sufficientia ad attingendum gloriam que est multum preciosa, nam sumus *sclavi* et empti per sanguinem Christi. Et ideo dicit beatus Paulus Rom. 8 : « Non sunt condigne passiones », etc. Sed licet omnia bona et merita a nobis facte non sint sufficientia ad gloriam attingendam per justitiam, quia *sclavi* sumus et ideo tenebamus servire in bonis operibus ut *sclavi :* sed tamen per gratiam sic, quia sic promisit sibi servientibus in bonis operibus. Et ideo beatus Paulus Rom. 6 : « Stipendia peccati mors... Domino nostro. »

De beato Petro ad Vincula

(Recueil imprimé)

Dominus eripuit me de manu Herodis.
(Verbum istud habetur originaliter in Act. apost. 12, et recitative in epistola hodierna.)

Solennitas et festum hodiernum dicitur beati Petri ad vincula. Tria festa fiunt de beato Petro apostolo in anno. Primum quando fuit liberatus a captione miraculose, et istud fit hodie. Secundum quando fuit exaltatus in cathedra honorabiliter, sc. in fine februarii. Tertium quando in celo fuit coronatus gloriose, et istud fit in fine junii. Modo habeo vobis predicare de primo, sc. quomodo fuit liberatus. Sed primo salutetur virgo Maria, et resumatur thema.

De materia et festo hodierno beati Petri volo predicare, et vobis dare tres declarationes :

Prima erit historica seu literalis ;

Secunda erit allegorica et figuralis ;

Tertia erit tropologica et moralis.

Et pro qualibet bene potest dici thema : « Dominus eripuit », etc. Nam pro prima dicit Petrus quando fuit eductus de carcere per ange-

Digitized by Google

lum ; ut patet in textu. Pro secunda dicit anima beata quando intrat paradisum : Dominus eripuit me de manu Herodis, id est, diaboli. De tertia persona que exit de peccatis et mala vita, et redit ad statum gratie, potest dicere : Dominus eripuit me de manu Herodis, id est, peccati.

Dico primo quod prima declaratio erit historica et literalis. Secundum quod legitur in textu biblie, (Act. 12.) ille malus rex Herodes, non ille qui interfecit innocentes, quia ille dicebatur Herodes Ascalonita, et iste qui cepit Petrum vocabatur Agrippa, qui venit noviter constitutus rex super Judeam ab imperatore Romano. Et ideo ut Judei ipsum bene reciperent, sciens quod Judei habebant Petrum exosum, qui tunc predicabat et convertebat multos Judeos, volens eis complacere Herodes, cepit Petrum, et posuit in carcere ligatum duabus cathenis, demptis manicis et compedibus, et ultra hoc, intus in carcere fecit stare duos homines armorum, et porta carceris erat ferrea. Et cogitavit Herodes : Iste Petrus qui suscitavit mortuos, si vellet posset fugere, propter hoc extra ad portam carceris posuit xx homines armorum. Hoc dicit textus cum dicit : « Tradens eum quatuor quaternionibus militum ad custodiendum eum. » Quaternio dicitur capitaneus quatuor hominum armorum. Ideo dicit textus : « Transeuntes primam et secundam vigiliam. » Et sic tenebat Petrum captum, ut sic placeret Judeis. Ista ratio assignatur in textu cum dicit : « Videns autem quod placeret Judeis, apposuit apprehendere Petrum. »

Ecce hic tota corruptio judicum. Domini temporales, judices, assessores cupiunt magis complacere gentibus quam Deo, destruitur justitia. Isto modo judicium Christi fuit perversum per Pilatum, quia nullam causam mortis invenit in Christo, tamen ut placeret Judeis dimisit ipsum voluntati eorum ut crucifigeretur. Isto modo etiam fuit perversum judicium vicarii sui beati Petri per Herodem. Ista de causa damnantur multi judices, volentes magis complacere populo quam Deo. Ideo David dicit : « Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent. » (Ps. 52.) Ideo ad Gal. 1 : « Non quero hominibus placere, si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. » Ista ossa sunt divitie, possessiones, officia, seu dignitates, sunt enim fortalitia quibus homines sustentantur, sc. mundani. Ratio sicut in corpore hominis ossa sunt fortiora, et sustinent corpus et carnes, ita fortalitia in quibus homines mundi sustentantur sunt divitie, dignitates, et parentes. De quibus dicit David : Deus dissipavit ossa, sc. in hoc mundo, et in alio quid erit ? Respondet : Confusi sunt, sc. in judicio Dei. Ratio, quoniam Deus sprevit eos, quia precium sanguinis Christi infiniti valoris non valebit ad salvandum tales. Ideo, Domini, et judices, assessores, et rectores communitatum, avisetis vos in sententiis dandis, potius habeatis respectum ad Deum et ad justitiam quam ad homines. In judicio judex non debet

Digitized by Google

cognoscere patrem, matrem, fratrem, filium, nec amicum, sed Deum et puram justitiam. Ideo Herodes volens placere Judeis, damnavit se in tali intentione tenendo Petrum captum, sed Deus providit. Nam dicit textus : « Oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. » (Act. 12.) Dicatur quomodo apostoli orabant pro liberatione beati Petri flentes dicentes : Domine Jesu Christe, libera vicarium, et capitaneum, et pastorem nostrum. Ex alia parte orabat pro eo virgo Maria cum aliis mulieribus dicendo : Domine, et ita cito morietur vicarius vester ? Hic habemus doctrinam quomodò totus populus debet orare pro suo prelato in tribulatione posito, ut puta pro papa, episcopo, Domino terre, item pro rege. Talis oratio multum placet Deo, quia tangit totam communitatem eorum malorum, quia sicut bonum vel malum capitis est bonum vel malum omnium membrorum, ita de prelato, qui est caput bonum vel malum christianorum. Ideo dicit apostolus : « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes », etc. (1 ad Tim. 2.)

Modo videamus quomodo Deus audivit orationes ipsorum. Nam in nocte, post quam noctem beatus Petrus debebat tradi Judeis ut moreretur. dum Petrus dormiret vinctus inter illos duos homines armorum, angelus Domini cum magno splendore venit, et illuminavit totum carcerem, et terruit illos duos homines armorum, percussoque latere Petri excitavit eum dicens : Surge velociter. Et fracte sunt cathene. Et dixit ei angelus : Precinge te, et calcia te, et circunda tibi vestimentum tuum, et sequere me. Angelus recipiens Petrum per manum extraxit eum de carcere. Custodes autem quasi mortui nihil senserunt. Existimabat autem se visum videre, sed quando fuerunt extra palatium in quodam vico, angelus disparuit, et Petrus invenit se liberatum, et dixit : verum est hoc quod ego sum liberatus et non est somnium. et dixit : « Nunc scio vere quia Dominus misit angelum sunm, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judeorum. » Ecce declaratio historica et literalis. Et ista de causa respectu persone liberate, quia pape, et respectu orationis, et respectu miraculi, et utilitatis Christianitatis, et respectu miraculorum, cathenarum beati Petri fuit istud festum hodiernum institutum, et facta est ecclesia Rome, et dicitur sancti Petri ad vincula. Et videtur completa prophetia fuisse David in persona beati Petri dicens : « Diripuisti Domine vincula mea. » Ecce quare dicit beatus Petrus in thema : Dominus eripuit me, etc.

Dixi quod secunda declaratio erit allegorica seu figuralis. Et sunt in dicta liberatione beati Petri quatuor puncta significantia secreta :

Primo quid significet carcer ;

Secundo quid significent illi duo milites inter quos beatus Petrus erat vinctus ;

Tertio quid significent ille due cathene ;

Digitized by Google

Quarto quid significent quatuor quaterniones militum.

Dico primo quod carcer signat statum peccati mortalis. Ratio, quia carcer habet septem conditiones representantes septem peccata mortalia. Primo conditio carceris quod est tenebrosus, et signat peccatum superbie, quod venit ex modica claritate, quia peccator non cognoscit suam miseriam nec peccata, etc. Secundo carcer est subterraneus, basse, inferius : ecce avaritia, quia avari in infimo terre stant, nec curant de celestibus. Tertio carcer fetet, quia ibi faciunt negocia. Ecce hic peccatum luxurie, quia fetidam facit personam luxuriosam per malam famam, quia gentes loquuntur de ipsa dicentes : O de isto ribaldo, vel ribalda, seu putana ! Quarto carcer est locus solitarius : ecce hic peccatum invidie, quia persona invida sola vellet habere bonum, et tristatur de bono alterius. Quinto carcer est humidus : ecce hic peccatum gule, quia gulosi sunt humidi in cibo et potu inordinato, etc. Sexto in carcere est desperatio : ecce hic peccatum ire. Septimo in carcere nihil operatur : ecce hic peccatum acidie in bonis operibus meritoriis.

Secundo dicit : Dormiens inter duos milites. Quid isti duo milites significabant ? Nota Petrus dormiens significat peccatorem in carcere peccati dormientem inter duos milites, sc. angelum bonum, et angelum malum. Angelus bonus inducit ad bonum. Nunquid auditis vos verba sua quando loquitur imaginationi dicens : Tu peccasti, et fecisti hoc et hoc, ideo vade ad confitendum. Et angelus malus ad aliud latus respondet : Vah ! quid oportet modo confiteri ? sufficit in quadragesima, dicerent gentes quod es hypocrita. Item quando dicit angelus bonus imaginationi loquens : Tu es usurarius, vel furatus fuisti hoc, et retines legata de mortuis, vel solidatam servorum, ideo vade satisfac, alias damnaberis. Respondet, alius a sinistris : Vah ! sufficit dimittere in testamento, etc. Item dicit bonus miles : Ecce tu habes inimicos, remitte, et Deus dimittet tibi peccata tua, nam nihil melius est ad obtinendam remissionem peccatorum. Dicit alius malus : Vah ! dicetur postea quod es Judeus. Ecce quomodo peccator dormit inter duos milites, unus est celestis, alius infernalis, Propter hoc dicit apostolus : « Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » (Eph. 5.)

De tertio dico quid significant due cathene que tenent peccatorem vinctum. Dico quod prima est longa consuetudo, secundo mala societas. O quot sunt vincti istis duabus cathenis ! Primo juratores quando reprehenduntur a confessoribus dicunt : consuetudo est. Item apothecarii, incisores, barbitonsores, qui in dominicis et festivitatibus habent operatoria aperta, allegantes consuetudinem contra jus divinum. Item de fabris et aliis officiis. Hoc volo dicere quod ista cathena estis ligati, cum qua ad infernum trahemini, nisi corrigatis vos de futuro, et faciatis penitentiam de preterito. Idem de divitibus, qui mutuant ad usuram, et

Digitized by Google

quando confitentur, et de ista materia interrogantur, respondent : Non pater, non facio usuram. Dicit confessor : Est usura mutuare x et recipere undecim. Respondet : Domine, non ! quia consuetudo est, et ecclesia permittit. Dicatur quod ecclesia permittit multa, quia non potest corrigere, sed nec papa nec beatus Petrus, si viveret, posset in usura dispensare. Censualia bona sunt duabus conditionibus servatis. Prima est quod sit vera emptio vel venditio. Secunda quod precium sit justum. Idem de mercatoribus, qui vendunt ad spem pro qua recipiunt plus, dicentes quod consuetudo est. Idem de mulieribus, et vanis ornamentis earum, de caudis, etc., ostendendo carnes nudas dicendo : consuetudo est. Ista cathena quot ducuntur in infernum ? Idem de religiosis carnes comedentibus dicentes : consuetudo est. Contra illos tales dicebat Hieremias : « Si mutare potest ethiops pellem suam. » (Hier. 13.) Secunda cathena est mala societas. O quot damnat etiam ista ! multi irent ad paradisum nisi propter malam societatem seducerentur. Dicatur contra malos homines, qui despectis uxoribus, viduis, vel aliis habentibus procuratores vel magistros, et jam incipiunt ludere, etc., foras ! Idem de clericis concubinariis, foras ! quantumcunque societas sit vobis chara, si est causa peccati, foras ! Hoc non solum est doctrina Christi, sed etiam poete :

Que nocitura tenes, quamvis sint chara relinque.

Ecce quare dicit : Vinctus cathenis duabus.

De quarto, quaterniones militum significant quod anima ad portam, sc. mortem observatur a multitudine demonum. Solum virgo Maria pro singulari gratia obtinuit quod non fuissent demones in ejus morte, sed de aliis hominibus quantumcumque sanctis nullus est exemptus. Ideo David : « Inhabitabunt et abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt. » (Psal. 55. Inhabitabunt, sc. demones, in camera ubi homo moritur, et abscondent se, supple, quia non videntur nisi aliquoties a sanctis personis. Et calcaneum, que est ultima pars corporis, signat mortem, observabunt. Ecce quaterniones militum custodientes. Sed remedium quod Deus dat nobis est, quando homo penitet de peccatis, fuit confessus, et satisfecit, et proponit abstinere. Sic quando anima exit a corpore in gratia, Deus mittit angelum suum secundum promissionem a Deo factam. Exo. 23 : « Ecce ego mittam angelum meum qui precedat te », etc.

Quantum ad tertium, dixi quia tertia declaratio esset tropologica et moralis. Pro qua notavi octo puncta in liberatione beati Petri significantia octo que Deus facit, volens liberare peccatorem a carcere, et vult ipsum reducere ad bonam vitam.

Primo angelus illuminavit carcerem ;

Secundo percussit in latere Petrum ;

Digitized by Google

Tertio Petrus erexit se ;
Quarto ceciderunt cathene ;
Quinto Petrus precinxit se ;
Sexto calciavit se ;
Septimo circundedit sibi vestimentum ;
Octavo secutus est angelum.

Primum opus quod Deus fecit in liberatione peccatoris est illuminatio carceris. Peccator enim stat in carcere tenebroso, non cognoscit pericula nec peccata in quibus stat, et quod amisit et amittit in dies propter peccata que incurrit. Sed venit lux, et refulsit in habitaculo carceris, sic oportet primo quod radius luminis divini seu divine gratie illuminet. Tunc ad talem illuminationem dicit religiosus, clericus, vel secularis : O miser ! quid est de me ? tot anni sunt quod sum in mala vita, etc. Istud lumen petebat David postquam peccavit dicens : « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. » (Psal. 12.) Non loquitur de oculis corporis, quia non legitur ipsum fuisse cecum, sed de oculis anime.

Secundo : percussoque latere Petri excitavit eum. Ecce hic secundum opus quod personam quam Deus vult ad se convertere percutit, dando, sc. cordis compunctiones, et cordis commotiones, que a Deo sunt. Ezech. 6 : « Ego contrivi cor eorum. » Nunquid vos sentitis multoties istas compunctiones ? Imo.

Tertio, Petrus erexit se fricando oculos, credens quod esset somnium. Ecce propositum non redeundi ad peccatum, tunc homo stat recte, et circa Deum. Ideo David : « Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. » (Psal. 126.)

Quarto ceciderunt cathene. Ecce confessio. Quot peccata mortalia habet homo, tot cathenis est ligatus, et quando homo confitetur, et confessor elevans manum dicit : « Ego te absolvo », omnes rumpuntur. Magnum mirabile est, quia omnes homines mundi cultellis non possent solvere unam cathenam. Sed tanta est virtus confessoris, quod statim omnes rumpuntur. Dicatur hic miraculum breviter de illo magno peccatore in omni specie peccatorum, qui inductione aliquarum devotarum personarum ivit ad ecclesiam ut confiteretur. Cumque fuisset ad portam ecclesie quedam sancta persona vidit septem demones ipsum hominem cathenis trahentes ne intraret ecclesiam. Si dicatur ab aliquo : Quare non retinebant eum cum sint ita potentes ? Respondeo quod propter liberum arbitrium quod non possunt cogere, etc. Ideo apostolus : « Vivus est sermo Dei et efficax », etc. (Heb. 4.)

Quinto cum dicit angelus : precinge te. Hic subtiliter ostendit restitutionem. Nam ille qui tenet bona aliorum, et non restituit, quia vult ire ample in pompis, vanitatibus, ut patet in multis scutiferis, etc. Et

Digitized by Google

quando a confessoribus dicitur eis quod restituant, et quod stringant se, respondent : O ! oportet me minuere de statu, etc. Ecce quare dicit : Precinge te, peccator, non faciendo vanitates de bonis alterius, sed restituere oportet, et precingere se, etc. Ideo Christus Luc. 12 : « Sint lumbi vestri precincti », sc. vivendo de bono justo. « Et lucerne ardentes in manibus vestris », id est opera meritoria.

Sexto calcia te. Ecce hic remissio injuriarum. Discalciatus vero est injuriatus, et sentit, quia sunt impatientes, et vindicativi qui sentiunt injurias, dicentes : Non ! per corpus Christi ego me vindicabo ! Calciati sunt patientes in dextro pede per amorem Dei. In sinistro per timorem inferni, non sentiunt injurias proximi quantumcumque magnas. Nullus sic discalciatus potest intrare paradisum : « State ergo calciati in preparationem evangelii pacis. » (Eph. 6.)

Septimo : circunda tibi vestimentum tuum, sc. mantellum tuum. Hoc signat honestam conversationem. Mantellus cooperit alia indumenta. Ista honesta conversatio cooperit peccata. Ideo conversemur honeste coram Deo a parte ante per devotam orationem, et per jejunia a parte post, a dextris per eleemosynam, a sinistris per patientiam. Sic enim circundatur vestimentum. Ideo dicit beatus Joannes : « Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua », etc. (Apoc. 16.)

Octavo cum dicitur : Sequere me, ostenditur communio, quia sancta scriptura vocat sacerdotem angelum. Malach. 2 : « Labia sacerdotis custodiunt scientiam », etc. Notate hic quante sanctitatis debet esse. Epiloga hic dicta, et dic.: Postquam habuisti cognitionem de peccatis, contritionem, et propositum non redeundi, etc., sequaris angelum, et communica. Ideo Christus dicit : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam eternam », etc. (Joan. 6.) Tunc peccator potest dicere : « Dominus eripuit me de manu Herodis, id est peccato. »

Digitized by Google

In Festo beati Dominici, O. P.

(Manuscrit de Valence)

Vos estis sal terre.
(Mat. 5.)

Sic quomodo tota solemnitas est de patre nostro beato Dominico, sic similiter erit tota nostra predicatio ; et si placet Deo, erit bona materia pro omnibus, et christianis, et Judeis et Sarracenis. Sed ante omnia recurramus ad virginem Mariam.

Istud verbum propositum est dictum de beato Dominico : *Vos, santo Domingo, sodes sal de la terra.* Et est verbum figurativum de beato Dominico ; nam sicut sal terre habet tres conditiones : primo *alimpia et purifica de infectione ;* secundo *reserva et guarda de corruptione ;* tertio *delecta et da placer en refectione ;* ita beatus Dominicus habet tres proprietates, quia *alimpiat* et purificat, etc. Et ideo dicit thema de beato Dominico : « Vos estis sal terre », sc. propter istas conditiones et proprietates salis.

Ad primum quod sal *alimpia,* etc., ut probatur per historiam, IV Reg. 2 : « Hes dicit Dominus : Sanavi aquas has », etc. Et hanc conditionem habuit beatus Dominicus, nam civitas Hierico significat istum mundum, quod est totum corruptum et infectum, nam domini temporales sunt corrupti et infecti de peccato injustitie, non facientes justitiam, sed ipsi sunt majores latrones quam alii. Et ideo habetur Is. 1 : « Principes tui infideles », etc. Item prelati sunt infecti per peccatum negligentie ; religiosi per peccatum indevotionis ; clerici per peccatum inhonestatis ; milites per peccatum luxurie ; agricole per peccatum rapinarum ; mulieres per peccatum vanitatum. Item Judei per peccatum incredulitatis. Item Sarraceni similiter, quia unum credunt in Christo bene, et aliud denegant et principale ; et ideo corrupti sunt. Et contra istas corruptiones loquitur David, ps. 13 : « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt », etc. — Et aque corrupte sunt inclinationes carnium que faciunt nos peccare, nam anima de sui natura non inclinatur nisi propter carnem, nam *tirat* ipsam ad terram de cujus natura est caro. Et ideo habetur : « Corpus quod corrumpitur aggravat animam. » Et sic omnes istas inclinationes habemus propter carnem. Et de hiis aliquid habetur Apoc. 8 : « Multi hominum mortui sunt de aquis », etc. Item, istud vas novum (de quo Act. 9 : « Vas electionis est mihi », etc.), significat religionem novam beati Dominici. Nam quedam religiones erant

Digitized by Google

ordinate ad vitam activam principaliter, ut religiones militum, sc. beati Joannis, Montesie, Calatrave ; alie religiones fuerunt ordinate principaliter ad vitam contemplativam ; sed ista religio beati Dominici fuit de novo ordinata ad utrumque, sc. ad vitam activam, quia omnes predicatores istius religionis bellant contra demones. Item induitur de vestibus virtutum. Item visitamus infirmos peccatores ; et sic de ceteris operibus. II Cor. 10 : « In carne ambulantes », etc. Item contemplativam habet, nam licet monachi nigri et albi contemplentur in missa et horis suis, tamen magis in hac sacra religione, quia contemplatur in missa et ceteris horis, sed plus in predicationibus que debent manifestari populo. Et ideo de hoc vase novo cantat Ecclesia in ejus officio : « Collaudetur Dominicus. » Et sal est beatus Dominicus, nam sicut sal sanavit civitatem Hiericonis, ita beatus Dominicus sanavit istum mundum convertendo gentes. Et ideo beatus Augustinus : « Peccatorum fecibus », etc.

Ad secundam conditionem quod *sal reserva et guarda de corruptione :* non indiget probatione, quia experientia docet. Sed adhuc habetur Tob. 6 : « Salierunt et posuerunt sal », etc. Et ego dico quod beatus Dominicus habuit hanc proprietatem quia [p]*reservavit* mundum de corruptione, nam cum Christus vellet destruere mundum, modo sunt plus quam centum annis, et cum tribus lanceis in manu, vibrando eas contra mundum, virgo Maria, que occurrit sibi rogando quod expectaret adhuc religionem beati Dominici per quam converteretur mundus. Et Christus concessit cum conditione si mundus corrigebatur, vel quod amodo non peccaret. Et iste tres lancee figurabant tres tribulationes que debebant tunc, et nunc habent in brevi venire contra mundum. Et prima lancea est Antichristus qui subvertet totum mundum, de quo habetur Ez. 38 : « O Gog et Magog », etc. — Secunda lancea est comburicio totius mundi, nam ignis veniet a quatuor partibus mundi, sc. oriente, occidente, *miggiorn*, *tremuntana*. Et de hoc igne prophetizavit David, ps. 96 : « Ignis ante ipsum precedet », etc. Et inimici Dei sunt mali Christiani et Judei et Sarraceni. — Tertia lancea est sententia judicii universalis quod tenebit Christus in fine mundi, cum veniet in sua majestate magna quod totus mundus *tremebit* de adventu ejus. Et dabit sententiam pro bonis stantibus ad manum dexteram. Mat. 25 : « Venite, benedicti », etc. Et pro malis stantibus ad partem sinistram, dicet ut ibidem : « Discedite a me », etc. — Et iste tres lancee sunt figurate II Reg. 18 : « Tulit ergo Joab tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalon. » Et iste Absalon filius David figurat mundum qui est proditor Deo nolens facere ejus voluntatem, abstinendo a peccatis, sc. superbia. Et Joab princeps militie figurat Christum *princeps* mundi qui affixet istas tres lanceas in corde Absalon, id est mundi. Et ideo non fecit Christus propter beatum Dominicum quem spectabat. Et ita est sal, et *reserva et guarda el mundo de corrupcion y destruccion*. Ergo benedictus Deus,

Digitized by Google

Ad tertiam conditionem quod sal *delecta et da placer en refeccion*, nam dat saporem escis et comestionibus. Et ideo habetur Mat. 5 : « Quod si sal evanuerit », etc. Et ego dico quod hanc proprietatem habuit beatus Dominicus, nam delectabat et dabat placitum in refectione penitentie. Nam licet dormire super *sarmentas* sit amarum, tamen pone sal, id est beatum Dominicum, quia lactans adhuc surgebat de lecto et cubabat super terram ; item dare eleemosynam est amarum, tamen pone sal, id est beatum Dominicum qui dedit omnia bona sua pauperibus qui moriebantur fame ; item jejunare in pane et aqua est res et *vianda* amara, tamen pone sal, id est beatum Dominicum qui tota quadragesima jejunabat in pane et aqua, et multis diebus per annum ; item disciplinare est *vianda* amara, tamen pone sal, id est beatum Dominicum qui cum ceteris de ferro se flagellabat et disciplinabat tribus vicibus in die ; et primam disciplinam faciebat pro animabus purgatorii, secundam pro peccatoribus, tertiam pro se ipso, licet nunquam peccasset mortaliter : et ita habebunt saporem in refectione penitentie. Et ita non fiet vobis amarum facere penitentiam. Et cum stasset in tanta perfectione fuit sibi revelatum quando debebat mori, et qualiter est in vita sua. Mat. 9 : « Ergo habete sal in vobis, quia bonum est sal. »

De sancto Dominico

(Recueil imprimé)

Vos estis sal terre.
(Mat. 5.)

Sicut totum officium et solemnitas presentis diei est gloriosissimi patris et Domini nostri confessoris beati Dominici, ita et sermo noster. Si placet Deo, habebimus multas bonas doctrinas, etc. Sed prius salutetur virgo Maria, etc.

Pro aliquali declaratione hujus verbi, et introductione materie predicande, sciendum quod omnes creature corporales visibiles que sunt in hoc mundo, habent unum officium in generali, sc. representare et signare res spirituales et invisibiles. Et ista est una ratio de principalioribus. Quare Deus creavit mundum ? quia ad representandum res invisibiles et spirituales. Ratio est, quia quandiu vivimus et sumus mortales in hac vita, non possumus videre res spirituales nisi per figuras, et representationes similes. Defectus hujus est ex parte carnis que impedit, quia non potest videre nisi corporalia, sicut ille qui coram oculis teneret berillos virides vel rubeos, quicquid videret esset viride vel rubeum, defectus non est ex parte oculorum, sed de vitris sive berillis nescien-

Digitized by Google

tibus representare nisi sub colore suo. Ita est de nobis. Oculi anime habent corpus sicut berillus, ideo non possunt videre nisi corporalia, sed dimissis berillis, sc. carne, statim vident spiritualia, angelos, animas. Ecce defectus. Unde est quod in hac vita non videmus res spirituales. Et ista est communis doctrina in philosophia, et in theologia. Dicit enim Philosophus: Impossibile est nos intelligere nisi per phantasmata, id est similitudines. In theologia etiam dicit Dionysius: Impossibile est nobis aliter lucere divinum lumen nisi velamine figurarum fuerit circumvelatum. Propter hoc sciens Deus quod spiritualia a nobis in hoc mundo non possunt videri, creavit mundum, in quo quelibet creatura quantumcunque parva representat et figurat spiritualia. V. gr.: Nullus vestrum vidit unquam in hoc mundo Christum, nec virginem Mariam, nec aliquem apostolorum. Ideo subtilis pictor pingit imagines non ad adorandum, sed ad representandum Christum, virginem Mariam, et alios sanctos. Ideo Deus subtilissimus depingit istum mundum tanquam retabulum plenum imaginibus ad representandum. Ideo dicit apostolus: « Invisibilia Dei... per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. (Rom. 1.) Patet ergo doctrina ista per rationem et autoritatem, quod omnes creature corporales habent idem officium generale, ideo illa invisibilis et spiritualis perfectio apostolorum, et illorum tenentium vitam apostolicam, voluit Christus ut per unam creaturam corporalem figuraretur, sc. per sal. Ideo dicit Christus apostolis, et vitam apostolicam tenentibus, singulariter beato Dominico patri nostro: Vos estis sal terre. Modo patet thema et ego sum in materia predicanda. Notavi ergo tres proprietates in sale per quas signat mihi apostolos, et singulariter beatum Dominicum patrem nostrum.

Primo sal emundat de infectione;

Secundo sal preservat a corruptione;

Tertio delectat in refectione.

Ex istis tribus conditionibus sal representat beatum Dominicum.

Dico primo quod sal emundat de infectione. De hoc IV Reg. 2 dicit textus quod ille sanctus propheta et amicus Dei Heliseus venit ad civitatem Hierico; et proceres et rectores civitatis venerunt ad eum, dicentes sibi quod illa civitas erat nobilis et pulchra, habens bonum territorium, sed habebat defectum, quia aque, inquit, sunt infecte, et faciunt terram sterilem, et inflant personas que bibunt de illa aqua. Ideo, pater, vos qui estis ita sanctus et amicus Dei, possetis in hoc providere, et dare remedium. Respondit propheta: Placet mihi: Afferte mihi vas novum. Cumque attulissent vas dixit: Modo habeam sal. Quod cum attulissent, sparsit super aquas. Hoc facto dixit: « Hec dicit Dominus Deus: Sanavi has aquas. » (IV Reg. 2.) Hic sunt quatuor secreta declaranda. Primo que est civitas Hierico. Secundo que sunt iste aque infecte.

Digitized by Google

Tertio quid est vas novum. Quarto quid est sal sanans et purificans aquas.

Civitas Hierico signat Ecclesiam. Hierico secundum interpretationem Hebraicam interpretatur luna. Ecce Christianitas universalis, sc. ecclesia, que recte facit cursum lune. Nam in luna invenio septem differentias seu status. Primo est nova. Secundo est crescens. Tertio plena. Quarto minuens. Quinto est gyrans. Sexto est eclipsans. Septimo erit perfecta. Idem de ecclesia. Primo fuit ut luna nova tempore apostolorum, quia tunc primo apparuit Christianitas, et stricta, et tunc simpliciter ibant Christiani, non habebant tot superbias nec vanitates in prelatis sicut modo. Secundo post fuit crescens tempore martyrum, quia ex miraculis que fiebant tunc multi convertebantur, et sic ecclesia augmentabatur. Tertio fuit plena tempore sanctorum doctorum, quia ex eorum predicationibus, et doctrinis, exemplis sanctitatis, totum mundum illuminaverunt, quia tempore Aug. tota Affrica erat Christianorum. Quarto fuit minuens, sc. tempore quo religiones predicatorum et minorum inceperunt, quia tunc propter peccata cito et subito periissent, ideo ad corrigendum illa peccata venerunt iste religiones. Quinto modo est gyrans, quando luna gyratur, non videtur per duos vel per tres dies. Ita modo quasi nulla obedientia exhibetur pape, dicentibus quibusdam quod papa sit supra concilium, aliquibus econverso. Sexto eclipsabitur, et hoc tempore Antichristi, quia tunc quasi mortua apparebit. Sicut dicunt simplices quando luna eclipsatur, dicunt quod moritur, et tota apparet sanguinea. Talis erit tempore Antichristi propter sanguinis Christianorum effusionem. Septimo post mortem Antichristi erit perfecta, quia tunc omnes ad fidem Christi revertentur. Ecce cursus ecclesie. Ideo ecclesia signatur per Hierico, id est, lunam. Et de ultimo statu dicit David : « Sicut luna perfecta in eternum et testis in celo fidelis. » (Psal. 87.)

Secundo videndum est que sunt aque infecte hujus civitatis. Iste aque sunt vitia, peccata, et mali modi vivendi Christianorum, quia ante adventum beati Dominici omnes gentes erant infecte. Fides oblivioni dabatur, virtutes erant in fastidium. De hoc Apoc. 8 : « Multi homines mortui sunt de aquis, quia amare facte sunt. Sed dixit Heliseus : Habeatur vas novum. » Ecce ordo predicatorum. Dicitur vas, quia continet plures fratres ; dicitur novum et vetus plus quam omnes, si volumus loqui quantum ad vota essentialia que sunt, sc. castitas angelicalis, paupertas apostolicalis sive evangelicalis, et obedientia generalis ; et quantum ad officium predicationis, quod est per mundum discurrere, non cameras edificare. Ista est religio beati Dominici quantum ad essentialia, totum hoc jam Christus ordinavit. Primus prior fuit Christus, quia dicit sanctus Thomas quod apostoli relinquentes omnia propter

Digitized by Google

Christum, voverunt pertinentia ad perfectionis statum, ex quo elicitur quod ista voverunt, sc. castitatem, paupertatem, et obedientiam Christo. Item de officio predicationis precepit eis dicens : Euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature. (Mar. ult.) Ecce hic religio Christi. Istamet est beati Dominici. Habeamus ergo et teneamus super nos tria vota, sc. castitatem angelicalem, paupertatem evangelicalem, obedientiam generalem, alias caveat sibi quilibet de ordine isto. Item ire ad predicandum, non ponere se in uno loco. Ideo dicit historia beati Dominici : Cogitavit instituere ordinem, qui fratrum predicatorum diceretur et esset. Ecce ergo quomodo est religio antiqua. Et bonus religiosus ista servans in judicio generali, quando reges et magni prelati stabunt in terra cum aliis, ipse stabit cum apostolis alte cum judice, sc. cum Christo. O qualis honor erit iste ! — Hic respondetur uni questioni litigiose, que est inter clericos et religiosos. Dicunt clerici quod ipsi fuerunt antequam religiosi, quod non est. Nam non fuerunt clerici usque in diem cene, et tamen prius fuerunt religiosi, sc. apostoli qui predicta voverunt. Sed religio beati Dominici dicitur vas novum quantum ad ceremonias, ut sc. portemus cappam nigram, et scapulare album, etc. Item quod comedamus in refectorio, et similia, quantum ad istas ceremonias, est vas novum. De isto vase possumus dicere quod Christus dixit de Paulo, qui fuit primus in officio predicationis, primus, id est principalis, et ultimus quantum ad vocationem ad apostolatum : « Vas electionis est mihi iste », sc. ordo predicatorum, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus. (Act. 9.)

Quarto videndum est quid est sal in vase. Ecce hic beatus Dominicus in vase ordinis, et ex prima proprietate, quia sal emundat de infectione. Sic beatus Dominicus positus in vase novo emundat infectiones peccatorum hujus mundi. Nam totus mundus erat infectus magna invidia ad invicem, sed venit beatus Dominicus predicans charitatem Dei et proximi. Et hoc figuravit Deus. Nam mater ejus vidit in somnis se gestare catulum, accensam in ore faculam bajulantem, qui egressus ex utero totum mundum incendere videbatur, de quo mater admirans illuminata fuit a Deo, dicens quod filius suus esset canis magnus de ovili Christi, qui latraret contra lupos inferni, ignis in ore ejus, quia debuit mundum inflammare in amore Dei et proximi. Item ab infectione luxurie, quia ante adventum beati Dominici tanta erat infectio hujus peccati, quod quasi nullus erat mundus. Sed venit beatus Dominicus, predicando castitatem et paupertatem, ad quas gentes habuerunt devotionem. Hoc jam ante figuravit Deus, quia matri spirituali visus est beatus Dominicus puer, quasi stellam habens in fronte, que totam terram suo lumine perlustrabat. Que stupefacta matri ejus cum ingenti gaudio quod viderat nunciavit. In quo innuitur quod sicut stella est pura et clara, sic ipse

Digitized by Google

debebat inducere gentes ad claritatem et puritatem castitatis. Item totus mundus erat infectus superbia, pompa, et vanitate, sed ad predicationem, et doctrinam, et exemplum beati Dominici multe persone humiliabantur, dimittendo vanitates ornamentorum, scutiferorum, equorum, vasorum auri et argenti, et similia. Hoc ostendit Deus, quia cum esset delicate nutritus puer, forte unius anni, deprehensus est frequenter lecto relicto super terram accumbere, ostendens humilitatem. Item mundus erat infectus gula. Jam vix quadragesima cognoscebatur, nec jejunia quatuor temporum, nec vigilie sanctorum, sed beatus Dominicus emundavit ab ista infectione, quod ostendit quando ipse decennio abstinuit a vino, jejunabat sepe in pane et aqua. Item mundus erat infectus avaricia, usuris, furtis, rapinis et deceptionibus, sed beatus Dominicus predicando et per exemplum emundavit. Hoc significavit opere, dum esset in Valentia ubi erat fames magna, et pauperes moriebantur fame, divites dicebant: Custodiamus bona nostra pro nobis et filiis nostris, quia istud nescimus quantum durabit. Sed beatus Dominicus vendidit libros et supellectilia, etc., et omnia dedit pauperibus, propter quod divites provocati ejus exemplo fecerunt eleemosynas. Idem de peccato ire, quia gentes nolebant dimittere seu remittere injurias, sed desiderabant vindictam. Sed venit beatus Dominicus predicans patientiam, et faciebant pacem. Hoc ostendit opere, quia quando predicabat in Gargasona, ubi erant multi heretici, et faciebant sibi multa vituperia, lutum et alia projiciebant in eum, et sustinebat patienter. Item mundus erat ociosus in bonis spiritualibus, nullus curabat facere penitentiam. Sed beatus Dominicus eam ostendit verbo et exemplo, quia ter in die disciplinabat se cathena ferrea. Patet quod beatus Dominicus ut sal positum in vase novo sanavit et emundavit aquas peccatorum. Ideo de beato Dominico potest intelligi verbum Aug. in Homel. Aquis peccatorum quorum condiendis extinguendisque fetoribus apostolicum salem Dominus misit.

Dico quod secunda conditio salis est quod preservat de corruptione, non tamen corruptionem factam curat et emundat, imo etiam preservat. Hoc patet, quia quando homo vult preservare carnes vel pisces, ponit in eis sal, quod restringit humiditates, etc. Hoc licet sit clarum, tamen autoritas de Thobia, qui cepit unum piscem, de quo comederunt partem, cetera salierunt que sufficerent eis in via, quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum. (Thob. 6.) Ita de beato Dominico. Nam invenio quod iste mundus debuit corrumpi et finiri, bene sunt ducenti anni et ultra elapsi. Sed virgo Maria volens mundum adhuc preservare, posuit salem, sc. beatum Dominicum, et salvavit mundum. Nam legitur in floribus sanctorum, et in vita beati Dominici, etiam in duobus locis visio quam vidit beatus Dominicus, et beatus Franciscus, et illi quando erant Rome laborantes pro confirmatione ordinum suorum, de quo papa et

Digitized by Google

cardinales reddebant se difficiles de re tam nova, quia petebant confirmationem status plus alte et plus basse. Alte propter vitam contemplativam in studio, et activam. Nam opera spiritualia exercendo, celebrando, et predicando, ubi satiantur famelici verbo Dei, ignorantes in fide instruuntur, etc. Et mortui, id est peccatores sepeliuntur in vulneribus Christi. Item captivi diaboli redimuntur. Exercitatur militia, quia demones vincuntur. O quot castra, id est peccatores ex predicatione subjiciuntur Christo! -- Secundo tam basse, quia despecti nimis, quia mendicantes, ideo papa nolebat confirmare, quia non erant reddituati. Cumque una nocte beatus Dominicus esset in quadam ecclesia orans, et beatus Franciscus in alia, visus est eis Christus cum tribus lanceis volens mundum destruere. Dum autem isti sancti dicerent intra se: O si nullus sanctus erit in celo qui revocet istam iram! Et subito venit virgo Maria, sicut veniret mulier festina ad eripiendum filium a lupis devorandum dicens: O fili, modo portatis lanceas qui consuevistis portare clavos in manibus vestris pro mundo. Respondit Christus audientibus sanctis Dominico et Francisco: Mater mea, et amplius quid debeo facere, cum tot gratias fecerim mundo? misi patriarchas et prophetas, et illos occiderunt, et finaliter egomet ivi, etc.

Dicatur historia, usque: modo non parcam. Iste tres lancee mundi destructive sunt tres magne tribulationes mundi in brevi venture. Prima est tribulatio et persecutio Antichristi, que lancea potest dici, quia totum mundum perforabit, etc. Secunda erit conflagratio mundi per ignem, totus mundus comburetur, etc. Tertia est sententia Christi judicialis. De his tribus lanceis autoritas allegorice, II Reg. 18: De Absalon filio David proditore et rebelli, sed interfectus fuit tribus lanceis a Joab principe militie. Dicatur historia. Tulit ergo Joab tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalon. (II Reg. 18.) Quare voluit Deus ut tribus lanceis Absalon occideretur, cum una fuisset sufficiens, maxime homini suspenso? etc. Figura fuit. Nam filius proditor Deo patri est totus mundus iste, faciens contra Dei mandata, expellens patrem suum, sc. Deum de mundo quantum potest. Sed princeps militie, sc. Christus interficiet eos tribus predictis lanceis. Etiam tempore beati Dominici mundus debebat a Christo destrui, et corrumpi, sed virgo Maria posuit sal, sc. Dominicum, obtinens unam prorogationem. Cogitate modo hic quando totus mundus est in una prorogatione, et non habemus tempus certum, sed dixit conditionaliter. Si convertitur, bene, sin autem, non parcam amodo. Modo contemplamini si mundus sit correctus in his regionibus. Credo quod nunquam fuit tanta pompa et vanitas, etc., sicut modo est, nec tanta luxuria nisi tempore Noe. Nam hospitia sunt plena, et ville etiam sunt plene meretricibus. Misce poma corrupta cum bonis, in brevi omnia erunt corrupta. Idem de avaritia, et usuris, quia mutant

Digitized by Google

nomina, usuras vocant false censualia, quia quando intentio non est emendi vel vendendi, sed mutuandi, usura est. Item nec precium justum, quicquid recipitis ultra sortem est usura et damnatio. Idem de symonia in clericis, omnia sacramenta finaliter habetis emere aliquo modo. Idem de invidia, si aliquis inter religiosos habet aliquam excellentiam conversandi, vel de scientia predicandi, alii invident. Idem de clericis et laicis de gula. Jam videtis quia nec quadragesima servatur, nec vigilie apostolorum, nec quatuor temporum servantur, etc. De ira jam videtis, imo quod pejus est contra Deum et rationem. Si aliquis facit aliquam injuriam, et non possunt habere illum, interficiunt aliquem amicum illius innocentem contra jus divinum, quia est contra judicium divinum et humanum, quod innocens occidatur. De acidia. Nam ad hoc venit mundus ut omnes reputentur ociosi, nisi sit negociator, sed si vacant aliqui servitio Dei et orationi, dicuntur ociosi, sed in sero apparebit quis fuerit ociosus ; et quia mundus non est correctus, imo quod deterius est, religiones que erant date ad corrigendum mundum, jam sunt destructe. Unde si modo veniret beatus Dominicus, vel Franciscus, non invenirent suum ordinem. Cum ergo mundus non sit correctus, quid sequitur, nisi quod in brevi corrumpetur ante venturum judicii diem ? — Et sic de aliis objectionibus responde, etc. Ecce sal, sc. beatus Dominicus, propter hoc laudemus Deum dicendo : « Benedictus redemptor omnium, qui saluti providens hominum mundo dedit sanctum Dominicum. »

Dico tertio quod alia conditio salis est quod delectat in refectione, dans escis saporem. Sed ut sit clarum, autoritas : « Quod si sal evanuerit, id est, defecerit, in quo salietur, sc. cibus ? (Mat. 5). Ad nihilum valet ultra, sc. cibus, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus ». Cibus animarum sunt opera bona et spiritualia. Autoritas : Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam eternam. (Joan. 16). Ideo dicit Christus : « Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis ». (Joan. 4) : Cibus Christi de quo ipse satiatur sunt opera virtuosa. Sed iste cibus erat insipidus ante adventum beati Dominici. Nam Domini temporales dimissa virtute justitie dabant se ad tyrannides. Sed venit beatus Dominicus, ponens sal, reducens eos ad virtutem justitie, contentos de suis redditibus, etc. Idem de cibis prelatorum insipidis, quia plus curabant de redditibus, quam de animabus. Sed beatus Dominicus posuit sal sue doctrine, quomodo plus de animabus quam de redditibus debebant curare. Quot religiosi erant de vita dissoluta, nihil servantes de religione, sed beatus Dominicus reducebat eos ad religionis observantiam. Quot clerici indevoti, non dicentes officium, nisi, a, e, i, o, u, et quasi omnes concubinarii, venatores per tabernas, reducti sunt, etc. Quot mercatores usurarii ementes minoris pro parata pecunia, vel vendentes pluris expectando. Quot cives crudeles, permittentes pauperes mori

Digitized by Google

fame, reduxit ad pietatem, misericordiam et liberalitatem. Quot mulieres luxuriosas sua predicatione reduxit ad castitatem, etc. Finaliter dixit Deus : O ! istud sal ego volo quod ponatur in mensa mea. Et ecce quomodo. Dicatur quomodo apparuit sibi Christus, invitans eum ad gloriam suam. Tunc beatus Dominicus vocavit XII fratres in conventum Bononie, et ibi coram eis condidit testamentum tale, ut decebat eum, dimittens fratribus firmam humilitatem, sc. quod non propter sanctitatem nec scientiam superbirent. Secundo dimisit fratribus thesaurum paupertatis, quo emitur regnum celorum. « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. » : (Mat. 5.) Tertio dimisit charitatem fraternalem, et osculatus est fratres, et receptis sacramentis obiit. Dicatur de gloria quam Deus sibi ostendit de duabus scalis, quarum Christus tenebat caput unius, et virgo Maria alterius, etc. Et ipse corona aurea coronatus intravit gloriam. Si dicatur : Quare duas scalas ? nunquid una sufficeret ? Responsio : Ad innuendum quod religio predicatorum non solum per unam scalam, sc. vite contemplative mittit fratres, sed etiam per aliam, sc. vite active coartans. Celestini et similes solum ascendunt per scalam contemplationis. Milites sancti Joannis, sancti Jacobi, sancti Georgii, et fratres de Mercede, ascendunt per aliam scalam, sc. vite active. Fratres autem beati Dominici per duas, sc. contemplativam studendo, et per activam predicando. Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. (Mat. 9.)

Nous reproduisons ici une note du ms de Valence :

Hic omittuntur quatuor sermones antiquarum editionum infra octavam S. Dominici, quia tres priores sub themate : « Non veni solvere legem, sed adimplere », sunt de decem preceptis decalogi ; quartus vero sub themate : « Tu vero vigila » est de virtute vigilantie circa servitium Dei, quos dabimus in tomo Variorum.

Digitized by Google

In Festo Transfigurationis Domini

(Manuscrit de Valence)

Faciamus hic tria tabernacula.
(Mat. 17.)

Istud festum, et solemnitas presens est de Transfiguratione Christi. Et ideo ego intendo predicare de ista materia Transfigurationis gloriose. Et si placet Deo, erit materia *commodiosa* omnibus. Et ideo recurramus ad virginem Mariam : *Ave Maria.*

Faciamus hic tria tabernacula.
(Mat. 17.)

Et sciatis, quod doctrine sancte scripture sunt diversa tabernacula. Et est ratio : quia habent conditiones tabernaculorum : nam dant refrigerium contra calorem, et defensionem contra pluviam, et absconsionem contra ventum. Ad hoc habetur Isaie 4 : « Et tabernaculum erit in umbraculum. » Ita doctrine scripture sancte habent istas conditiones ; nam dant refrigerium contra calorem avaritie ; et defensionem contra pluviam luxurie ; et absconsionem contra ventum superbie. Et ideo ego intendo declarare tres doctrinas sacre scripture de Transfiguratione Christi.

Prima, de sua conditione gloriosa ;
Secunda, de sua fruitione copiosa ;
Tertia, de sua absconsione *piadosa.*

Et sic ecce hic tria tabernacula, vel tres doctrinas sacre scripture de Transfiguratione Christi, in quibus poterunt morari nostre anime : Ergo faciamus hic tria tabernacula.

Ad primum de conditione gloriosa. Nam licet Christus habuisset gloriam jam a principio in anima sua ex parte ipsius per suam dignitatem : nam in illo puncto, quo beata Maria ad denunciationem angeli respondit : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum », habuit tantam scientiam, et gloriam sicut hodie ; sed non quoad carnem, quam recepit ex parte nostra propter nostram miserationem, quia passibilis. Sed habuit gloriam quoad carnem, cum resurrexit gloriosus tertia die. Et de hoc habetur Isaie 62 : « Dicite, filie Sion : Ecce Salvator tuus venit. » Et ideo Judei, videntes Christum passibilem et pauperem, non admiserunt, contra id quod habetur Zacharie 9 : « Exulta satis, filia Sion. » Sic ergo licet Christus haberet quoad animam, gloriam, et quoad

Digitized by Google

corpus passiones, recepit tres discipulos secum, sc. Petrum, et Joannem, et Jacobum, et assumpsit in montem altum Thabor. Et ibi apparuit Moyses in anima, quia jam erat mortuus, et Elias, qui adhuc erat vivus, et vivit in paradiso terrestri. Et tunc dixit Moyses Christo cum essent ibi in monte Thabor : quod erat adimpleta figura et promissio, quam sibi fecerat Deus, etc. Et sic gloria, quam habebat in anima fuit transfigurata quoad carnem. Et ita hoc vult dicere Transfiguratio, sc. glorie anime in corpus passibile communicatio.

Sed modo queritur : Quare Christus magis assumpsit Moysen et Eliam quam alios ? — Et dico litteraliter pro Judeis, et moraliter pro Christianis. Litteraliter pro Judeis, est ratio : quia voluit quod Moyses, qui fuit dator legis, et Elias zelator, fuissent, ut Judei non denegassent legem Christi ; sed imo ipsam recepissent et observassent. Moraliter pro Christianis: Nam sicut Moyses regebat populum, ita rectores universi totum debent gubernare populum, ut ingrediantur paradisum. Item, sicut Elias erat penitens, ita quilibet nostrum debet facere penitentiam, ut intremus paradisum, ut habetur Matthei 4 : « Penitentiam agite », etc.

Ad secundum de fruitione gloriosa. Nam tanta fruitio exibat de Transfiguratione Christi, quod beatus Petrus erat ita raptus quod nesciebat quid diceret. Et dixit : « Faciamus hic tria tabernacula, quoniam bonum est nos hic esse. » Et ipse faciebat *computum* quod beatus Joannes esset cum Moyse, et Jacobus cum Elia ; et ipse, cum Christo. Et ita non se decipiebat. Et ex hoc extrahitur proverbium Valentinum : *Qui partix, e se enganne, sent Pere li trague el ull.* Hoc est : qui dividens se decipit, sanctus Petrus eruit oculum ejus. Et cum elevassent oculos, non poterant respicere nisi Christum, tanta erat claritas que exibat de Christo : nam dicit evangelium, quod facies ejus assimilabatur soli, et vestes ejus erant albe sicut nix. Et cum stassent sic in tanta fruitione prostrati in terra, intonuit quedam vox de celo Dei patris, dicentis : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui : ipsum audite. » Et ideo est contra Judeos, qui nolunt audire eum, et tenere legem suam, que est de pondere bono : nam lex Moysis, etc.

Ad tertium, de sua absconsione *piadosa*. Nam cum Christus fuisset transfiguratus, et jam descendisset cum dictis apostolis de monte Thabor, dixit eis ut non revelarent dictam Transfigurationem et revelationem glorie sue, quam viderant ipsi. Et ita fecerunt, quod non predicaverunt nec revelaverunt.

Sed modo queritur : Quare Christus vetuit quod non revelarent dictam gloriam, et transfigurationem usquequo passus fuisset ? — Dico ideo ut Judei non scandalizarentur convertendo se, credendo quod Christus erat Deus, et post passionem suam renegarent, quod est pejus. Ad hoc habetur II Pet. 2 : « Melius enim erat illis non cognoscere viam

Digitized by Google

justitie. » Et in hoc peccato sunt, qui scandalizantur, non perseverando in penitentia. Et ideo habetur Matthei 11 : « Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. » Item, in hoc scandalo sunt Sarraceni, qui fuerunt in initio Christiani, nam tota Mauritania fuit possessa per Christianos ; sed fuerunt decepti per Mahomet. Et ideo credunt aliqua de Christo bene, et aliqua male ; et ita scandalizati sunt. Et sic cognoscatis veritatem legis Christi.

Item, in hoc scandalo sunt Judei, qui facti Christiani semel, redeunt ad infidelitatem, vivendo sicut Judei, Et ideo si nolunt reverti per penitentiam ad legem Christi, comburentur, nam hoc scandalum est fidei christiane. Et ideo dicit David psal. 118 : « Pax multa diligentibus legem tuam ; et non est illis scandalum. » Et sic modo habetis tria tabernacula, per tres doctrinas sancte scripture de Transfiguratione Christi gloriosa, in quibus hodie poterunt morari nostre anime. Ergo faciamus hic tria tabernacula.

Deo gratias.

Digitized by Google

De beato Laurentio

(Canevas autographe)

Multum fructum affert qui amat animam suam.
(Joan. 12.)

Invenitur duplex amor hominis ad animam suam, sc. carnalis et spiritualis. De carnali dicit Christus in Evangelio hodierno : « Qui amat animam suam perdet eam. » De spirituali intelligitur thema de beato Laurentio. — Nota ergo fructum quem attulit juxta illud Marc. 4 : « Dabat fructum ascendentem et crescentem. »

Primus sanctimonia personalis ;

Secundus misericordia proximalis ;

Tertius patientia martirialis.

De primo : Sanctimonia personalis dicitur fructus tricesimus quia cum observantia decalogi tenet integritatem spiritus, anime, corporis. Thes. 5 : « Deus pacis fructificet vos per omnia », etc. — Nota hic de legenda beati Laurentii que ad hoc facere possunt.

De secundo : Misericordia proximalis dicitur fructus sexagesimus quia cum decalogo observat denarium operum misericordie. Mat. 25 : « Esurivi et dedistis mihi », etc. — Nota hic de misericordiis beati Laurentii.

De tertio : Patientia martirialis propter sui perfectionem dicitur fructus centesimus qui multiplicatur per denarium in seipsum. Jac. 1 : « Patientia opus perfectum », etc. — Notari possunt ad hoc de beato Laurentio decem tormenta.

In Festo sancti Laurentii, martyris

(Manuscrit de Valence)

Multum fructum affert, qui amat animam suam.
(Joan. 12, et recitative in Evangelio hodierno.)

Quomodo totum officium est de beato Laurentio, sic similiter erit nostra predicatio. Et si placet Deo poterimus recipere bonas doctrinas de vita sua virtuosa : et non solum Christiani, sed etiam Judei, et Sarraceni. Et ideo ut gratia divina intersit, recurremus ad virginem Mariam, dicendo : *Ave Maria.*

Digitized by Google

Multum fructum affert, qui amat animam suam
(Joan. 12.)

Modo, bona gens, pro declaratione sciatis quod amor anime est in duobus modis, sc. amor carnalis, et iste est malus ; et amor spiritualis, et iste est bonus. Amor carnalis est vivere secundum placita carnis, et cum honoribus et divitiis ; quia semper desiderant vivere, et esse longiter in corpore anima sua : et iste est amor carnalis. Et ideo dicunt multi : Demus placita corpori, ut anima remaneat in eo : et iste amor carnalis malus est. Et ideo dicit evangelium : « Qui amat animam suam, id est carnaliter, perdet eam » ; nam recipiendo placita carnium, attingit infernum, et ita perdit eam. Alius amor est spiritualis, sc. quando vult et desiderat remanere anima in corpore ut faciat penitentiam et procurat honorem Dei. Et de isto amore loquitur thema, cum dicit : « Multum fructum affert. » Et istum amorem spiritualem habuit beatus Laurentius, qui fecit fructum multum.

Et invenio in vita sua tres fructus :

Primus fructus est sanctimonia personalis, ad se ipsum ;

Secundus fructus est misericordia fraternalis, ad suum proximum ;

Tertius fructus est pacientia martyrialis, propter Deum.

Ad primum fructum quem fecit, et dedit beatus Laurentius de sanctimonia personali. Et ecce quomodo : Nam cum ipse esset filius de nobili genere, nam pater suus erat miles, et habebat scutiferos, et non poterat ibi addiscere, et vivere spiritualiter, egressus est de Huesca, et accessit ad Cesaraugustam ad studendum, et ita fecit sicut habetur Genesis 12 : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua. » Et ita beatus Laurentius dimissit propriam patriam civitatis Oscensis, ideo nam parentes carnales non desiderant in filiis nisi carnem, non animam. Et ideo sumatis exemplum de ipso, ut si patria vestra non est utilis anime, etc. Et cum fuit Cesarauguste, studuit in duobus libris, sc. de scientia, et de conscientia bona. De scientia, ad intelligendum, et cognoscendum Deum : de bona conscientia ad serviendum, et vivendum secundum Deum, et voluntatem ejus. Nam multi sunt, qui habent multam scientiam, sed malam conscientiam. Et ideo habetur 1 ad Corinth. 8 : « Scientia inflat, charitas vero edificat. » Sed beatus Laurentius scientiam, et charitatem habuit in vita sua, quia erat de omni morum bonitate compositus.

Et propter hoc, licet ipse faceret sanctam vitam occultam, Deus revelavit eum. Et ideo habetur Matthei 5 : « Non potest civitas abscondi supra montem posita. » Et dicit glossa : Non potest persona contemplativa, etc. Et ecce quomodo Laurentius fuit revelatus per Deum : Nam audita fama ejus per beatum Sixtum papam, qui veniebat e Roma ad tenendum consilium forte Toleti, vocavit eum, et creavit cardinalem. Qui erat multum humilis, licet cardinalis, ut habetur Ecclesiastici 3 :

Digitized by Google

« Quanto magnus es humilia te. » Et ita vixit sancto modo quod etiam quod non fuisset mortuus martyr, fuisset confessor. Et ideo potest dici de eo, quod habetur Rom. 6 : « Habetis fructum vestrum in sanctificationem. »

Ad secundum fructum, de misericordia fraternali erga suum proximum. Nam faciebat multas eleemosinas de suis redditibus, quos habebat magnos. Et quidam imperator Philippus commisit sibi thesauros, ut ministraret, et divideret inter pauperes Christianos. Et quia imperator Decius, successor Philippi, persequebatur Christianos, de nocte occulte dividebat ; et curabat infirmos per nomen Jesus. Et ideo sancta mater Ecclesia dicit : « Laurentius bonum opus operatus est. » Et cum thesauri fuissent divisi, imperator Decius fecit ad se venire beatum Laurentium, ut ei daret thesauros sui predecessoris. Et dixit quod sibi placebat ; et respondit dicens quod habetur in vita sua : « Facultates Ecclesie quas requiris in celestes thesauros manus pauperum deportaverunt. »

Et ita, si vultis invenire thesaurum in celo, per manus pauperum mittatis : nam in hoc mundo non possunt remanere, ut habetur ad Hebreos 13 : « Non habemus hic manentem civitatem. » Et ita recipiatis litteram de *cambio*, sc. eleemosinam pauperum, nam in morte eritis *robati*, quia nihil portabitis vobiscum. Et ideo concordat verbum Christi, Matthei 19 : « Da pauperibus et habebis thesaurum in celo. » Et in dando eleemosina, observetis istum modum ut sit fructuosa : nam magis valet eleemosina cum humilitate cordis osculando manum pauperis. Et talis eleemosina faciet fructum, ut habetur psalm. 1 : « Fructum suum dabit in tempore suo », sc. in gloria paradisi.

Ad tertium fructum de patientia martyriali. Nam patienter sustinuit pro Deo martyrium crudele multum. Et ecce quomodo : Nam imperator Decius fecit eum primo poni in quodam carcere obscuro : et ibi licet corpus suum sufferret dolorem, tamen anima ejus habebat consolationem, contemplando in gloria paradisi, que sibi erat parata. Et secundo fecit eum *apaleare* (fustibus cedere) ut adoraret et sacrificaret idolis suis ; et ipse ad quemlibet ictum, dicebat : Jesus ! et non sustinebat dolorem propter virtutem Jesus.

Et tertio fecit eum poni in equuleo : qui est *cruçatus* (in modum crucis), et ibi contemplabatur Christum Deum, qui consolabatur eum. Et quarto fecit cum pectinibus eum excoriare quod totus sanguis ibat per terram. Quinto fecit eum ita excoriatum cum flammis ignis ad latus cremari. Et tunc dixit beatus Laurentius verbum David : « Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. » (Psal. 16.) Et sexto fecit eum flagellare. Et tunc dixit beatus Laurentius quod Ecclesia dicit : « Domine, Jesu Christe, miserere mihi, servo tuo. » Et respondit

Digitized by Google

Christus : « Adhuc plura tibi debentur pro fide Christi certamina. » Et septimo fecit eum poni in craticula, et faciebat eum volvere cum *ganchos* [uncinis] ad latus : et post, cum esset ita tribulatus, fecit super corpus ejus ponere sal *grosum :* et ita emisit spiritum Deo, qui est sanctus in gloria. Et ideo de hac fructificatione habetur Joan. 15 : « Ego posui vos, ut eatis. » Et sic bene verificatur thema de beato Laurentio : « Multum fructum affert. » Et sic, bona gens, licet beato Laurentio constiterit multum paradisus, tamen nobis non oportet quod tam carum emamus ; sed cum decem florenis, id est operibus penitentie poterimus emere, ut habetur Mat. 4 : « Penitentiam agite », etc.

De sancto Laurentio, martyre

(Recueil imprimé)

Habetis fructum vestrum in sanctificationem.
(Verbum istud habetur originaliter ad Rom. 6, et recitative in epistola currentis festivitatis.)

Sicut totum festum et solennitas hodierna est beati Laurentii militis Christi, ita erit et sermo noster, maxime quia de ejus vita gloriosa, et morte, et passione dolorosa poterimus recipere bonas doctrinas, etc. Salutetur prius virgo Maria.

Pro declaratione hujus verbi, et introductione materie predicande, sciendum quod in sacra scriptura bona opera, virtuosa, et meritoria, que homo facit in hac vita, dicuntur fructus vite humane. Ratio est : Nam principale, ultimum, et finale quod homo expectat de arbore est fructus. Nam si in horto suo habet quisquam pulchram arborem, non erit contentus de radicibus, vel de ramis, floribus, vel de foliis, sed de fructibus, quia est illud quod speratur. Idem est de Domino Jesu Christo, qui habet hortum pulcherrimum, sc. ecclesiam militarem, clausam preceptis et consiliis, plenam arboribus, et quilibet Christianus est una arbor. Unde dicitur Marc. 8 : « Video homines velut arbores ambulantes. » Et plantantur in die baptismi, et rigantur aqua baptismi. De istis arboribus principaliter vult Deus fructum dulcem. Ideo dicit ecclesia Domino Jesu Christo : « Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. » (Cant. 5.) Non enim contentatur Christus quod mittamus radices magnas in terram, sc. parentes et amicos, etc. De talibus enim qui habent magnam gloriam, dicitur vulgariter : Ille habet magnas radices. Nec etiam contentatur Christus de trunco sive de ramo forti et grosso, que est persona juvenis, pulchra, et fortis. Nec

Digitized by Google

de ramis, sc. possessionum, vinearum, villarum, et castrorum. Nec contentatur de floribus, id est bona fama et honoribus. Nec de foliis, sc. ratiocinando, advocando, predicando, et disputando. Nec contentatur umbra prelationum, dignitatum, dominii, et officiorum, sub cujus umbra multi se ponunt. Sed vult fructus dulces et sapidos bonorum operum, intantum quod si aliqua persona haberet omnia predicta, sc. radices, etc., et non haberet fructum bonorum operum, talis esset in ira Dei. Ecce quid dicit Christus : « Omnis arbor que non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. » (Mat. 3 et 7.) Patet ergo ratione quod bona opera in hac vita per nos facta dicuntur fructus. De hoc autoritas Christi dicentis : « Ego elegi vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat. » (Joan. 15.) Ego elegi vos. Sicut homo elegit arborem de nemore, et plantat in suo horto, ita Deus eligit Christianos de nemore infidelium, et plantat in horto ecclesie. Nota eatis, sc. de virtute in virtutem proficiendo. Cum ergo beatus Laurentius in vita sua abundaverit in fructibus bonorum operum, et perseveraverit usque in finem, possumus sibi dicere thema : Beate Laurenti, habetis fructum vestrum in sanctificationem. Patet thema.

Modo invenio in beato Laurentio quod habuit tres fructus sanctificationis bonorum operum.

Primus est de abstinentia personali ;

Secundus de misericordia proximali ;

Tertius fructus est de patientia martyriali.

Et pro quolibet possumus dicere thema modo propositum. Habetis fructum, etc.

Dico primo quod beatus Laurentius sicut arbor bona in horto sancte Ecclesie plantata fecit fructum de abstinentia personali, quia semper abstinuit a vitiis et peccatis, a vanitatibus mundi in tribus locis. Primo in civitate Oscha. Secundo in Cesaraugusta. Tertia in Roma.

De primo sciendum est quod ipse fuit de Oscha natus, de magno genere, multum dilectus, et licet in domibus magnorum fuisset nutritus, tamen beatus Laurentius abstinuit a ludis puerorum, quia jàm incipiebat timere Deum, cavebat a mendaciis, a juramentis, et orabat Deum quotidie. Dicatur hic modus vivendi. Recte fuit completum in illo illud verbum Salomonis : « Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam. » (Sap. 8.) Si enim videbat aliquem scutiferum vitiosum in domo patris sui, vitabat illum, quia magnum periculum est pueris si in pueritia dant se alicui peccato, quia quando sunt magni, vix possunt se ab illo cavere, ideo legitur de Alexandro magno quod dum esset puer, pater ejus commisit ipsum uni magistro, qui ostendit sibi aliqua magna vitia. Et quando fuit magnus, volebat abstinere, et non poterat. Et displicebat sibi, propter quod occidit magistrum suum vocatum Leoni-

Digitized by Google

dem, et juxta nomen suum, dedit ipsum Leoni vivum. Ideo multum debent cavere a societate malarum personarum. Ita fecit beatus Laurentius, et videtur in eo fuisse completum verbum sacre scripture : « Bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua. » (Thren. 3.) Nota jugum, sc. bone instructionis.

Secundo abstinuit in Cesaraugusta, quia quando habuit discretionem, dimissa domo patris ivit ad Cesaraugustam ad studendum. Modo jam scitis studentes quantas stultitias faciunt, et dissolutiones, sed beatus Laurentius abstinuit in omnibus, confitebatur sepe, et communicabat, studebat plus in die quam alii in una hebdomada, domabat carnem suam, et sic servabat se in virginitate, intantum quod odor bone fame sue redolebat etiam usque Romam, et fuit in eo verificatum verbum sacre scripture dicentis : « Memento creatoris tui in diebus juventutis tue. » (Eccl. 12.)

Tertio ivit Romam. Et ecce sanctus Sixtus papa vadens ad celebrandum consilium Toletanum fecit transitum per Cesaraugustam, et audita fama beati Laurentii vocavit eum, et scita sua sanctitate duxit eum secum. Quem habuit ita charum et dilectum, quod papa nolebat missam celebrare sine eo. Item quando papa communicabat populum, dicatur quomodo consecrabat multas hostias, etc. Tunc adhuc dabatur etiam de sanguine Christi communicantibus, et commisit beato Laurentio dominici sanguinis dispensationem, sed postmodum fuit statutum quod non daretur sanguis populo communi propter pericula que possunt sequi et scandala, quia etiam jam in hostia consecrata est sanguis Christi ex naturali concomitantia, etc. Deinde papa fecit eum diaconum cardinalem, licet contradiceret, sed propter obedientiam acceptavit. Beatus Stephanus et Laurentius fuerunt diaconi cardinales. Et officium istud nondum nominabatur isto nomine cardinalis. Sed non credatis quod ex hoc ipse mutaverit statum vel modum suum vivendi, sed vixit sicut prius in cibo, potu, et vestitu, et abstinentiis. Ecce quomodo beatus Laurentius fecit fructum de abstinentia personali, et possumus sibi dicere thema : Habetis fructum, etc. Et concordat autoritas Pauli dicens : « Hec est voluntas Dei, sanctificatio vestra. » (1 ad Thessal. 4.)

Secundo beatus Laurentius fecit fructum de misericordia proximali, quia ita erat misericors, et nihil sibi retinebat, sed totum dabat pauperibus Christi. Nam tunc temporis erat in Roma imperator quidam Christianus nomine Philippus, qui dicitur fuisse conversus a beato Laurentio. Sed post fuit imperator quidam tyrannus nomine Decius, maximus persecutor Christianorum, qui sciens quod suus predecessor dederat ecclesie totum suum thesaurum, voluit repetere violenter dictum thesaurum. Hoc sciens beatus Lautentius, distribuit totum thesaurum ; et perquirebat Romam que tunc erat maxima, et ubi inveniebat Christianos

Digitized by Google

absconditos metu imperatoris, dabat eis eleemosynam. Primo in anima eos confortando in fide. Secundo corpora eorum reficiendo de illo thesauro. Nota ex legenda sua, quomodo curavit illam viduam que habebat in domo sua multos Christianos absconditos, et dedit eis largas eleemosynas, et confortavit eos, et dixit quod miles non potest melius mori quam in justo bello, et illuminavit cecos, et sic distribuit totum thesaurum in piis causis. Ideo cantat ecclesia : « Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis cecos illuminavit, et thesauros ecclesie dedit pauperibus. » Ecce fructus beati Laurentii de misericordia proximali.

Moraliter hic beatus Laurentius dedit in hoc exemplum divitibus et potentibus, qualiter se debent habere in pecuniis. Nam cogitavit beatus Laurentius quod non posset illum thesaurum retinere in pecuniis contra imperatorem. Ideo per manus pauperum misit in celum, propter hoc dixit imperatori thesaurum querenti : Facultates ecclesie quas requiris manus pauperum in celum deportaverunt. Videtur ergo quod manus pauperum sint mense campsorum : Et dico quod sic, et per Christum sunt assecurate. Ecce instrumentum securitatis ex scriptura : « Da pauperibus, et habebis thesaurum in celo. » (Mat. 19.) Nihil potest perdi. — Modo audite : omnes scimus quod non possumus diu retinere nec possidere divitias hujus mundi, quia hodie vel cras oportet eas dimittere. Sed si vultis ne perdantur, detis in manus pauperum. Nunquid esset magna stultitia diviti periculosum passum transire, in quo omnes depredentur, si secum vellet portare pecunias, nunquid esset melius dare in mensa campsoribus? etc. Multi sunt in hac stultitia. Omnes habemus transire passum mortis periculosum, ubi omnes depredantur. Fures sunt uxor, et filii, et scutiferi. Nam quando medicus dicit : Factum est, dicit uxor : Per virginem Mariam cista cum pecunia erit mea. Scutiferi et parentes rapiunt, et anima nuda vadit ad judicium. Ad quam dicit Christus : Et quomodo venis ita? Et respondet sic : Domine, fui depredata. Tunc Christus dicet : « Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens cum usuris, id est crescentiis, utique exegissem illam? » (Luc. 19.) Quomodo ille se poterit excusare? nullo, nisi dicat : Domine, fui stultus ; et Christus dicet : Ideo vadas ad hospitale stultorum, et remittet eum ad infernum. Ideo recipiatis exemplum a Laurentio, et habebitis thesaurum in celo. Ille diligit pecunias qui eas custodit eternaliter, et non ille qui depredatur. Benedictus est qui non dimittit filio onus restitutionis. Ideo Jacob. 3 : « Que desursum est, sapientia est... bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis. »

Tertio fecit fructum de patientia martyriali. Invenio quod sustinuit decem tormenta, et in omnibus habuit patientiam. Primum : « Nam videns imperator quod non poterat habere thesauros, opposuit sibi titu-

Digitized by Google

lum Christianitatis. » Propter quod fuit captus, et in tenebroso et fetido carcere corpus detinebatur, sed anima contemplabatur, transiens per choros angelorum, et sic consolabatur ibi. Et potest dici de eo : « Quoniam in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione et aviditate in illa eterna patria conversatus est. » Secundum tormentum fuit : Nam postquam multis diebus fuit in carcere sine cibo et potu, cogitavit Decius quod esset debilitatus, et fecit ipsum venire coram eo dicens : Vel habes diis sacrificare, vel mori. Et Laurentius : O stulte, et quomodo dicis quod dimittam Deum, et adorem idola? Indignatus Decius fecit eum percuti fortiter baculis, et in quolibet ictu dicebat Jesus, et sic patienter sustinuit. Tertium tormentum fuit, quia positus in eculeo, et scorpionibus cesus, est sibi dictum : Abnega Christum. Respondit : Infelix, has epulas ego semper optavi. Quartum tormentum fuit de laminis ferreis ignitis ejus lateribus appositis, qui cum sentiret maximum dolorem dicens : Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. Quintum tormentum fuit, quia Decius jussit eum plumbatis durissime cedi, et miraculum est quod tantum vivebat. Istud tormentum fuit asperum intantum quod clamavit beatus Laurentius dicens : Domine Jesu, accipe spiritum meum. In instanti vox venit ipso Decio audiente dicens : Adhuc multa certamina tibi debentur. Sextum fuit cum pectinibus ferreis, etc. Tunc adfuit angelus Dei cum linteo, tergens ejus vulnera. Et tunc miles quidam Romanus nomine, credidit in Christum. Et clamavit ad beatum Laurentium dicens : Video ante te juvenem pulcherrimum stantem, et linteo tergentem vulnera tua. Et baptizatus fuit a beato Laurentio. Septimum tormentum, quia ne sic moreretur fuit positus in arcto carcere, sine cibo et potu, et consolatione aliqua, sed poterat ipse dicere cum apostolo : « Nostra conversatio in celis est. » (Phil. 3.) Octavum tormentum fuit de craticula, quia Decius fecit eum venire coram se, et ait : Sacrifica diis, sin autem, nox ista in tuis expendetur suppliciis. Cumque sacrificare nollet, ministri exutum super cratem ferream posuerunt, et extenderunt prunis suppositis : cogitate tormentum. Nonum fuit de furcis ferreis, quibus eum compresserunt, ut diutius assaretur. Ipse autem letissimo vultu respexit ad imperatorem dicens : Ecce, miser, assasti unam partem, gira aliam, et manduca, quia jam video quod diu desideravi. Decimum fuit de sale in igne posito. Et tunc oravit beatus Laurentius dicens : Gracias ago tibi, Domine, quia cum patientia dedisti mihi victoriam. Et tradidit spiritum.

Et ecce quomodo factus est modo gloriosus, et fecit fructum de patientia martyriali. Et potest de eo verificari prophetia in Psalm. 131 : « Inimicos ejus, sc. Decius, et ministros ejus, induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea », propter fructum martyrialis patientie. Ergo, beate Laurenti, habetis fructum vestrum in sanctificationem.

Digitized by Google

Sermon pour saint Hippolyte

Au manuscrit de Valence se trouve un canevas pour la fête de saint Hippolyte (14 août). Bien qu'il ne soit pas de saint Vincent Ferrier, je le donne intégralement, à titre de détail historique.

IN VILLA DE ILLESCAS FERIA QUINTA

(Et quarta feria vacat propter infirmitatem magistri)

Sancti per fidem vicerunt regna.
(Hebr. 11, et in epistola recitata statim.)

Et ut verba mea sint ad laudem et honorem Dei, etc., recurramus ad virginem Mariam.

Domini est verbum quod vobis incipio predicare, quia vos non venitis ista causa ut me audiretis, sed magistrum Vincentium : Quem Deus liberet a sua *cessione*. Et nec ego veni causa predicandi, sed causa excusandi. Et quia hodie est solemnitas de beato Hippolyto, discipulo beati Laurentii, ego intendo declarare duo puncta que communiter queruntur ab aliquibus qui vincerunt [*sic*] bellum. Primo queritur quomodo vincerunt et per quam virtutem ; secundo queritur quid vincerunt. Et hec duo queruntur a sanctis Dei qui vincerunt in hoc mundo. Et ita a beato Hippolyto ; nam etiam queritur ab eis quomodo vincerunt in hoc mundo. Et respondet thema : « Sancti per fidem vicerunt » [*sic*]. Et sic ultra queritur quid vincerunt, sequitur : « regna ». Et sic modo declaratum est thema, et sum in materia.

Ad primum : Quod queritur a sanctis vincentibus, sc. quomodo vincerunt in hoc mundo. Et dicit thema quod per virtutem fidei. Et sciatis quod ista virtus fidei est multum necessaria ad vincendum et perseverandum in bonis operibus, et non dubitare in aliquo nec disputare cum suo labili intellectu, sed firmiter credere quod per Christum est dictum, et per apostolos predicatum, et per martyres propagatum, et per profetas profetizatum. Item, ut ista virtus fidei habeat efficaciam et virtutem ad vincendum in hoc mundo, oportet quod *valletur* bonis operibus, nam alias fides sine bonis operibus mortua est. Et istam virtutem fidei cum bonis operibus et sine aliquibus dubitationibus habuit

Digitized by Google

beatus Hippolytus ut in vita sua potestis colligere, quod statim credidit beato Laurentio et ab eo fuit baptizatus.

Ad secundum : Quod queritur quid vincerunt ? Et dicit thema quod « regna ». Et hec vincit beatus Hippolytus per suum martyrium, ut in vita sua, etc. [*sic*].

HUNC SERMONEM FECIT PRIOR ORDINIS PREDICATORUM DE TOLEDO.

Digitized by Google

De Assumptione beate Marie Virginis

(Canevas autographe)

In civitate sanctificata similiter requieri.
(Eccl. 24.)

Nota quinque conditiones in Assumptione beate Marie, ad quorum similitudinem sancta quelibet anima assumitur ad requiem civitatis celestis.

Primo, triduum preparationis sibi divinitus fuit datum, quamvis semper esset perfectissime preparata. Ecce tria sacramenta decedentibus necessaria: confessio, communio et extrema unctio. Hoc triduum suscipit sancta anima juxta illud Ex. 5 : « Deus Hebreorum vocavit nos ut eamus viam trium dierum », etc.

Secundo, ad cujus transitum omnes apostoli jam per mundum dispersi, nec non quam plures alie sancte persone fuerunt congregate, orantes et laudantes Deum. Sic ad obitum fidelis persone, non carnales, parentes, consanguinei et amici, que suis fletibus et lamentationibus mundanis plurimum impediunt animam morientis, sed persone spirituales, debent advocari, suis orationibus et exhortationibus animam confortantes. — Nota miraculum de obitu Fratris Stephani Lombardi. Eccl. 38 : « In requie mortui », etc.

Tertio : In obitu ejus Christus Dominus cum omnibus angelis et sanctis paradisi advenit totus festivus, eam dulcissime invitando et recipiendo. Sic in obitu sancte anime venit Christus, vel personaliter, vel presentialiter. Joan. 14 : « Si abiero et preparavero vobis locum », etc. Etiam adsunt etiam angeli sancti, ymo etiam consanguinei et amici jam beati. — Nota miraculum de matre mea. Sap. 5 : « Ecce quomodo computati sunt », etc.

Quarto : Ad celum fuit elevata cum jubilationibus maximis, quibusdam querentibus : « Que est ista que ascendit de deserto ? », etc. (Cant. 8.) — Aliis respondentibus : « Hec est que nescivit thorum », etc. (Sap. 3.) Sic anima sancta, juxta illud Luc. 16 : « Factum est ut moreretur mendicus », etc.

Quinto : Solemnissime fuit in celesti gloria sublimata, juxta quod cantatur : « Beata es, virgo Maria, Dei genitrix, que credidisti Domino », etc. Sic sancta anima, juxta illud Luc. 15 : « Dico vobis quod gaudium », etc.

Digitized by Google

De Assumptione beate Marie Virginis

(Recueil imprimé)

Optimam partem elegit sibi Maria.
(Luc. 1.)

Sicut presens festum et solemnitas est assumptionis virginis Marie beatissime, et hoc festum est finis et clausula totius vite virginis Marie. Ideo de ejus vita est dicendum. Et habebimus non solum speculationes intellectuales, sed etiam instructiones morales. Sed si in aliis sermonibus recurrimus ad virginem pro impetratione gratie, multo magis modo recurrendum est ad eam, quia de ea habebimus predicare, ut sentiamus devotionem. Salutetur virgo Maria, etc.. Resumatur thema.

Pro breviori declaratione, et introductione materie, est sciendum quod vita humana hominis sive mulieris habet tres partes ascendendo gradatim, sc., prima est bona, secunda est melior, tertia est optima. Prima est vita nature, et ista est temporaliter bona. Secunda est vita gratie, et ista est spiritualis melior. Tertia est vita glorie, et ista est celestialis et optima. Et quia virgo Maria non fuit contenta ut haberet vitam nature et gratie, sed etiam glorie, ideo de ea dicit thema: Optimam partem elegit sibi Maria. Prima pars vite humane dicitur vita nature, quia est quandiu anima est essentialiter corpori conjuncta, et ista est bona, quia effectus et creatura Dei est, quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum de ea, ut dicitur 1 ad Tim. 4. Secunda est vita gratie, et ista est melior, et est per conjunctionem seu unionem gratie Dei cum anima. Quandiu enim gratia Dei est cum creatura, illuminat ejus intellectum ad credendum veraciter, inflammat voluntatem ad diligendum synceriter, gubernat omnia membra corporis ad operandum utiliter. Et de ista dicit David in Psal. 72 : « Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te. » Labia mea, hic incipit constructio, quoniam melior est misericordia tua, sc. gratia preveniens seu justificans, que dicitur hic misericordia. Ratio est, quia non datur meritis creature, sed sola Dei misericordia. Alie autem gratie subsequentes vel cooperantes acquiruntur propriis meritis, sed gratia preveniens non. Ideo dicit : Melior est misericordia tua, id est gratia preveniens seu justificans. Tertia vita est optima, et ista est vita glorie. Si queratur quare dicatur optima, respondetur, quia prima vita, sc. nature deperditur per mortem. Item vita gratie potest deperdi per peccatum mortale, sed vita glorie non, quia ex quo anima intrat paradisum, est ita confirmata quod est impeccabilis, ergo vita est optima. Ideo Paulus ait : « Optimum est enim gratia stabilire cor. » (Ad Heb. ult.) Ecce tres partes vite humane. Virgo autem Maria habuit vitam nature corporalem,

Digitized by Google

quia secundum aliquos doctores XL annis vixit. Epiphanius dixit quod vixit LXXII. Habuit etiam vitam gratie spiritualis super omnes creaturas. Sed non fuit contenta de his, sed quotidie petebat vitam glorie, et desiderabat esse cum filio in vita glorie, ad quam hodie assumpta est. Et de illa vita dicit thema : « Optimam partem », etc. Bonam vitam tenuit, meliorem custodivit, sed optimam elegit.

Modo audite, quia per unam questionem quam vos facitis, volo comprehendere materiam predicandam, quando queritis quomodo est ad propositum thema seu evangelium hodiernum ad virginem Mariam, cum non loquatur nisi de beata Maria Magdalena et Martha, ergo videtur impertinens et improprie dictum hodie. Sed respondendo ad istam questionem videbitis quod erit tota materia hodierna in isto evangelio. Dico enim quod si volumus recipere evangelium hodiernum secundum intellectum literalem, non est ad propositum, sed si volumus ipsum recipere juxta intellectum allegoricum, secundum quem ipsum recipit ecclesia hodie, non est evangelium magis proprium virgini Marie in tota biblia, quia tota vita virginis Marie in eo comprehenditur. Nam sanctum evangelium ad literam dicit tria de sancta Martha, sc. de vita activa sua, et dixit alia tria de Maria Magdalena, sc. de vita contemplativa. Sed juxta intellectum allegoricam tangit sex virtutes virginis Marie gloriosissime. Primum quod evangelium tangit de beata Martha et dicit : « Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quedam Martha nomine excepit illum in domum suam. » Ecce primum opus vite active beate Marthe circa Christum. Sed allegorice : Ecce conceptio filii Dei, quia tunc intravit Jesus castrum hujus mundi rebellis ad sibi illud subjugandum. Et mulier quedam Martha, id est Domina, et que est major domina quam virgo Maria? que excepit eum in domum suam, sc. in uterum virginalem. Tria sunt declaranda et notanda:

Primum quare iste mundus dicitur castrum ;

Secundum que mulier recipit Christum ;

Tertium in qua domo ipsum recepit.

De primo notandum quod mundus iste dicitur castrum propter conditiones et qualitates castri inexpugnabilis, que sunt septem, omnia ista erant in castro rebelli hujus mundi. Primum oportet quod castrum sit in alto situm. Sic iste mundus alte situs est per superbiam maximam. Ideo David loquens de habitatoribus hujus castri dicit : « Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. » Secundo quot sit in circuitu bene muratum. Sic castrum hujus mundi erat muratum per avaritiam muro de terra, quia avari non appetunt nisi terrena. Tertio quod sit bene vallatum. Sic castrum hujus mundi erat vallatum in circuitu per luxuriam, quia sicut in valle profunda congregantur immundicie, sic de peccato luxurie multe corruptiones congregantur, etc., propter quod

Digitized by Google

dicit Aug.: Videns Deus tantam labem corruptionis in humana natura, fere, id est per modicum desiit incarnari. Quarto quod de victualibus sit bene provisum. Sic castrum mundi erat bene provisum per gulam. Ad Philip. 3 : « Quorum Deus venter est », etc. Quinto quod sit bene situm in colle petroso inexpugnabili. Sic castrum mundi erat bene situm, quia etiam erat inaccessibile per invidiam, quia si aliquis requiratur de pace dicet : Cum quo faciam pacem ? per corpus meum ego dabo sibi, sc. meo inimico innuere tantum valere genus meum, ut suum, etc. Ecce castrum altum. Unde ait sapiens : « Contemplatus sum omnes labores hominum. » (Eccl. 4.) Sexto quot sit bene ordinatum de armaturis ad defendendum. Sic mundus de armaturis per iram. Septimo quod sit possessum a personis fidelibus. Sed erat oppositum, quia nolebant moveri in operibus penitentialibus et meritoriis. Videns Deus rebellionem hujus castri dixit : Oportet quod ego personaliter vadam ad faciendum bellum. Et in die incarnationis intravit Jesus in quoddam castellum, id est mundum, etc. De isto castro allegorice dixit Jesus discipulis suis : « Ite in castellum, sc. expugnate ipsum bombardis predicationis, quod contra vos est. » (Mat. 21.)

Et mulier quedam Martha nomine. Martha interpretatur domina. Nulla est domina celi et terre, nisi regina angelorum virgo Maria, que recepit illum in domum suam, sc. in uterum virginalem. De ista domo cantat ecclesia : « Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit filium », quando, sc. dixit : Ecce ancilla Domini. (Luc. 1.) Tunc recepit illum in domum suam. Patet ergo quomodo prima pars evangelii facit pro virgine Maria. — Moraliter hic nota : Nam magna excellentia fuit virginis Marie, quia in domo sua recepit filium Dei. In hoc sibi assimilantur qui hodie communicant, quia sicut ipse venit in uterum virginalem, ita proprie venit in hostiam consecratam, et perfectius recipimus nos ipsum quam virgo Maria, quia ipsa recepit eum mortalem et passibilem, et nos immortalem et impassibilem, ipsa solum semel, nos autem sepe. Dicatur hic pro informatione populi quomodo debet homo eligere decem vel duodecim festa principalia ad communicandum. Unde contra illos qui non communicant, et non recipiunt eum, dicitur : « In propria venit, et sui eum non receperunt », etc. (Joan. 1.)

Secundum opus vite active beate Marthe ostenditur cum dicit evangelium : Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Nam quando Christus fuit in domo Marthe, tunc incontinenti Martha currendo per domum, ait ancillis et servitoribus : Date panem, et vinum, etc., necessaria pro refectione, et tantum volebat Domino servire. — Sed diceret aliquis : Hoc nil facit ad propositum pro virgine Maria. Respondeo : Verum est, non literaliter, sed imo multum proprie allegorice.

Digitized by Google

Quia sicut primum opus Marthe facit pro virgine quantum ad incarnationem, ita secundum opus facit pro virgine Maria respectu sue conversationis ad filium Dei postquam ipsum peperit. Dicatur quomodo virgo Maria in etate xv annorum ipsum peperit, et non habebat lac. Dicunt enim medici et bene quod de eadem radice procedunt proles et lac. O! dicit Joseph ad Mariam: Ego vadam ad aliquam mulierem ut det lac puero, etc. Sed virgo Maria noluit, sed flexis genibus, ut dicunt doctores devoti, orando dicebat: Pater et Domine omnipotens, qui hunc filium mihi dedistis, vos qui omnibus rebus ministratis provisionem, animalibus in terra, piscibus in mari, date mihi lac pro filio vestro. Et incontinenti Deus pater de celo misit sibi lac. De hoc est ecclesie autoritas que cantat: « Nesciens mater virgo virum peperit sine dolore salvatorem seculorum, ipsum regem angelorum sola virgo lactabat ubere de celo pleno. » Ecce quomodo ipsa satagebat ut serviret Christo. Item servivit sibi etiam in aliis multis. Nam scitis quanta servitia faciunt matres filiis in vestimento et similibus, et quia non poterat bene calefieri propter frigus, posuit in presepio ut ab animalibus calefieret. Item pectinendo et lavando quando fuit exul in Egypto, filando, suendo, providebat sibi, filio, et Joseph seniori. Item quando Christus ibat ad predicandum, virgo Maria sequebatur sermones suos. Et cum erant in aliquo loco, ipsa parabat filio refectionem. Ecce ergo Martha, id est Domina satagebat circa frequens ministerium. Ideo cantat hodie ecclesia in persona virginis Marie: « In habitatione sancta coram ipso ministravi. » (Eccl. 24.) Moraliter nota: Nonne videtur vobis magna excellentia recipere Christum in domo, et ministrare sibi? Istam gratiam potestis habere per similitudinem propriam, quia quando amore et honore Christi recipitis pauperes, et personas bone vite, potestis dicere quod recipitis Christum in domo vestra, et quando datis et ministratis pauperi, potestis dicere: Ego ministravi Christo. De hoc autoritas Christi: « Amen dico vobis quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, sc. pauperibus. » (Mat. 25.) Et in die judicii quando Christus laudabit misericordes, dicet: Esurivi enim et dedistis mihi manducare, etc. Et dare negativam pauperi est dare negativam Christo. Patet ibidem quando Christus dicet malis in die judicii: « Discedite a me, maledicti », etc. (Mat. 25.)

Tertium opus vite active beate Marthe ostenditur cum dicitur: « Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima. » Ad literam, Beata Martha erat multum sollicita de servitio Christi, videbatur enim sibi quod omnes de domo non fuissent sufficientes, ergo sollicitabat ancillas, famulos, et famulas, etc. Allegorice illud est proprie proprium virgini Marie, quia sicut primum opus beate Marthe facit virgini Marie pro procuratione, et secundum pro conversatione, ita istud tertium in Christi passione, in qua Martha, id est domina fuit sollicita. O quis

Digitized by Google

posset exprimere sollicitudinem ejus et turbationem quam habuit in filii passione ! Primo virgo Maria fuit sollicita de salvatione humani generis, sed quia sciebat non alio modo futuram nisi per mortem ignominiosam filii sui, turbabatur ex maternali compassione, et erat quasi inter duas molas, quando videlicet ipsa cogitabat quod nullus homo poterat solvi a vinculo peccatorum, nec a cathenis diaboli, nisi filius suus ligaretur a Judeis, etc. Ecce turbatio. Item sciebat nullum hominem posse evadere illam duram sententiam damnationis eterne, que dabitur in judicio : Discedite a me, etc., nisi filius suus Christus fuisset morti sententiatus. Ideo turbabatur. Item erat sollicita ne aliquis suspenderetur in furca ligni, etc. Ideo turbabatur. Item erat sollicita, quia nullus poterat separari a societate diaboli, sed non poterat fieri nisi prius suus associaretur latronibus. Et ecce turbatio. Item erat sollicita ut homines exules a paradiso celesti possent intrare, sed ecce turbatio, quia non poterat fieri nisi prius filius suus exularet de Hierusalem, etc. Item erat sollicita quod homines haberent coronam glorie, sed ecce turbatio, quia filius suus prius erat de spinis coronandus. Item erat sollicita, quia homines non poterant habere vitam eternam, sed ecce turbatio, ut eam haberent oportuit filium suum mori. Patet ergo quare dicitur : Martha Martha, id est, domina domina, etc. — Moraliter jam audivistis sollicitudinem et turbationem virginis Marie. In hoc ipsam imitari debemus, quod fit per penitentiam, in qua homo habet sollicitudinem et turbationem. Sollicitudinem, quia per penitentiam acquiritur gloria eterna, sed turbationem, quando ex jejunio vel cilicio dolet ei caput vel stomachus. Item sollicitudo in disciplinis vel aliis penis, quibus evadit disciplinas et penas inferni, sed turbatio sequitur, quando sentit in corpore plagas, etc. Omuis autem disciplina in presenti quidem videtur non esse gaudii, sed meroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitie. Ad Heb. 12 : « Disciplina dicitur omnis penitentia. » Patet hic tota vita activa virginis Marie. Modo videamus de vita contemplativa virginis Marie quam habuit perfectissime, et signatur per Magdalenam, de qua dicit evangelium hodiernum tria. Primum : Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Ecce vita contemplativa.

Modo videamus ista utrum faciunt pro virgine Maria. Dicatur hic quomodo virgo Maria sciebat quod Jesus filius suus ab instanti conceptionis habuit tantam scientiam quantam habet nunc in celo. Et ista est doctrina generalis omnium doctorum in theologia. Cogitate ergo quando Christus fuit sex vel septem annorum, quomodo virgo Maria faciebat ipsum sedere in aliqua cathedra, ut dicunt aliqui singulares doctores, et maxime devoti beate virgini, et ipsa ponebat se ad ejus pedes. Credatis quod Christus dicebat sibi quod poneret se juxta eum, sed ipsa ex humilitate noluit. Finaliter dicebat sibi : Fili mi, dicatis mihi aliqua.

Digitized by Google

Respondebat : Mater, placet mihi. Quid vultis quod dicam vobis? Et virgo ait : Fili mi, desidero scire gloriam animarum beatarum, quomodo stabunt post vestram ascensionem. Utrum erunt ad dextram vestram in celo, vel ad sinistram. Item utrum erunt infra angelos an supra. Et Jesus respondit : Mater mea, nec sic erit, nec sic, sed de omnibus fiet una congregatio, quia tunc erit unum ovile, et unus pastor. Dicatur quomodo Christus dixit virgini quod sunt novem ordines sive novem platee secundum Joan. Apo. 16. Prima platea ascendendo est angelorum, et in isto ordine collocabuntur penitentes, qui de peccatis suis per opera penitentialia, etc. Secundus ordo est archangelorum, quorum princeps est Gabriel, ille, mater mea, qui anuntiavit vobis meam incarnationem, et in isto habitabunt misericordes, devote persone. O ! dixit virgo Maria, quam in bono puncto sunt nati qui faciunt misericordiam. Tertia platea est principatuum. Et sic de aliis ; respice in sermone omnium sanctorum, qui incipit : Merces vestra, etc. Cogitate et rationabiliter quod virgo Maria voluit scire, in quo ordine collocaretur. Et respondit Jesus : Mater mea, quia vos super omnes estis dignior, ideo super omnes eritis collocata ad latus meum, et omnes tam anime quam angeli vestro obedient imperio. Ideo cantat ecclesia hodie pluries : « Exaltata est sancta Dei genitrix », etc. — Alia die petiit a filio scire de pena damnatorum, et societate quam habent cum demonibus. Et Jesus respondit : Mater mea, sicut sunt in celo novem ordines angelorum, ita sunt in inferno IX carceres damnatorum. Et quia majus peccatum fuit in ordine Seraphinorum, ideo illi qui ceciderunt de illo ordine sunt in profundiori carcere, et habent majus tormentum intensum, et in istum carcerem vadunt blasphematores Dei. Secundus carcer ascendendo est illorum angelorum de ordine cherubin, et in illum vadunt infideles et Christiani in fide dubitantes, presumptuosi intellectus, etc. Tertius carcer est thronorum, ibi collocantur qui usurpant ecclesiastica beneficia per simoniam, etc. Quartus est dominationum, illuc vadunt mali Domini, et injusti rectores communitatum, etc. Quintus est virtutum, illuc vadunt vindicativi, etc. Sextus est potestatum, quo vadunt impatientes in infirmitatibus, vel alias, et recipiunt malitiam contra Deum. Septimus est principatuum, quo vadunt crudeles, usurarii, et latrones, et bona mortuorum retinentes. Octavus est archangelorum, ad quem vadunt indevoti, qui nolunt audire missam nec sermonem. Nonus est angelorum, et in eum vadunt impenitentes. Ecce quomodo Jesus declaravit matri sue ea que sunt in alio mundo, quamvis Evangelium hoc non dicat, tamen credendum est pie. Maria ergo sedens secus pedes Domini, etc. O si aliquis fuisset in illo parlamento, qualis consolatio ei fuisset ! — Et alia die dixit virgo Maria : Fili mi, ex quo mihi declarastis gloriam beatorum, et penam damnatorum, nunc dicatis aliquid de purgatorio. Et Jesus : Imo,

Digitized by Google

mater mea, ex quo vultis scire : purgatorium habet tres carceres secundum tres conditiones personarum ibi penitentiam complentium. Vide in sermone defunctorum. — Item alia die dixit de pueris sine circuncisione decedentibus, et modo sine baptismo, etc. Ecce contemplativa vita, audire verbum Domini.

Ego modo predicando teneo vitam activam, et dum studebam, contemplativam. Et vos qui devote auditis sermonem, componitis vitam contemplativam. Ergo « beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud ». (Luc. II.) Secundum opus vite contemplative beate Magdalene est, quia quando Martha erat sollicita de Christi servitio, dicebat Martha sorori sue : Juvetis me ; et Magdalena fecit aurem suam surdam. Ideo dixit Christo : « Domine, non est tibi cure », etc., non ex impatientia, sed dicit glosa quod videbatur Marthe quod omnes de domo non fuissent sufficientes ad Christi servitium. Sed beata Magdalena dimittebat activa opera ut vacaret contemplationi. Sic virgo Maria in Christi ascensione, quando vidit filium elevari a terra, et sentiebat animas sanctorum, rogavit filium ut ascenderet cum eo. Et Christus sibi dixit : Mater mea, vos per aliquod tempus tenebitis locum meum, consolabimini fratres meos apostolos, qui in dubiis ad vos recurrent. Ex illa die vita beate Marie fuit contemplativa isto modo. Nam quolibet die visitabat loca sancta. Primo Nazareth in camera ubi filium Dei concepit, cogitando quomodo fuit ab angelo salutata, et contemplando similia flebat, etc. Deinde ibat Bethleem, ubi ipsum peperit, quo venerunt reges orientis. Deinde ad templum, ubi XL die obtulit eum. Deinde ad locum baptismi. Deinde ad desertum ubi jejunavit. Deinde ad locum passionis et sepulchri. Duodecim annis vixit post ascensionem, secundum alios XXIV ; et quolibet die visitavit ista loca. — Questio est hic contra istam visitationem, quia dicit beatus Ambrosius quod beata Maria non erat vagabunda neque ad publicum veniens, sed quieta domi, amans secum habitare. Quomodo ergo dicit historia quod visitabat predicta loca ? Concordantia bona est ista, sustinendo utrunque, quod ista visitatio erat quolibet die, ut dicit historia, sed erat spiritualis et contemplativa, et non recedebat de domo, ut dicit beatus Ambrosius, sed ibat spiritu : O benedicta peregrinatio, et sine periculo ! De qua dicit apostolus ad Gal. 6 : « Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. » Dicatur contra homines et mulieres, quia peregrinando frangunt sibi collum, et efficiuntur pejores, quia aliquoties vadunt virgines, et caste, sed redeunt meretrices. Dicatur de mulieribus euntibus Romam tempore indulgentie, et dormientibus omnibus similiter in straminibus, multe corrumpuntur et violantur ; et dixit hospita magistro Vincentio. Etiam ultra pericula corporalia multa sunt pericula animarum religiosis et clericis euntibus Hierusalem, qui non possunt dicere officium

Digitized by Google

nec missam. Ideo spiritualiter fiat illa peregrinatio, hodie et quolibet die potestis ire Nazareth ad cameram ubi filius Dei fuit incarnatus, et sic de aliis locis.

Tertium opus vite contemplative beate Magdalene est illud quod dicit thema : « Optimam partem elegit sibi Maria. » Ecce hic historiam hodiernam. Dicatur quomodo postquam transierunt XII anni, et secundum aliquos XXIV, virgo semel orabat dicens : O fili, tot anni sunt quod sum inter Judeos, et apostoli sunt per mundum dispersi, ideo recipiatis me vobiscum. Et flebat. Hic Christus dat exemplum desiderandi paradisum in matre sua, quia vult quod paradisus ardenter desideretur. Nam statim apparuit sibi angelus Gabriel salutans eam, et portans ramum palme, et tanta erat claritas angeli, quod virgo eum subito non cognovit, ideo petiit ejus nomen. Ramus ille signabat victoriam quam virgo habuit de mundo per humilitatem, de diabolo per paupertatem, de carne per purissimam virginitatem. Dicatur quomodo petiit duo. Primum ut apostoli essent in sua sepultura. Secundum quod nullus diabolus esset in suo obitu. Non credatis quod eos timeret, sed propter horrorem hoc fecit, quia tanta mala faciunt ; sicut de rege, qui non permittit quod homo criminosus veniat coram eo, non quod eum timeat, sed eum abhorret. Et virgo Maria obtinuit quod omnes apostoli ibi congregarentur virtute divina.

Dicatur quomodo populus admirabatur quando apostoli ab eorum aspectibus amovebantur per nubem, et invenerunt se omnes ad portam viginis dicentes ad invicem : Quare congregavit nos Dominus? Nota hic bene legendam. Et Joan. qui primo venerat dixit eis rationem quod propter obitum virginis Marie. Et Paulus et Dionysius fuerunt ibi, ut dicit Dionysius et Hierotheus. Dicatur quomodo processionaliter bini et bini exhibuerunt virgini reverentiam. Primo Petrus et Andreas, etc. Et virgo Marla cum magna letitia recipiebat eos, indicans cuilibet servitium quod fecerat Christo filio suo, et penas quas passus fuerat ; specialiter beato Paulo dicebat : O Paule, in tali loco fuisti captus per filio meo, etc. Et dum sic loqueretur virgo, adest Christus salutans matrem dicens : Ave benedicta que vitam concepisti, et gloriam invenisti. Ad quem virgo : « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. » In capite libri, sc. predestinationis scriptum est de me ut facerem voluntatem Dei mei. Dicatur quomodo salutabatur a sanctis angelis et beatis qui cum Christo venerant, ut dicunt quidam. — Et questio est, utrum istud gaudium est majus aliis gaudiis. Nam magnum gaudium fuit annunciationis, in quo facta fuit mater Dei, et nativitatis, et apparitionis, et resurrectionis, etc. Respondeatur per similitudinem de pulchra puella sive domicella, que multum gaudet quando tractatur de ea ut habeat virum, sed plus gaudet quando desponsatur, et plus quando jam des-

Digitized by Google

ponsata a suo sponso visitatur, et plus quando sponsus mittit sibi jocalia pretiosa, magis quando sponso datur magnum officium in domo regis, super omnia gaudebit plus et super omnia in die conjunctionis. De quo multum etiam gavisa fuit virgo Maria. Nam de desponsatione tractabatur in die annunciationis sive conceptionis filii Dei, et in die nativitatis manifestata fuit. Sponsalia vero in die apparitionis, in presentia trium regum. Sponsus suus visitavit sponsam matrem suam in die resurrectionis. Accepit officium in curia celi empyrei id die aseensionis. Misit pretiosissima jocalia in die Pentecostes. Sed hodie est dies nuptiarum, quando sine dolore et pena tradidit animam suam in manibus filii ; et ministri, id est, angeli psallentes precedebant, et sic ducta est ad domum sponsi ad gloriam paradisi, non solum in anima, sed Christus post, eam suscitavit, et in corpore et in anima vivit et regnat in eternum. Ergo optimam partem elegit sibi Maria.

Dicatur hic moraliter quomodo quilibet debet desiderare istam gloriam, non simus ut bestie que respiciunt solum terram, sed Deus facit nos rectos, ut paradisum desideremus. Ideo David ait : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum », etc.

Die Assumptionis Marie

(Canevas autographe)

Maria optimam partem elegit que non auferetur ab ea.
(Luc 10.)

Vita hominis dividitur in tres partes :

Material. — Prima pars est vita nature ;

Spiritual. — Secunda est vita gratie ;

Celestial. — Tertia vita glorie.

Vita nature est bona, quia « Omnis creatura Dei bona, et nichil rejiciendum ». (Thim. 4.)

Vita gratie melior, quia « Melior est misericordia tua super vitas ». (Ps. 62.)

Vita glorie optima, « Optimum est enim gratia stabiliri cor ». (Hebr. 13.)

De tertia ergo parte vite humane loquitur thema. Sed occurrit questio : quid ad propositum thema istud de Evangelio, vel etiam ipsum Evangelium ? nam tantum loquitur de beatis Martha et Magdalena, et nihil de beata Virgine. — Responsio : secundum intellectum litteralem impertinens est, allegorice autem propriissimum est ; nam tota vita et

Digitized by Google

finis virginis Marie ibi designatur per tria opera vite active de Martha, et per alia tria vite contemplative de Magdalena.

Primum quod dicitur de Martha est istud : « Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quedam Martha nomine excepit illum in domum suam. » — Hec fecit virgo in Christi conceptione, quia filio Dei intrante in hunc mundum Virgo excepit eum in domum de qua dicitur : « Domus pudici pectoris », etc.

Secundum : « Martha autem satagebat circa frequens ministerium. » — Hoc Virgo fecit in Christi conversatione, Eccl.: « In habitatione sancta coram ipso ministravi. »

Tertium : « Martha, Martha... turbaris erga plurima. » — Hoc fecit virgo in Christi passione. II Cor. 7 : « Ecce hoc ipsum secundum Deum contristari vos », etc.

Primum de Magdalena : « Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum ejus. » — Hoc fecit Virgo etiam cum Christus esset puer, ipsum de secretis alterius vite interrogans. P. 84 : « Audiam quid loquatur », etc.

Secundum : « Soror mea reliquit me sola ministrare. » — Hoc fecit virgo post Christi ascensionem, visitando Christi sanctuaria, postpositis aliis curis. Que visitatio seu peregrinatio magis videtur intelligenda secundum Ambrosium, *de virginibus,* spiritualiter quam corporaliter. Gal. 5 : « Si spiritu vivimus, spiritu et ambulamus. »

Tertium est thema propositum. — Hoc fecit virgo Filii presentiam desiderando, et hodie adipiscendo. Cant. 3 : « Inveni quem diligit anima mea. »

De Assumptione beate Virginis Marie

(Recueil imprimé)

In civitate sanctificata similiter requievi.
(Eccl. 24.)

Potest hoc verbum dicere anima quando intrat paradisum. Et maxime Maria. — Pro introductione, et veniendo ad materiam predicandam oportet declarare que est ista civitas sanctificata.

Et dico quod est gloria paradisi. Ratio autem quod gloria dicatur civitas est ista, quia recte est edificata admodum nobilissime civitatis Hierusalem tempore Salomonis, in qua erant tres clausure ascendendo. Intra primam altiorem morabantur laboratores, etc. Intra secundam altiorem stabant nobiles, milites, cives, et prophete, et persone que non laborabant manibus suis. Intra tertiam altissimam sacerdotes et levite,

Digitized by Google

et ibi templum erat, et domus regis. Recte illa civitas erat edificata ad modum pilei seu mitre pape, ubi etiam sunt tres corone. Et clausure figurabant gloriam paradisi, ubi sunt tres hierarchie angelorum quasi tres corone.

Intra primam stabant penitentes digne, id est cum angelis, archangelis et principatibus, qui licet peccaverunt, tamen pro tempore redierunt ad Deum, et fecerunt penitentiam, et comparantur laboratoribus, quia labore penitentie gloriam Dei habuerunt. Intra secundam altius vadunt et habitant justi presidentes, et boni prelati, qui non intraverunt per simoniam, et quando sunt intus, verbo et exemplo pascunt oves. Etiam Domini temporales, imperatores, reges, etc., et communitatum rectores, qui plus curant de justitia quam de proprio honore, et suis redditibus contentantur. Tales vadunt in secundam hierarchiam cum potestatibus, virtutibus, et dominationibus. In tertia hierarchia, sc. thronorum, cherubinorum, et seraphinorum, habitant illi qui tenuerunt vitam apostolicam, et assistunt Deo, et non curant de rebus temporalibus. Patet ergo quomodo gloria paradisi est ordinata ut civitas Hierusalem. Autor. de hoc : « Hierusalem que edificatur ut civitas », etc. (Psal. 121.) Nota : « Cujus participatio ejus in idipsum.» In civitate Hierusalem non omnes videbant faciem regis, sed sic non est in paradiso, quia omnes sive de prima hierarchia, sive de secunda, et de tertia, videbunt Deum facie ad faciem. Ideo dicit : Cujus participatio ejus in idipsum, id est in eamdem rem. Et ideo dicit : Sanctificata, id est in sanctitate confirmata. In hoc mundo nullus quantumcunque sanctus fuit quin peccaverit : Christo et virgine Maria exceptis. Ideo ista ecclesia militans non dicitur sanctificata, id est sanctitate confirmata. Sed in paradiso in illa ecclesia triumphanti omnes sunt sanctificati, id est in sanctitate confirmati, quia impeccabiles sunt, ut virgo Maria. Autoritas : « Omnis qui relictus fuerit in Syon... sanctus vocabitur », etc. (Esa. 4.) Anima que condigne satisfecit de peccatis, quando ingreditur gloriam potest dicere : In civitate sanctificata requievi. Et virgo Maria hoc dicere potuit. Patet thema.

Notavi quinque conditiones in assumptione virginis Marie, ad quarum similitudinem anima beata etiam ascendit, propter quod anima potest dicere thema predictum : In civitate sanctificata, etc. Non tamen dico quod possit anima ascendere ad tantam gloriam ut virgo Maria.

Prima conditio fuit cum virgo ardentissime desideraret videre filium suum, et esse cum eo, et fleret, Christus misit sibi angelum Gabrielem, quia semper fuit nuncius Christi ad matrem, et reverenter eam salutavit dicens : Suscipe salutes a Deo. Ave benedicta, templum Domini, arca vite, regina paradisi. Ecce filius vester vult complere desiderium vestrum. Ab hinc ad tres dies ascendetis ad eum, quia jam tota curia paratur ad

Digitized by Google

recipiendum vos. Unde dicit Albertus, quod beata virgo presciverit mortem suam, et arguit per locum a minori, quia beato Joanni evangelio, beato Petro apostolo et pluribus aliis revelatio fuit facta de obitu eorum, ergo a fortiori beate virgini, que mater fuit Domini.— Nota hic quare dabat sibi tres dies ad preparationem, cum virgo semper fuisset parata ire ad paradisum. Cant. 4 : « Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.» Verbum est Spiritus Sancti ad Mariam virginem : quare ergo dedit sibi tres dies ? etc. — Respondeo quod tres dies fuerunt sibi concessi non pro se, sed pro apostolorum et aliorum consolatione. Secundo pro exemplo nostro et instructione. Primus dies erat pro apostolorum consolatione, qui erant per mundum dispersi in predicatione evangelica cum magnis tribulationibus, quia predicabant doctrinam tam novam, altam, et non amplius auditam. Secundus dies erat ad consolationem mulierum, que juncte fuerant virgini Marie : si subito virgo fuisset assumpta, fuissent nimis desolate, etc. Tertius dies fuit pro consolatione aliquarum virginum, quas nutriverat ad Dei servitium, etc.

Ita juxta hanc similitudinem, sed ex alia ratione, dat Deus tres dies preparationis anime devote. Tres dies sunt opera penitentialia sive sacramentalia, sc. confessio, communio, et extrema unctio. Et dicuntur dies, quia in quolibet opere datur claritas gratie. Primus dies est confessio, que maxime in fine est facienda, etiam generalis de omnibus peccatis, non quod sit necessitatis, sed est utilis. Ratio, quia confessiones que fiunt in sanitate multoties fiunt sine contritione. Item quia est dubium an confessor poterat absolvere, sed in fine quilibet confessor potest de omnibus absolvere, et quando homo reputat se moriturum, despicit mundum, et habet contritionem. Secundus dies est communio, etiam si illa die celebraverit, adhuc est communicandum, hoc tamen non est ex necessitate faciendum, sed de congruitate. Ratio, quia naturaliter nullus potest celum ascendere. (Jo. 3.) Nemo ascendit in celum, sc. naturaliter, vel virtute propria, sed virtute Christi oportet nos ascendere. Ideo dicitur viaticum. Miraculum de Hugone de sancto Victore quando in communione dixit : Ascendat filius ad patrem, et spiritus ad Deum qui creavit illum ; expiravit, et hostia ascendit. Tertius dies est extrema unctio, que dicitur dies propter claritatem gratie que datur virtute ejus, quia remittuntur peccata venialia, et culpe mortalium oblitorum, et aliquantulum de pena secundum devotionem recipientis, ut dicunt doctores. Ex ista ratione allegorice dicit scriptura : « Deus Hebreorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum », etc. (Exod. 5.) Nota Deus Hebreorum, id est, transeuntium, juxta Hebraicam interpretationem, id est, ab hac vita migrantium, vocavit nos, sc. ad gloriam, ut eamus viam trium dierum in solitudine, id est in morte, que dicitur solitudo, quia nullus vellet alium associare, nec filius patrem, nec econverso. Tres sunt : con-

Digitized by Google

fiteri, communicare, et ungi, quia in his homo sacrificat se Deo. Ne forte accidat nobis pestis, aut fames, ignis, sc. inferni, et damnatio, aut gladius, id est purgatorii pena. Et tunc anima beata que sic fecit potest dicere : « In civitatate sanctificata », etc.

Secunda similitudo seu conditio que fuit in virginis assumptione, quia omnes apostoli, et multi alii sancti et sancte fuerunt in obitu virginis Marie congregati, legentes in circuitu psalterium. Quare hoc, cum virgo non indigebat istis ? — Respondeo quod ad exemplum nostrum, quia quando persona laborat in extremis, debet habere circa se bonas et sanctas personas que legant psalterium, et Christi passionem, ut confortent spiritum, reducendo ad memoriam Christi passionem ; et tunc necessario multe anime in illo passu perduntur, maxime ex presentia carnalium amicorum, sc. filiorum, etc., quia venit uxor plorando, et retrahit animam a Deo. Idem de filiis dicentibus : O miseri ! quid faciemus ? etc. Et tantus est amor patris seu matris ad filios, quod tunc cogitabit infirmus quid erit de ipsis, sc. filiis. Ideo est bona consuetudo ne sint presentes, quia multi licet fuerint bone vite, tamen sunt ex hoc in periculo. Et per oppositum multi fuerunt male vite, qui in fine ex presentia sanctarum personarum salvantur. Patet ex hoc moraliter quare beato virgo voluit presentiam sanctarum personarum ad exemplum nostrum, quia pro se non indigebat. Ideo dicit scriptura : « In requie mortui requiescere fac memoriam ejus, et consolare illum in exitu spiritus sui. » (Eccl. 38.) Nota requiescere fac memoriam ejus : sed quare plus dicit de memoria quam de aliis potentiis ? Responsio, quia principalis tentatio diaboli est tunc inducere ad desperationem, et presentat peccata memorie dicendo : Quomodo tu potes credere quod tam gravia peccata tibi remittantur, et salveris ? Si nos tam nobiles creaturas per uno solo peccato superbie damnavit eternaliter Deus, quod faciet vobis pro multis ? O tu, quod fecisti hoc et hoc, quid erit de te ? — Ideo est necessaria passio Christi, sive memoria passionis Christi, et confortatio spiritus, dicendo : Recordamini quantum Deus misericors est, etc. Et quando talis anima intrat paradisum, potest dicere : « In civitate », etc.

Tertia similitudo seu conditio fuit quod in obitu virg. Marie Christus personaliter descendit de celo cum omni multitudine angelorum et sanctorum, ipsum et matrem suam associantium. Si dicatur : Et quomodo poterant recipi in camera virginis ? Dicatur quomodo angeli et beati virtute glorie habent posse occupandi et replendi unam domum, civitatem, seu regnum, intantum quod nihil aliud poterit ibi recipi, tanta est eorum virtus et potestas : non enim sunt circumscriptive in loco. Et quando fuerant in camera, Christus invitavit matrem, ut vos invitatis filios vestros, etc., dicens ei : Veni electa mea, et ponam in te

Digitized by Google

thronum meum, quia concupivit rex speciem tuam. Tunc virgo sicut sine corruptione concepit, et sine dolore peperit, ita etiam sine dolore in manibus filii animam tradidit, quia dicit Albertus, et in collecta hodierna cantatur: « Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit que filium suum Dominum nostrum de se genuit. » Et nexus ibi ponitur pro dolore mortis. Et angeli inceperunt cantare : Hec est filia Hierusalem, etc. Similiter de anima sancta fit, licet non in tanto honore. Semper enim in obitu sancte et devote persone de celo venit Christus, ostendens se anime bone, quia dicit : « Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. » (Mat. 11.) Ita quod Christus semper venit in morte aliquo modo de predictis. Autoritas : « Si abiero, iterum veniam, et recipiam vos ad meipsum. » (Jo. 14.) Quanta humilitas est ipsius Christi ! Nam terrenus rex premittit coquinarium ad parandum pro se, sed rex celi ipsemet voluit precedere ad parandum nobis locum. Et post iterum veniam, sc. in morte. Item veniunt angeli, etiam parentes et filii parvi. Dicatur quando laborat in extremis anima, angelus bonus subito ad eam venit, ut eam ad celum ducat. Unde tunc magnum est gaudium in celo, et quilibet desiderat ire et adducere animam illam, juxta illud : « Ecce ego, Domine, mitte me. Et dixit : Vade. » (Esa. 6.) Idem de filiis parvis qui sunt in celo, quando percipiunt quod eorum pater vel mater sunt in extremis, petunt a Christo ut possint associare animam illam, etc. Et vos ploratis in eorum morte, cum esset magis gaudendum, quia Christus rex recipit filium vestrum, et regina Maria filiam vestram, etc. Dicatur de quadam muliere, ad quam descenderunt omnes filii, et adduxerunt cum aliis angelis animam matris sue in celum. De ista societate dicit scriptura : « Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. » (Sap. 5.) Et sic anima potest dicere : « In civitate sanctificata », etc.

Quarta conditio quam notavi in virginis assumptione, est quod in suo ascensu demones fuerunt, et eam tenere non potuerunt. Nam magna via est hinc usque ad celum, et ibi periculosus passus. Dicatur : quando demones ceciderunt de celo, aliqui et pauci descenderunt ad infernum ad cruciandum animas. Aliqui sunt inter nos ad tentandum, sed totus cumulus remansit in aere, ubi stabunt usque ad diem judicii, et sunt tot ut atomi. Nam beatus Antonius vidit in revelatione quod multe anime volentes intrare celum sive ascendere, ibi rapiebantur, et ad infernum ducebantur. Sed quando viderunt demones tantam societatem, et Christum animam virginis ducentem, fugerunt. Et ad hoc facit prophetia David : « Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus », etc. (Ps. 67.) Similiter, non dico equaliter, de anima devota, nam dicere demones potuerunt postquam virgo

Digitized by Google

Maria transivit : Isti non potuimus resistere, sed decetero videbimus quis transibit. Sed quando anima beata ascendit cum societate angelorum, parentum, et amicorum, demones fugiunt, et anima cognoscit eos qui eam tentaverunt, et dicet forte : O traditor Leviathan, tu tentasti me de superbia, sed gratia Dei me juvit, et feci penitentiam. Et tu, proditor Mammona, de usura, et rapina, etc. Idem de Asmodeo, qui tentat de luxuria. Et Beelzebub de invidia. Beelphegor de gula. Baalberith de ira. Astaroth de acidia. Et sic anima transit, et portatur ab angelis. Autoritas ad hoc : « Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis, non dicit ab angelo in singulari, in sinum Abrahe. » (Luc. 16.) Et potest dicere anima : « In civitate sanctificata », etc.

Quinta similitudo seu conditio est solemnitas, que virgini Marie fuit facta intrando celum empyreum in qualibet hierarchia, et in quolibet ordine angelorum. Jam videtis quod magnum festum fit regibus noviter venientibus in regnum suum, etc. Nihil est respectu honoris in celo, nec posset lingua explicari, sed intellectualiter contemplari. Ideo cantat ecclesia : « Exaltata es sancta Dei genitrix super choros angelorum ad celestia regna. » Similiter, non equaliter dico de anima beata, quando intrat celum empyreum, sancti angeli cum magna letitia recipiunt ; angeli et sancti respiciunt per fenestras, et ibi sunt palatia corporalia de materia celesti, et salutant animam, et gaudent quando anima intrat, quia pauce intrant. Et sicut sponsa in die nuptiarum vadit tota verecunda ad ecclesiam, et sicut bene placet sibi illa verecundia, ita tunc anima sancta. Et in qualibet hierarchia cantatur una melodia cujusdam cantilene continentis tres versiculos, secundum quod anima facit tria ut salvetur. Primum quando dimittit peccata et malas societates. Istud est principium bone vite. Propter hoc in prima hierarchia cantatur anime transeunti : Felix dies, felix hora, felix tempus, felix mora, in qua peccata dimisisti ! Et anima facit omnibus reverentiam dicens : « Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Secundum opus, postquam dimittit peccata, accedendo ad Christum, confitendo peccata, communicando, audiendo missas, sermones. Propter hoc cantatur sibi in secunda hierarchia secundus versus : Felix dies, felix hora, felix tempus, felix mora, in qua Christo adhesisti ! Tertium opus est perseverare finaliter in bona vita, quia alias nihil valeret incipere, etc. Ideo in tertia hierarchia cantatur : Felix dies, felix hora, felix tempus, felix mora, in qua cursum complevisti ! Et sic vadit usque ad cathedram Christi, qui de manu sua coronat eam. Autoritas : « Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum. » (Sap. 5.) Cogitate si gaudium est in celo super uno peccatore penitentiam agente, multo magis penitentiam complente. (Luc. 15.) Et potest dicere anima : « In civitate sanctificata, — similiter virgini Marie,— requievi. »

Digitized by Google

De beato Bartholomeo

(Canevas autographe)

Vos amici mei estis.
(Joan. 15.)

Nota tria que faciunt amicum Dei :
Divina sapientia ;
Devota obedientia ;
Perfecta patientia.

Ratio primi : Respiciendo, colloquendo et convescendo causatur amicitia inter aliquos. Sap. 7 : « Sapientia amicos Dei et prophetas constituit », etc. — Nota de beato Bartholomeo que ad hoc facere possunt.

Ratio secundi : Servi ad Dominum amicitia ex prompta obedientia consurgit. Joan. 15 : « Vos amici mei estis », etc. — Nota obedientiam beati Bartholomei non solum in observandis preceptis necessariis, sed etiam consiliis, ut de dilectione inimicorum, de assidue orando, de temporalibus bonis contemnendis.

Ratio tertii : Miles fortiter bellans et victoriose pro rege suo magnam amicitiam consequitur apud eum. Judith 8 : « Pater noster Abraham tentatus est, etc. » — Nota hic quatuor tentationes beati Bartholomei. Primo fuit fustibus cesus secundum Ambrosium ; secundo crucifixus secundum Dorotheum ; tertio fuit excoriatus secundum Theodoretum ; quarto capite truncatus ut in multis libris legitur.

De sancto Bartholomeo

(Recueil imprimé)

Vos amici mei estis.
(Joan. 15.)

Sicut totum officium et solemnitas hodierna est beati Bartholomei, ita etiam erit et sermo. Et si placet Deo, habebimus multas doctrinas ad instructionem vite nostre, et informationem animarum. Sed prius salutetur virgo Maria.

Communiter ostenditur in ecclesia, et declaratur quod inter omnes sanctos qui fuerunt a principio mundi, sunt et erunt excellentiores et majores in sanctitate, et magis illuminati fuerunt ipsi apostoli. Et est

Digitized by Google

bona ratio que est ista: Quilibet Christianus indubie credit quod Christus est principium fontale totius sanctitatis et perfectionis. Ideo quanto sancti sive precedentes Christum, sive sequentes, fuerunt Christo proximiores, tanto fuerunt sanctiores, digniores, et excellentiores, quia erant juxta principium fontale totius sanctitatis. Et quia apostoli simul fuerunt cum eo stantes, comedentes, etc. Ideo majorem sanctitatem habuerunt.

Dicatur hic ordinatio mundi secundum digitos manus, quorum medius est longior. Cogitetis quod digitus longior sit plenitudo temporis, in quo Deus misit filium suum, etc. (Gal. 4), quia tunc creditur mundum fuisse pleniorem hominibus quam unquam fuerit. Et in principio mundi fuerunt patriarche sancti et perfecti, deinde prophete. Et quia erant jam Christo propinquiores, ideo sanctiores, intantum quod dixit Deus: « Ego Dominus, et nomen meum Adonay non indicavi eis, sc. patriarchis. » (Exod. 6.) Nota: nomen meum Adonay, id est, essentie et providentie. Et inter prophetas Joan. fuit sanctior, et fuit circa principium fontale, sc. Christum, quem digito ostendit, et ipsum baptizavit, intantum quod de eo dixit Christus: « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. » (Mat. 11.) Et loquitur de patriarchis sanctis. Non credatis quod major sit apostolis, sed prophetis et sanctis veteris testamenti, quibus a Christo comparatur, quando dixit: Inter natos mulierum, etc. Propter hoc dicitur Luc. 7: « Dico enim vobis: major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est. » Patet quod comparabatur primis sanctis. Deinde venit principium fontale totius sanctitatis Jesus Christus. Et illi qui cum eo fuerunt comedentes, etc., receperunt majorem dignitatem et illuminationem. Ideo apostolus ad Rom. 8: « Nosipsi primitias spiritus habentes », sc. tempore prius, et ceteris abundantius. Deinde venerunt martyres sancti et benedicti, sed nec in tanta sanctitate ut apostoli, deinde confessores. Et ista ratione Joannes qui antiquis sanctis Christo fuit propinquior, et consequenter sanctior, fuit singulariter amicus Christi. Joan. 3: « Amicus sponsi, sc. Joannes qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. » Et apostoli qui de donis sanctitatis fuerunt primi, et simul cum Christo fuerunt sanctiores, et magis amici Christi. Dicit philosophus, quod amicus est alter ipse. Ideo dicit Christus ad apostolos: « Vos amici mei estis. » Patet thema.

Modo restringendo istam materiam universalem de omnibus apostolis ad beatum Bartholomeum, invenio quod propter tria habuit amicitiam Dei, que tria si volumus habere erimus sibi similes, non dico equales. Nam in eo fuit:

Primo spiritualis oratio;
Secundo universalis subjectio;
Tertio martyrialis afflictio.

Digitized by Google

Propter quod dixit Christus beato Bartholomeo singulariter, et nobis generaliter : « Vos amici mei estis. »

Dico primo quod beatus Bartholomeus habuit amicitiam spiritualem cum Christo per spiritualem orationem. Ratio : Nam respiciendo, colloquendo, et conversando, amicitia et amor generatur inter duas personas. Ista tria fiunt in devota et spirituali oratione, in qua primo respicitur et contemplatur Christus a capite usque ad pedes. Primo, quomodo caput spinis coronatum fuit, aures que audierunt vituperia et blasphemias, et sic de aliis. Et sic amor divinus intrat in cor recogitando tantam pulchritudinem nostri amoris sic deturpatam, etc. Secundo, colloquendo, ratiocinando, et dicendo : Domine, parcatis mihi, ego sum in tali peccato seu defectu, ideo, Domine, juvetis me. Et sic intrat amor. Tertio, cognoscendo, contemplando quomodo Christus sedet in mensa eternitatis, dormit cum eo contemplando requiem Christi. Isto modo habetur amicitia cum Christo. De hoc scriptura : « Qui diligit cordis mundiciam habebit amicum regem. » (Prov. 22.) Mundicia cordis separari a mundanis negociis, et orationi et contemplationi vacare. Ita fecit beatus Bartholomeus. Audite singularia de eo quod de nullo alio legitur. Nam ita erat devotus, quod dicit historia quod orabat centies flexis genibus per diem, et centies per noctem. Si ergo ex oratione consequitur Christi amicitiam quis, igitur beatus Bartholomeus.

Sed quomodo intelligitur quod centies in die ? etc.— Dico quod sic intelligitur : Nam decem excellentie leguntur de Deo, qui est unus in substantia, et trinus in personis, etc., sc. potentia, sapientia, bonitas, creatio, gubernatio, redemptio, glorificatio, condemnatio, purificatio, et judicatio. Et quelibet istarum excellentiarum habet decem effectus, et decem decies sunt centum. Et propter ista centies in die flectebat genua. Dicatur practica quomodo prius signabat se signo crucis, et ostende quomodo se signare debent singuli assignando rationes. Deinde contemplabatur primum effectum potentie Dei, totum mundum sustinentis. Et post dicebat orationem a Christo ordinatam, sc.: *Pater noster*, et surgebat. Deinde iterum flectebat genua, et signabat se, quia crux Christi clavis est paradisi, ut ait Rabanus. Et sicut qui vult cameram intrare oportet aperire, etc.; ita de celo et cogitabat quod omnes creature sunt nihil respectu divine majestatis. Et post dicebat : *Pater noster,* et sic de aliis. Ecce quare historia dicit : Centies flectit genua in die, et nocte etiam toties. Si ergo ex oratione spirituali creatura potest assequi Christi amicitiam, ergo et beatus Bartholomeus, etc. Possumus dicere quod est amicus Dei, recordans de Christi verbo, Luc. 18 : « Oportet, sc. qui vult esse amicus Dei, semper orare, sc. mane et sero, et non deficere. » Oportet nos centies in die, etc.

Moraliter. Non oportet nos orare centies in die, sed decies quinque

Digitized by Google

de die, et decies quinque de nocte, non curando de effectibus illis, sed contemplando illas decem excellentias. Primo signando te, et purificando cor, cogitando potentiam Dei, qui de nihilo cuncta creavit, et quando senties cordis dulcedinem dicas : Pater noster, etc. Secundo cogitando ejus scientiam, quomodo omnia scit et videt, et nihil latet eum, nec absconditur ab eo, et sic dicatur secundum Pater noster. Tertio de bonitate, quia quicquid fecit, amore hominum fecit, quia ipse non indigebat celo et terra, et sic de aliis. Quarto creationem omnium in diversis generibus, gradibus, etc. Quinto gubernationem, quomodo providet omnibus de victu et vestitu, etc., nec deficit nec superest in capite anni, etc. Sexto redemptione, quia ne aliquis sibi credens et obediens suspendatur in inferno, voluit suspendi, etc. Septimo glorificationem in anima et corpore beatis in die judicii. Octavo condempnationem, cum quanto rigore damnat impenitentes, et ex hoc venit timor cordis, etc. Nono purificationem animarum in purgatorio, etc. Decimo judicationem judicii generalis, in quo erunt boni ad dexteram, mali ad sinistram, etc. Ecce quare de sanctis predicantur virtutes, ut recipiantur in exemplum. Ideo ait David in psal. 65 : « Benedictus Deus qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me. » Glosa Aug.: « Non amoveatur a te oratio tua, et non amovebitur a te misericordia divina. »

Dico secundo quod beatus Bartholomeus habuit amicitiam Dei per universalem subjectionem, quia omnibus preceptis Dei fuit obediens. Ideo Christus ait : « Vos amici mei estis si feceritis que ego precipio vobis », etc. (Jo. 15.) Si dicatur quod fuit obediens decem preceptis, non est magna laus, quia omnes tenemur obedire.— Responsio : ipse fuit obediens preceptis decem, et consiliis, et etiam mandatis apostolicis, quia omnia servavit que precepit Christus apostolis dicens : « Euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature. » (Mar. ult.) Ubi Christus ostendit locum ubi est predicandum, sc. in mundo universo, non solum in una villa, civitate, seu provincia. Recte dedit eis modum quem tenet sol, qui quando exit illuminat, calefacit, et facit fructificare totum mundum, non quiescit in uno loco, etc. Secundo ostendit materiam predicandam, cum dicit Evangelium, non autem Virgilium, seu Ovidium, quia poete damnati sunt. Ideo eorum doctrina neminem salvat, licet auribus placeat, etc. Si dicatur : Et nunquid possumus predicare vetus testamentum, quia dicit predicate evangelium ? — Responsio, quod qui predicat bibliam non predicat nisi evangelium, quia vetus testamentum nihil aliud est quam evangelium figuratum, et in novo testamento expressatum. Et ista sunt verba Dei que convertunt gentes, et tangunt corda. Ideo apostolus ad Ro. 1 : « Non erubesco predicare evangelium, sc. figuratum vel expressatum. Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti. » Tertio ostendit quibus personis est

Digitized by Google

predicandum, quia omni creature. non solum Christianis ad consolandum animas, sed etiam conversis Judeis, Agarenis, quia virtus Dei est in salutem omni credenti. Istud preceptum optime servavit beatus Bartholomeus. Dicatur quomodo post receptionem Spiritus Sancti incepit predicare in Hierusalem, ubi multos convertit. Deinde per Judeam, et sic predicando ivit, quousque pervenit ad ultimam Indiam.

Secundum preceptum Christi ad apostolos fuit de bello. O in quali bello ibant apostoli! Moderni predicatores veniunt in tempore pacis predicare inter Christianos, sed apostoli inter infideles et philosophos predicabant doctrinam altissimam, et novam. Sicut de trinitate, incarnatione, de Christi passione, de sacramento altaris, disputantes cum philosophis, etc. Militabant contra naturam, que dat infirmitates, contra demones, et contra mortem, suscitando mortuos, curando infirmos, et expellendo demones. Autoritas: « Hos duodecim misit Jesus... demones ejicite » (Mat. 10.). Ad practicam de bello beati Bartholomei. Nota, quod post quam predicavit de trinitate, sc. quod unus est Deus in essentia, et trinus in personis, statim philosophi contra arguebant: Multiplicatis suppositis, id est individuis, necesse est ut essentie multiplicentur. Beatus Bartholomeus respondebat dicens: Hoc verum est in creaturis, sed non in creatore, ad quem philosophi non pervenerunt. Et ad probandum suscitabat unum mortuum dicens: Sicut tres persone divine sunt unus Deus, ita anima, et corpus, et vita sint unum in te: surgas. Et mortuus surgebat. Ita postquam predicaverat de incarnatione, philosophi dixerunt contra: Finiti ad infinitum non est proportio equalitatis vel mensurabilitatis, sc. per mensuram vel equalitatem, sed est proportio causalitatis. Et hoc est necesse, quia primum principium infinitum est causa finiti, etc. Ad probandum istam veritatem curabat leprosum vel surdum, etc. Item de passione Christi, ne sibi credentes et obedientes suspenderentur in furca inferni, et philosophi contra arguebant dicentes: Frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora. Cum ergo Deus solo verbo potest salvare, quid oportuit eum pati? etc. — Respondeo quod regula habet verum, quod frustra fit, etc., si ita bene fiat. etc. Et ad probandum hoc curabat mutum. Item de sacramento altaris quod fuit magne difficultatis ad credendum, philosophis dicentibus contra: Locus et locatum debent proportionari.— Respondeo, ait Bartholomeus, hoc est verum naturaliter, sed istud est supernaturaliter; et ad probandum curabat infirmum, etc. Patent bella que tangit Christus in dicta autoritate.

Tertium preceptum Christi quod dedit apostolis fuit de paupertate. Mat. 10: « Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris », etc. Cum ista paupertate convertebant gentes. Dicebant enim gentes: Quid volunt isti a nobis? Et alii dixerunt: Salutem nostram

Digitized by Google

querunt, et non pecuniam. Dicatur hic miraculum quod fecit in India de curatione filie regis a demonio, et quomodo rex misit sibi tot pecunias, et nihil inde voluit recipere. Dicatur quomodo convertit regem, et omnes de illa civitate. Ecce bellum suum. Ita si nos modo essemus boni, et non diligeremus tantum bona temporalia, non solum Christiani, sed etiam infideles converterentur, sed quia sumus male vite, non solum infideles non convertuntur, sed et Christiani perdunt fidem.

Dico tertio quod beatus Bartholomeus habuit amicitiam Christi per martyrialem afflictionem, per martyrium enim homo acquirit amicitiam Dei. « Pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est. » (Judith. 8.) Nota quatuor martyria beati Bartholomei, qui ponuntur a quatuor autenticis doctoribus. Dicatur primo quomodo post conversionem Polemii regis, Astyages, frater Polemii misit mille homines armorum ad capiendum beatum Bartholomeum. Primum tormentum quod sibi dedit fuit fustium cesio adeo fortiter, quod miraculum erat quia non moriebatur, et in quolibet ictu dicebat Jesus : optima medicina est ista. Istud tormentum ponit beatus Ambrosius. Secundum tormentum ad majorem sui penam fuit, quia crucifixus versis pedibus in altum, et istud ponit Dorotheus magister. Tertium postquam fuit a cruce depositus, fuit excoriatus. Cogitate penam. Istud tormentum ponit Theodorus, intantum dicunt aliqui quod cum pelle in collo predicabat. Quartum tormentum est quod fuit decapitatus. Istud tormentum ponit historia. Si ergo ex martyriali afflictione quis efficitur amicus Dei, igitur maxime beatus Bartholomeus.

Moraliter, si volumus intrare paradisum, oportet quod in his quatuor tormentis simus similes beato Bartholomeo. Primo ut simus fustibus cesi. Nam quando aliquis in aliquo statu malo diu vixit, et emendat se, statim per oblocutiones fustibus ceditur. Dicatur de quolibet, quando aliquis convertitur ad Deum, et incipit bonam vitam, statim veniunt fustium cesores. De hoc ait apostolus : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. » (2 ad Tim. 3.) Secundo oportet ut simus crucifixi. Crux significat penitentiam quam debemus sustinere. Ad Gal. 5 : « Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. » Tertio oportet ut simus excoriati. Si habetis pellem leoninam superbie et vanitatis, humiliemini. Idem de avaris. Si habent pellem vulpinam, oportet excoriari, restituendo usuras, et illis dolor est, sed oportet restituere usuras, etc. Job. 2 : « Pellem, sc. male vite, usure, luxurie, etc., pro pelle, sc. anime, et cuncta que habet homo dabit pro anima sua », etc. Quarto oportet decapitari. Caput unde venit omne malum est superbia et presumptio, quando homo superbit et presumit de vanitate sua, scientia et ingenio. Ergo oportet excoriari : « Quoniam initium omnis peccati est superbia. » (Eccl. 10.)

Digitized by Google

De beato Augustino

(Canevas autographe)

Lucerne ardentes in manibus vestris.
(Luc. 17.)

Virtutes infuse quibus anima humana justificatur dicuntur lucerne ardentes. Ratio est : Sicut lucerne ardentes illuminant et pulcrificant cameram seu domum mentis humane contra tenebras et turpitudinem peccatorum. Ex. 25 : « Facies lucernas septem et pones eas super candelabrum », etc. Hujusmodi septem lucerne sunt virtutes opposite septem peccatis mortalibus, ponende super candelabrum mentis humane ad lucendum ex opposito mortalium peccatorum. — De hujusmodi dirigitur verbum beato Augustino in themate : « Lucerne ardentes in manibus vestris », non solum in oculis speculando, non solum in auribus oscultando, sed etiam in manibus operando. — Nota ad hoc quod scribitur Zach. 4 : « Ecce candelabrum... lucerne super illud. » Et fiat prosecutio de septem virtutibus oppositis peccatis mortalibus, prout in ejus legenda poterit reperiri.

De sancto Augustino

(Manuscrit de Toulouse)

Lucerne ardentes in manibus vestris.
(Luc. 12, et officialiter in Evangelio presentis solemnitatis.)

Sicut scitis, hodie fit festum in sancta Ecclesia illius magni doctoris et gloriosissimi confessoris beati Augustini episcopi ; et ideo erit de eo etiam sermo noster maxime. Et si placet Deo, in sua vita inveniemus multas bonas materias speculativas et morales. Sed ut Deus det suam gratiam abundantissime, salutemus virginem Mariam.

Pro brevi declaratione verbi propositi et materie predicande, sciatis quod in sancta Scriptura virtutes infuse quibus Deus dator virtutum justificat animas humanas, dicuntur lucerne ardentes. Ratio quia sicut camera obscura et tenebrosa illuminatur et pulcrificatur lucernis ardentibus, sic camera conscientie humane illuminatur et pulcrificatur contra

Digitized by Google

tenebras et turpitudines peccatorum virtutibus a Deo infusis, quod dum homo est in peccatis et in mala vita, domus conscientie est obscura et tenebrosa, sed quando Deus accendit in ea lucernas virtutum, efficitur clara et pulcra ; et tunc Deus vult ibi habitare, juxta illud : « Delicie mee esse cum filiis hominum », sc. in conscientiis illuminatis. (Prov. 8.)

Sic enim conscientia persone superbe, vane et pompose tenebrosa est et habitatio demonum, sic quando placet creatori quod illuminetur lucerna humilitatis cordialis virtutis, dimittendo pompas, vanitates, etc., tunc est pulcra, clara et habitatio Dei. — Item persona avara cameram conscientie habet obscuram plenam pulveribus, quia non curat nisi de terrenis bonis ; sed quando a Deo accenditur in ea lucerna virtutis pietatis spiritualis, efficitur clara et pulcra ; et licet habeat pecunias multas de bono justo, non ponit in eis spem nec cor, sed manus recipiendo necessaria, alia distribuit. — Item de persona luxuriosa : ejus camera consciencie non est nisi domus porcorum, sed quando a Deo accenditur sive incenditur lucerna virtutis castitatis cordialis et mentalis, est clara et pulcra. — Item de persona invida ut habeat officii regimen, etc.: ejus consciencia est camera dyaboli, quia in invidia dyaboli mors intravit in orbem terrarum ; sed quando incenditur lucerna virtutis dilectionis supernaturalis, efficitur pulcra et clara. — Item de persona gulosa excessive comedendo, bibendo, jejunia frangendo, etc.; sed quando incenditur lucerna virtutis abstinentie virtualis, etc. — Item de persona irosa que non vult remittere injurias, sed tenet odium in mente et corde cum desiderio vindicte : sed quando incenditur lucerna virtutis patientie, camera consciencie efficitur clara et pulcra, quia sicut Dominus noster et rex Jesus Christus fuit patiens remittendo, etc., quanto magis nos qui sumus homines. — Item de persona accidiosa : licet enim laboretis ad congreganda bona terrena, nisi laboretis ad congreganda bona spiritualia, sc. virtutes et merita, accidiosi estis. Sed modo qui laborant pro bonis terrenis congregandis dicuntur diligentes, qui autem in bonis spiritualibus dicuntur negligentes, sed in fine apparebit quando tales venient coram Christo, et nullum lucrum portabunt, mittentur per Christum ad hospitale miserorum, sc. ad infernum ; sed quando incenditur lucerna virtutis diligentie, etc. — Patet ergo ratione quod virtutes infuse quibus justificantur anime dicuntur lucerne ardentes. Et de hoc habemus auctoritatem allegorice : dicit Deus Pater Filio suo Jesu Christo : « Facies lucernas septem... ex adverso. » (Ex. 25.) Ad litteram fuit dictum Moysi, allegorice Christo. Septem lucerne sunt septem virtutes predicte. — Nota : Facies lucernas septem ; et ipse Christus facit eas in anima per infusionem. Ideo David vocat eum Dominus virtutum, ps. 23 : « Dominus virtutum ipse est rex glorie.» Et pones eas super candelabrum mentis humane. — Nota : « ut luceat ex adverso »,

Digitized by Google

quia contra peccatum superbie ex opposito illuminat lucerna humilitatis. — Et sic de aliis.

De hujusmodi virtutibus loquor ego in themate dicendo beato Augustino : O beate Augustine, lucerne ardentes, supple sunt, in manibus tuis. Non dicit solum in oculis, in auribus nec in ore, sed in manibus etiam, quia multi habent predictas virtutes solum in oculis, legendo virtutes, quia sunt apti et scientes, sed eorum vita est vitiosa. Alii habent solum virtutes in labiis, predicando, legendo, disputando de virtutibus, sed eorum vita est scandalosa. Et de istis dicitur : Lucerne ardentes in oculis vel labiis vestris. Alii habent virtutes solum in auribus, ut vos modo, et illi qui libenter sermones audiunt ; sed audito sermone nichil ponunt in opere. Istis dicitur : Lucerne ardentes in auribus vestris. Non sufficit habere virtutes in oculis, etc., sed in manibus, sc. ut sicut legunt, audiunt vel predicant, quod ita servent et faciant opere. Et quia ita fecit beatus Augustinus, ideo item possumus sibi dicere : Lucerne ardentes, id est virtutes animam pulcrificantes, in manibus vestris, non solum in oculis contemplando vel speculando, nec in auribus audiendo, nec in labiis predicando, sed in manibus opere servando. Et potest verificari de eo una prophetia Zacharie, quem angelus suscitavit a somno, dicens : « Quid tu vides ? Et dixi : Vidi », etc. (Zach. 4.) Nota : Candelabrum aureum totum est beatus Augustinus. Alii doctores dicuntur lucerne : « Nemo accendit lucernam, etc., et ad lumen. » Christus vocat quemlibet doctorem lucernam, sed super candelabrum, id est beatum Augustinum, quia audeo dicere quod omnes doctores qui venerunt post, sustentantur super ejus doctrinam sanctam, puram, catholicam, auri purissimi, sine errore et falsarum opinionum. Et quilibet doctor est contentus, ad probandum suum dictum, si potest habere unam auctoritatem beati Augustini. — Nota : Et lampas ejus, sc. sapientia super caput ejus. Et septem lucerne ejus contra septem peccata mortalia de quibus volo vobis nunc predicare.

Prima ejus virtus fuit humilitas, que in eo fuit maxima, quia dicit apostolus quod scientia inflat (Rom. 8). Quando in aliqua civitate est aliquis victor famosus, totus est inflatus vento superbie ; sed beatus Augustinus, in toto orbe famosus et maximus omnium, scivit se humiliare ; cum adhuc puer esset ita subtilis et ingeniosus quod per se sine magistro didicit septem artes liberales, pro quibus modo unus homo indigeret septem annis vel decem ad sciendum. Cum toto hoc humilem se habebat neminem despiciendo, nec disputando aliquem confundebat. Ex ista humilitate et orationibus matris fuit conversus, quia per triginta annos fuit in errore Manicheorum. Sed post conversionem nolebat habitare in civitatibus nec villis, quia ita erat famosus quod timebat vanam gloriam, sed stabat in possessionibus. Unde cantat Ecclesia : « Post mortem matris », etc.

Digitized by Google

Valerius autem episcopus Yponensis, audita ejus fama, cupiebat ipsum habere in sua Ecclesia. Eodem tempore, in civitate Yponensi erat quidam magnus dives usurarius et male vite qui misit Augustino quod si ad ipsum accederet et verbum de ore ejus audiret, seculo renuntiaret. Propter quod Augustinus illuc statim ivit. Hoc sciens, episcopus Valerius retinuit eum, et licet invitum in presbiterum ordinavit, quia ad tantum officium se indignum reputabat, dicens : O miser ! numquid os meum est dignum aperire celum, et manus mee tractare Christum Dominum, nec corpus ut sit Christi sepulcrum ? — Sed hodie ordinantur juvenes qui nec habent etatem, nec scientiam, nec sanctitatem, nec virtutes, sed luxuriosi, ribaldi, etc. Et volunt ordinari. Numquid beatus Franciscus voluit ordinari ? Ex quo fuit dyaconus, dixit : sufficit ! non reputo me dignum ad officium sacerdotii ; cum tamen esset sanctissimus. Item de sanctis Laurentio et Vincentio.

Qui statim postquam fuit clericus, monasterium clericorum instituit, et cepit vivere secundum regulam, sub sanctis apostolis constitutam. Et Valerius episcopus, Augustino protestante, tribuit ut contra morem orientalis Ecclesie, coram se in ecclesia predicaret. Et cum multi episcopi de hoc murmurarunt, Valerius non curavit, dum modo per eum fieret quod per se fieri non valebat, quia onus est prelatorum, juxta illud : « Pascite eum qui in vobis », etc. (1 Pet. 2), exemplo vite et predicatione sancte doctrine. Cepit autem Valerius formidare ne sibi Augustinus tolleretur, et ab alia civitate in episcopum peteretur, impetravit ab archiepiscopo ut ipse cederet, et Augustinum Yponensem episcopum promoveret. Sed cum Augustinus omnino recusaret, compulsus tamen et tractus suburbuit, et episcopatus curam suscepit. Ratio excusationis erat quod antiquitus sancti episcopi plus curabant de animabus quam de redditibus. Modo est oppositum, etc.

En somme, ce sermon est faible et n'apprend rien. Les vertus suivantes : pauvreté, chasteté, abstinence, patience, diligence, sont présentées sous un jour aussi banal. Il y a donc lieu, de plus en plus, de faire une sélection, pour qu'à l'authenticité de la pensée se joigne quelque intérêt.

Voici néanmoins la fin, d'après le recueil imprimé :

Secunda virtus fuit paupertas spiritualis. Licet enim episcopatus esset magnus, parum tamen expendebat pro se. Non curabat de illa veridica regula que dicit quod de redditibus episcopatus debent fieri tres partes : prima pro ecclesiis reparandis, secunda pro pauperibus sustentandis, tertia pro se ; imo de centum partibus Augustinus vix retinebat unam pro se, quia simpliciter erat indutus. — Melius induitur modo unus simplex beneficiatus quam tunc unus episcopus. Et si aliquando cives

Digitized by Google

faciebant sibi vestem pretiosam, recipiebat eam et postea vendebat, et faciebat sibi aliam rudem, et illas pecunias dabat pauperibus. Ipse enim dixisse legitur : « Fateor, de pretiosa veste erubesco, et ideo cum datur mihi, vendo eam ; ut, quia vestis communis esse non potest, pretium sit commune. Item, nolebat habere vasa aurea nec argentea, nisi cochlearia. — Quid ergo faciebat de aliis redditibus ? — Dicit historia quod distribuebat pauperibus, viduis, orphanis, captivis, pro debitis, etc. Et quando non sufficiebant redditus, recipiebat calices superfluos. Dicit enim historia : De vasis dominicis propter pauperes et captivos jubebat frangi et conflari, et indigentibus dispensari. — Modo autem pauperes moriuntur fame, et captivi abnegant fidem Jesu Christi quia tot fiunt vanitates et superfluitates quod non sufficiunt. Quantum expendunt mulieres in ornamentis, caudis, manicis et camisiis ! Item quantum expendunt homines in vanis ornamentis ! Item, de superfluitatibus que fiunt in ecclesiis, in operibus et jocalibus ! Plus gaudet Deus de sacerdotibus virtuosis quam de edificiis sumptuosis. Ideo Augustinus non permittebat quod in sua sede fierent edificia nimis sumptuosa, nec beneficia de usuris. Querebat si ille habebat amicos pauperes et si sic, illis dimittebat hereditatem. Sed modo fit oppositum. Ecce paupertas spiritualis, sciens regulam Christi dicentis : « Cavete ab omni avaritia. » Nota : ab omni, ergo a rapina, usura, furto secreto, a retentione decimarum, etc.

Tertia virtus fuit castitas. — Ex quo fuit conversus et presbyter et episcopus factus, non permisit quod soror sua sancta et devota, nec neptes sue que Deo pariter serviebant, intrarent palatium ejus, dicebat enim quod, etsi de sorore vel neptibus nulla posset mala oriri suspicio, tamen quia tales persone sine aliis sibi necessariis esse non possent, ad eas alie advenire poterant, de quibus posset oriri suspicio. Nunquam cum muliere solus loqui volebat, diligens famam suam et dando aliis bonum exemplum. Ideo ait Hieronymus : « Mulierem quam bene conversantem videris, mente dilige non corporali presentia. » Ita debet facere qui vult caste vivere, et honeste. Unde ait apostolus : « Oportet enim ipsum testimonium habere bonum ab his qui foris sunt », etc. (Tim. 3.) Nota in opprobrium, sc. laicorum, in laqueum diaboli quia sicut aves capiuntur laqueo, ita laici capiuntur in mala vita ecclesiasticorum.

Quarta virtus fuit charitas, quia ita erat inflammatus charitate erga Deum, quod quando celebrabat, semper flebat, et sicut cera ad ignem liquescit, ita ejus anima liquefiebat. Item circa proximum visitabat diligenter episcopatum, forte bis vel ter in anno ibat predicando, et convertebat peccatores ad penitentiam, infideles, Judeos, Agarenos, Paganos ad fidem catholicam. Tanta erat in corde ejus charitas, quod volebat omnes salvare, sciens illud verbum apostoli : « Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet », etc. (Philip. 1.)

Digitized by Google

Quinta virtus ejus fuit abstinentia, nam vitam Christi tenuit, non comedebat carnes, et solum semel in die comedebat, semper fuit sibi tempus quadragesime. Dicit historia : Mensa frugali usus est, et inter olera et legumina propter infirmos et hospites plerunque carnes habebat. Non dicit quod comedebat. In ipsa mensa, magis lectionem et disputationem diligens, quam epulationem. Tria a beato Ambrosio se didicisse ait : Primum quod uxorem nunquam cuiquam peteret. Ratio, ne ille inter se male convenirent, et sibi maledicerent. Secundum quod militare volentes ad hec non commendaret. Ratio, ne militantes calumniam exercerent, et in eum alii culpam refunderent. Tertium quod ad convivia invitatus non iret. Ratio, ne forte temperantie modum perderet. Recte tenebat consilium Christi dicentis : « Attendite vobis ne forte graventur corda vestra ebrietate. » (Luc. 21.) Quare hodie sunt tam mali clerici, religiosi, laici ? quia non amant virtutem temperantie, sed comedunt et bibunt, etc.

Sexta virtus fuit patientia in injuriis, et derisionibus sibi factis, etiam a suis clericis, ipsum judicantibus de hypocrisi. Et licet potuisset eos incarcerare, tamen noluit, imo patienter sustinuit, quia Christus dicit : « In patientia vestra possidebitis animas vestras. » (Luc. 21.)

Septima fuit diligentia. Totum tempus expendebat in bonis operibus, de nocte parum dormiebat, sed studendo, orando, scribendo, et contemplando pernoctabat, de die celebrando et predicando. Et propter hoc Deus fecit sibi magnam gratiam in miraculis faciendis. Nota aliqua miracula ex legenda. Quando autem fuit senex LXXVI annorum, nunquam dimittebat predicationem, imo dicit nonum responsorium : « Verbum Dei usque ad ipsam egritudinem impretermisse, alacriter, et fortiter, et sana mente, sanoque consilio in sancta ecclesia predicavit. » Febribus autem laborans, intelligens dissolutionem sui corporis imminere, septem psalmos penitentiales sibi scribi fecit, ipsoque in lecto contra parietem positos lecto decumbens legebat.— Si dicatur : Et nesciebat corde ? etc. — Imo etiam psalterium, et forte totam bibliam, sed quando contemplando et plorando eos legebat, tunc plus stabat in uno versu quam unus alius in septem psalmis. Ideo ut recordaretur de sequenti versu, scribi fecit, ut Deo vacaret liberius, et ejus intentio a nullo impediri posset.

Ante decem autem dies sui exitus nullum ad se ingredi precepit, nisi tunc tantum quando medici ingrediebantur, vel cum ei refectio offerretur. Deinde confessus de paucis peccatis recepit devotissime sacramentum communionis, et extreme unctionis, et recepto *valete* a canonicis et clericis, migravit in pace. Et anima illa sanctissima collocata est in celo. Ecce quare dicit thema : « Lucerne ardentes, id est virtutes in manibus vestris. »

Digitized by Google

De Decollatione Joannis Baptiste

(Canevas autographe)

Herodes tenuit Joannem et vinxit in carcere.
(Marc. 6.)

De tribus est fienda predicatio modo :
De Joannis prisione injusta ;
De ejus morte indigna ;
De sepultura diversa.

De primo loquitur thema propositum. — Nota quod prisio beati Joannis habet respectu Christi altam convenientiam, respectu Herodis magnam injustitiam. Conveniens quippe erat ut, sole justitie jam effundente radios doctrine et virtutem super terram, lucifer occultaretur in secreto, juxta quod ipse dixerat discipulis suis invidentibus Christo, Joan. 3 : « In hoc gaudium meum impletum est », etc. Injustum vero nimis fuit capere hominem tam sanctum et justum, maxime attenta causa que in evangelio ponitur ; a principio usque « libenter eum audiebat ». — Moraliter potest dici ut mulieres caveant a nimia familiaritate hominum, etiam parentum et affinium. Et homines non effeminentur.

De secundo ibi : « Et cum dies opportunus », etc., usque : « et puella dedit matri sue ». — Nota hic exclamationem Chrysostomi : « Joannes schola virtutum ! » — Moraliter non solum propter fidem expresse morientes, sed etiam propter correctionem vel ad opus justum martyres sunt. Mat. 5 : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. »

De tertio ibi : « Quo audito », etc., usque in finem. Diversa fuit sepultura Joannis, quia alibi anima, alibi caput, alibi corpus fuit sepultum. — Nota de legenda ejus.

De Decollatione sancti Joannis Baptiste

(Recueil imprimé)

Decollavit Herodes Joannem in carcere.
(Verbum istud habetur originaliter Marc. 6, et recitative in Evangelio hodierno.)

Hodie sicut scitis est festum et solennitas beati Joannis Baptiste, sc. martyrii, quomodo pro honore Dei fuit in carcere jugulatus, ita etiam

Digitized by Google

de hoc erit sermo noster. Sed ut in presenti sermone Deus det nobis copiosam gratiam ad vite meliorationem, et animarum consolationem, salutetur virgo Maria, etc.

Sancta mater Ecclesia facit in anno tribus vicibus magnam solennitatem et memoriam de sancto Joanne Baptista secundum quod ipse habuit tres excellentias et perfectiones singulares. Primum festum est Nativitatis, quia singulare factum fuit, quia non legitur de alio sancto novi testamenti nisi de Domino nostro Jesu Christo, et virgine Maria, quod fuerit natus sanctus, nisi de Joanne Baptista. Item de nullo alio sancto fit festum nativitatis nisi de Christo, de virgine Maria, et de Joanne Baptista quia antequam fuisset natus erat sanctus. Hoc revelavit Gabriel patri suo Zacharie dicens: « Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue », etc. (Luc. 1.) Ecce prima excellentia. Secundum festum et excellentia est de sua vita, quam tenuit singularem super omnes, in magna asperitate et penitentia, quia solum erat quinque annorum quando fugit de domo patris, et intravit desertum plenum Leonibus et ursis, etc., et in quo stetit xxv annis, et laceratis vestibus quas secum duxerat, quando inveniebat pelles camelorum mortuorum, de pilis illorum faciebat sibi cilicium, quo induebatur. Comedebat locustas sylvestres amotis alis et cruribus, bibebat aquam solam, dormiebat super terram, cervical suum erat durus lapis. Et talis vita non legitur de alio sancto. De hoc ecclesia facit solennitatem in duabus Dominicis adventus. Istam perfectionem vite beati Joannis revelavit etiam Gabriel Zacharie patri suo, dicens: « Erit magnus coram Domino, non coram mundo, imo absconditus mundo. Vinum et siceram non bibet. » (Luc. 1.) Tertium festum et solemnitas est hodie de suo fine et martyrio, qualiter pro honore Dei sustinuit martyrium, et fuit per Herodem jugulatus, propter hoc istud festum dicitur decollatio sancti Joannis. Et de hoc festo predicabo ego modo, quia de isto dicit thema: « Decollavit Herodes Joannem in carcere. »

De isto martyrio beati Joannis declarabo tria puncta, de quibus poterimus recipere bonas doctrinas pro animarum consolatione, et peccatorum correctione.

Primus punctus est de sua captione carcerali;

Secundus de sua morte et passione martyriali;

Tertius de sua sepultura corporali.

In his tribus punctis stat tota historia hodierna, et sanctum evangelium.

Dico primo quod primus punctus erit de sua captione carcerali. Pro quo notandum quod si ista captio beati Joannis facta per Herodem comparetur ad Christum, tunc habet altam convenientiam. Si vero comparetur ad Herodem, habet magnam maliciam et injustitiam.— Pro primo

Digitized by Google

nota quod Christus in sacra scriptura dicitur sol. Ratio est ista, quia sicut sol quando oritur et expandit radios suos illuminat mundum, et calefacit ipsum, et facit ipsum fructificare, et arbores, et animalia, et ita mundus conservatur. Ita Christus quando ortus fuit secundum humanitatem, et expandit radios celestium doctrinarum in suis predicationibus, illuminavit mundum, ita quod nullus sibi credens, et obediens remansit in errore, dubitatione seu falsa opinione. Secundo inflammavit et calefecit corda gentium in amore Dei et devotione, cum antea essent frigida seu frigide gentes. Tertio fecit fructificare in operibus bonis et meritoriis, quia ante non fructificabant meritorie, ut sc. pro illo tempore intrarent paradisum. Ecce ratio quare Christus dicitur sol. De hoc autoritas que confirmat credentiam: Malachias loquens in persona Dei patris dicit : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitie », non dicit sol nature. (Malach. 4.) Item ecclesia dicit virgini Marie :« Fe lix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitie Christus Deus noster. » Et beatus Joannes dicitur Lucifer, sive stella matutina. Ratio, quia sicut Lucifer precedit solem, et est major et clarior aliis stellis, ut videtur nobis, ita Joannes Baptista precessit Christum, veniens ante eum major et sanctior aliis. « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. » (Mat. 11.) Ideo quando persone sancte, ut Zacharias pater Joannis, et Elizabeth, Symeon, et Anna, et alie viderunt miraculum sive mirabilem nativitatem beati Joannis quasi Luciferi, dixerunt : O ! cito veniet Christus, cito orietur sol justitie. De isto Lucifero fecit Deus questionem Job, dicens : « Numquid producis Luciferum in tempore suo ? » (Job. 28.) Dicit glosa Gregorii : Luciferum, id est, Joannem Baptistam. Et sicut oriente sole Lucifer absconditur, quia a nobis non videtur, sic conveniens quippe erat ut sole justitie jam effundente suos radios doctrine et virtutum super terram, Lucifer occultaretur in secreto. Ideo voluit Christus ut Joannes esset captus. Ecce hic altam convenientiam respectu Christi. De hoc auto : Ex quo Christus incepit predicare, et miracula facere, dixerunt gentes : O ! magis sapiunt sermones istius quam Joannis. Ideo dimisso Joanne sequebantur Christum. Propter quod discipuli Joannis nondum instructi plene, invidentes Christo, quia Joannes eorum magister perdebat famam predicationis, dixerunt Joanni : « Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. » (Joan. 3.) Quibus respondens Joannes dixit : « In hoc gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. » (Ibid.) Et tangit beatus Joannes dictam rationem dicens : Illum oportet, etc., quia doctrina mea non illuminat illos per infusionem, ut doctrina Christi, nec baptismus meus confert remissionem peccatorum, ut baptismus Christi.

Digitized by Google

de hoc erit sermo noster. Sed ut in presenti sermone Deus det nobis copiosam gratiam ad vite meliorationem, et animarum consolationem, salutetur virgo Maria, etc.

Sancta mater Ecclesia facit in anno tribus vicibus magnam solennitatem et memoriam de sancto Joanne Baptista secundum quod ipse habuit tres excellentias et perfectiones singulares. Primum festum est Nativitatis, quia singulare factum fuit, quia non legitur de alio sancto novi testamenti nisi de Domino nostro Jesu Christo, et virgine Maria, quod fuerit natus sanctus, nisi de Joanne Baptista. Item de nullo alio sancto fit festum nativitatis nisi de Christo, de virgine Maria, et de Joanne Baptista quia antequam fuisset natus erat sanctus. Hoc revelavit Gabriel patri suo Zacharie dicens: « Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue », etc. (Luc. 1.) Ecce prima excellentia. Secundum festum et excellentia est de sua vita, quam tenuit singularem super omnes, in magna asperitate et penitentia, quia solum erat quinque annorum quando fugit de domo patris, et intravit desertum plenum Leonibus et ursis, etc., et in quo stetit xxv annis, et laceratis vestibus quas secum duxerat, quando inveniebat pelles camelorum mortuorum, de pilis illorum faciebat sibi cilicium, quo induebatur. Comedebat locustas sylvestres amotis alis et cruribus, bibebat aquam solam, dormiebat super terram, cervical suum erat durus lapis. Et talis vita non legitur de alio sancto. De hoc ecclesia facit solennitatem in duabus Dominicis adventus. Istam perfectionem vite beati Joannis revelavit etiam Gabriel Zacharie patri suo, dicens: « Erit magnus coram Domino, non coram mundo, imo absconditus mundo. Vinum et siceram non bibet. » (Luc. 1.) Tertium festum et solemnitas est hodie de suo fine et martyrio, qualiter pro honore Dei sustinuit martyrium, et fuit per Herodem jugulatus, propter hoc istud festum dicitur decollatio sancti Joannis. Et de hoc festo predicabo ego modo, quia de isto dicit thema: « Decollavit Herodes Joannem in carcere. »

De isto martyrio beati Joannis declarabo tria puncta, de quibus poterimus recipere bonas doctrinas pro animarum consolatione, et peccatorum correctione.

Primus punctus est de sua captione carcerali;

Secundus de sua morte et passione martyriali;

Tertius de sua sepultura corporali.

In his tribus punctis stat tota historia hodierna, et sanctum evangelium.

Dico primo quod primus punctus erit de sua captione carcerali. Pro quo notandum quod si ista captio beati Joannis facta per Herodem comparetur ad Christum, tunc habet altam convenientiam. Si vero comparetur ad Herodem, habet magnam maliciam et injustitiam.— Pro primo

Digitized by Google

nota quod Christus in sacra scriptura dicitur sol. Ratio est ista, quia sicut sol quando oritur et expandit radios suos illuminat mundum, et calefacit ipsum, et facit ipsum fructificare, et arbores, et animalia, et ita mundus conservatur. Ita Christus quando ortus fuit secundum humanitatem, et expandit radios celestium doctrinarum in suis predicationibus, illuminavit mundum, ita quod nullus sibi credens, et obediens remansit in errore, dubitatione seu falsa opinione. Secundo inflammavit et calefecit corda gentium in amore Dei et devotione, cum antea essent frigida seu frigide gentes. Tertio fecit fructificare in operibus bonis et meritoriis, quia ante non fructificabant meritorie, ut sc. pro illo tempore intrarent paradisum. Ecce ratio quare Christus dicitur sol. De hoc autoritas que confirmat credentiam: Malachias loquens in persona Dei patris dicit : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitie », non dicit sol nature. (Malach. 4.) Item ecclesia dicit virgini Marie :« Fe lix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitie Christus Deus noster. » Et beatus Joannes dicitur Lucifer, sive stella matutina. Ratio, quia sicut Lucifer precedit solem, et est major et clarior aliis stellis, ut videtur nobis, ita Joannes Baptista precessit Christum, veniens ante eum major et sanctior aliis. « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. » (Mat. 11.) Ideo quando persone sancte, ut Zacharias pater Joannis, et Elizabeth, Symeon, et Anna, et alie viderunt miraculum sive mirabilem nativitatem beati Joannis quasi Luciferi, dixerunt : O ! cito veniet Christus, cito orietur sol justitie. De isto Lucifero fecit Deus questionem Job, dicens : « Numquid producis Luciferum in tempore suo ? » (Job. 28.) Dicit glosa Gregorii : Luciferum, id est, Joannem Baptistam. Et sicut oriente sole Lucifer absconditur, quia a nobis non videtur, sic conveniens quippe erat ut sole justitie jam effundente suos radios doctrine et virtutum super terram, Lucifer occultaretur in secreto. Ideo voluit Christus ut Joannes esset captus. Ecce hic altam convenientiam respectu Christi. De hoc auto : Ex quo Christus incepit predicare, et miracula facere, dixerunt gentes : O ! magis sapiunt sermones istius quam Joannis. Ideo dimisso Joanne sequebantur Christum. Propter quod discipuli Joannis nondum instructi plene, invidentes Christo, quia Joannes eorum magister perdebat famam predicationis, dixerunt Joanni : « Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. » (Joan. 3.) Quibus respondens Joannes dixit : « In hoc gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. » (Ibid.) Et tangit beatus Joannes dictam rationem dicens : Illum oportet, etc., quia doctrina mea non illuminat illos per infusionem, ut doctrina Christi, nec baptismus meus confert remissionem peccatorum, ut baptismus Christi.

Digitized by Google

Si autem volumus loqui de captione Joannis respectu Herodis, dico quod fuit maxima malitia et injustitia. Injustum eum fuit nimis capere hominem tam sanctum et justum, maxime attenta causa, de qua loquitur evangelium hodiernum. Herodes misit ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Herodias autem insidiabatur Joanni. Herodes autem metuit Joannem, sciens eum virum justum et sanctum, et libenter eum audiebat. Iste Herodes erat rex, et habebat uxorem, sed non ita pulchram et gratam ut erat uxor fratris sui Philippi. Et quia erat luxuriosus, non fuit contentus de uxore sua, plus appetens pulchritudinem quam bonitatem mulieris, ut sunt multi. Ideo pulchritudo mulierum facit eis multa mala. Nec Philippus suspicabatur malum de fratre suo. Finaliter Herodes dixit: O cognata, si velletis venire mecum, ego sum rex, et vos essetis regina. Respondit illa: Melius est mihi ut sim uxor unius nobilis quam concubina regis, vos jam habetis uxorem, sed si vultis expellere uxorem vestram, vadam vobiscum. Et sic uxorem abstulit fratri suo Philippo. Statim fama hujus facti divulgata fuit. O! dixit Joannes, si hoc peccatum sustinetur, tota patria corrumpetur, quia ita poterunt etiam alii facere. Nec aliquis audebat hoc redarguere nec corrigere. Propter quod Joannes venit ad Herodem. Et quia peccatum erat notorium, publice eum corrigendo redarguit dicens: Non licet tibi habere uxorem fratris tui, non est bene factum quod tu teneas istam meretricem. Cogitate qualiter ipsa fuit indignata contra beatum Joannem, que se reginam reputabat, dicens intra se: Si iste Joannes vivit, ego sum perdita. Propter quod omni die instabat apud Herodem ut occideret Joannem, de mane et de sero. Nam talis est modus mulierum. Dicebat sibi Herodes: O! malum esset, quomodo potero ego occidere istum tam sanctum hominem et prophetam, quem sequitur totus mundus? Et illa: Bene! diligitis me sic? Finaliter autem, quia Herodes erat ita luxuriosus, et carnali amore cecatus, dixit: Quomodo fiet ne sit tumultus in populo? Et illa ait: Capiatur primo, et videbitis quid faciet populus, si hoc poterit sustinere, deinde fiat aliud. Tunc Herodes dum Joannes predicaret, misit homines ut caperent. (De hoc Mat. 24 et Mar. 6.) Ecce qualiter captio beati Joannis fuit ex parte Herodis ex malitia et injustitia.

Moraliter habetis hic tres doctrinas. Una tangit homines. Secunda mulieres. Tertia communitates et rectores. Prima qualiter Herodes ad hoc devenit ut secum duceret cognatam. Hujus mali principium fuerunt oculi ejus, pulchritudinem respiciendo. Deinde ex oculis veniunt cogitationes in corde. Deinde locutiones in ore: O! si possemus loqui truffando, etc. Deinde tactus de truffis, de tactu ad oscula. Ideo qui vult vivere caste, debet custodire portas oculorum, et non respicere, quia alias cadet. Ideo Hieremias loquens in persona juvenum, qui res-

Digitized by Google

piciunt libenter mulieres dicit : « Oculus meus depredatus est animam meam. » Quia si haberetis omnia merita patriarcharum, prophetarum,etc., in puncto quod respicitis mulierem concupiscendo eam perduntur omnia, quia peccatis mortaliter. Modo autem juvenes et scutiferi ubi deberent acquirere merita et remissionem peccatorum, perdunt merita, et augmentant peccata, eundo ad ecclesias, sermones, et ad loca ubi sciunt confluere mulieres, ad videndum. Ergo ait Gregorius :« Non decet intueri quod non licet concupisci. » Qui habet pulchram uxorem, potest intueri eam, et concupiscere, sed ab illa quam non licet concupiscere, averte oculos tuos ne videant vanitatem, ait David psal. 18.

Secunda doctrina tangit mulieres, quia ille non debent sustinere oscula, tactus, et visitationes suspectas, quod si faciunt, peccant, ideo errant. Et quia licet, ubi est consuetudo, cognata possit cognatum osculari, tamen periculosum est. Nam uterque statim incalescit. Ideo, mulieres, caveatis vobis. Dicunt mulieres : Si aliquando vir est zelotypus dicendo : Uxor mea, quare osculata estis illum hominem ? Respondet : O Domine ! ipse est cognatus meus, et a nullo computaretur parentela. Sed si homo sit senex, quamvis sit cognatus ejus, tamen nolunt ipsum osculari, etiam si sit germanus. Ideo avisetis vos, quia ubi est majus periculum, ibi major diaboli tentatio. Ideo apostolus ait : « Fugite fornicationem. » (1 ad Cor. 6.) Nolite locum dare diabolo. Locus datur diabolo truffando, tangendo.

Tertia doctrina tangit rectores civitatis. Nam quandiu peccavit Herodes secrete, Joannis non curavit corrigere eum, quia de peccatis occultis non punietur communitas. Sed quando fuit notorium, tunc correxit ne corrumperet totam civitatem et terram. Hic habent exemplum et doctrinam rectores communitatis, quod corrigant peccata publica et notoria, alias ira Dei est super villam vel communitatem. Peccata secreta non cadunt in judicio hominum, nec ex illis punietur communitas. V. gr.: Si aliquis secrete peccat cum aliqua muliere, Deus damnabit ipsum, sed quando est notorium, quia nulla post tergiversatione celari nisi corrigatur, tota civitas punietur. Ecce quare beatus Joannes, qui erat tanquam rector et prelatus, voluit corrigere illud peccatum. Fiat ergo ordinatio in consilio, etc., contra publica peccata. Et si tenebitis consilium quod dedit apostolus illi magne civitati Corinthiorum, de quodam concubinario ratione cujus civitas patiebatur mortalitates, siccitates, et alia mala, et Paulus qui adhuc vivebat, scripsit eis unde habebant illa mala dicens : « Omnino, id est notorie auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.» Sequitur : « Tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit ? Auferte malum ex vobis ipsis. » (1 ad Cor. 5.)

Digitized by Google

Dixi secundo quod secundus punctus est de sua morte martyriali, de qua dicit thema : « Decollavit Herodes Joannem in carcere. » Nota practicam : Ex quo beatus Joannes fuit captus, illa iniqua mulier non quievit dicens : Iste fugiet de captione, vel liberabitur a populo, et clamabit contra me. Ideo non quiescam donec sit mortuus. Et ipsa cum Herode tractabat mortem suam. Herodes non audebat eum occidere, quia timebat populum, sed inter se tractaverunt secrete. Dixit Herodes : Tali die est festum mee nativitatis. Nota quod facere festum nativitatis nisi de sanctis est stultitia. Et tunc ego invitabo barones, et majores regni, et tenebimus modum quod isti consentient in morte Joannis, ex quo isti sunt mecum, bene quietabimus populum, et in fine prandii intrabit puella, etc. Et quicquid petierit sibi daturum, juramento firmabo, et ipsa petet caput Joannis, et de juramento facto me contristari simulabo. Quod enim hanc versutiam et simulationem habuerint, videtur innui in historiis scholasticis, ubi sic dicitur : Credibile est quod Herodes cum uxore de nece juravit, ut occasionem inveniret occidendi. Ordinato igitur convivio, illa mittebat filiam, que optime sciebat tripudiare, quia mater sibi ostenderat, quia matres citius ostendunt filiabus modum ornandi et tripudiandi quam *Pater noster*, vel *Ave Maria*. Ministri autem faciebant sibi jam signum quod veniret ad saltandum, que coram omnibus saltavit, et placuit cunctis jam ebriis. Rex autem ostendens magnum gaudium, vocavit eam dicens : Pete quod vis, et dabo tibi. Et juravit illi : Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Et illa : Domine, peto quod de hoc possim petere sive querere consilium a matre quid petam, que alibi comedebat. Que cum exisset, dixit matre sue. Quid petam ? At illa dixit : Caput Joannis Baptiste. Sed dicas regi coram omnibus, quia verbum regis juramento roboratum irrevocabile est. Cum ergo introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens : Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptiste.

Audiens hoc Herodes se contristatum simulavit. Tristitiam preferebat in facie, cum letitiam haberet in mente, et illa ait : Domine rex, attendatis quid modo juramento promisistis. Tunc majores et barones jam ebrii dixerunt regi : O Domine ! detis sibi, et non est magnum quid dare sibi caput unius heremite pauperis, faciatis. Et ait rex : Dicitis vos ita ? Et illi : Ita, Domine. Tunc rex misit spiculatorem cum disco in quo portaret caput Joannis. Joannes autem videns hominem, credens quod sibi portaret prandium, quando vidit scissorium dixit : Ubi est cibus ? Et ille : Non porto tibi cibum, imo caput tuum erit cibus. Videns Joannes quod mori debebat, alta voce clamabat dicens : Domine Deus meus, in manus tuas commendo spiritum meum. Tunc caput Joannis prescinditur, puelle datur, et a puella matri adultere presentatur. Ecce qualiter beatus Joannes schola virtutum, magisterium vite, sanctitatis

Digitized by Google

forma, norma justitie, virginitatis speculum, pudicitie titulum, castitatis exemplum, penitentie via, peccatorum venia, fidei disciplina. Joannes major homine, par angelis, legis summa, evangelii sanctio, apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi, precursor judicis, totius medius trinitatis. Et hic tantus datur incestuose, traditur adultere, addicitur saltatrici.

Moraliter : Joannes hic dicitur esse martyr. Unde de eo cantat Ecclesia : « Prepotens martyr, heremique cultor. » Tamen non pro fide mortuus est, quia Herodes non faciebat sibi questionem de fide, sed quia corrigebat eum de peccato luxurie. Nota ergo quod non solum qui pro fide Christi, sed etiam qui moritur pro virtute aliqua manutenenda, martyr efficitur. Si quis occiditur a blasphematore quem reprehendit, martyr efficitur cum beato Joanne; licet esset magnus, majorem rationem habet martyrii qui reprehendit blasphemum quam luxuriosum, quia majus peccatum est blasphemia quam luxuria. Incomparabiliter majus peccatum esset semel dicere malas grates, etc., quam interficere centum homines. O quot martyres possent esse modo, si vellent ! etc. Ideo rectores provideant ne jurent gentes Deum enormiter. Si aliquis notorie diceret malum de rege, non sustineretur, et Deo quilibet potest loqui ad libitum, imo ponitur in truffa, quando sciunt aliquem juratorem, ut rideant, provocant eum ut juret, et sic de aliis peccatis. Ideo Christus quando fuit locutus de merito et premio martyrum, dixit Mat. 5 : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam », non solum dixit propter fidem, quia fides est una virtus theologicalis, sed justitia est generalis, pro omni virtute tam humilitatis quam abstinentie et castitatis. Unde si mulier contradicendo ribaldis occiditur, martyr efficitur. Nota de beata Edulia virgine et martyre, de qua in callendis nativitatis Domini. Propter hoc dicit sanctus Petrus : « Nemo vestrum patiatur quasi homicida », etc. (1 Pet. 4.) Sed si quid patimini propter justitiam, beati.

Tertio restat nunc videre de sua sepultura corporali. Invenio quod beatus Joannes habuit tres sepulturas proprias. Una fuit corporis, alia capitis, alia anime. Prima fuit corporis. Corpus autem ejus sine capite habuit honorabilem sepulturam. Dicit evangelium quod discipuli ejus audita ejus morte venerunt et tulerunt ejus corpus, et posuerunt in monumento. Secunda fuit capitis. Et istam fecit ista mala mulier, que presentato sibi capite a filia, timens ne propheta resurgeret, si cum corpore caput sepultum fuisset, ideo caute in pariete palatii fodit, et ibi caput posuit, et sepe caput volebat videre, timens ne resurgeret, ergo bene fuit persoluta. Unde cum semel caput Joannis in manibus teneret, et eidem gaudens plurimum insultaret dicens : He ! Joannes, vos voluistis me separare ab Herode, sed ego abstuli vobis vitam et caput a corpore. Et divino nutu caput ipsum in ejus faciem insufflavit. Et illa

Digitized by Google

misera protinus expiravit, et demones ejus animam ad infernum duxerunt. Filia vero ejus cum super glaciem tripudiaret, sub ea glacies resolvitur, et ipsa in aquis continuo submersa fuit, et modo tripudiat cum demonibus in inferno. Herodes autem in exilium missus ab imperatore ibidem miserabiliter vitam finivit. Ecce qualiter persoluti fuerunt. — Tertia sepultura fuit anime. Et ista fuit in limbo inferni. Non credatis quod anima Joannis statim ascendit in celum, quia nondum Christus per mortem et suam passionem aperuit januam celi. Sed descendit ad limbum cum sanctis patribus, qui limbus est in corde terre, ibi enim inferius est infernus damnatorum. Deinde limbus puerorum. Tertio locus purgandorum. Quarto superius erat locus patrum sanctorum. Modo contemplamini hic, quando sancti patres viderunt animam Joannis, dixerunt : Et quis es tu ? Et ille : Et non cognoscitis vos illum de quo dixit Esaias : Vox clamantis in deserto ? Et gavisi sunt sancti patres. Et narravit eis quomodo Christum baptizavit, et mundo ostendit, etc. De ista sepultura David dixit : « Quis est homo qui vivet et non videbit mortem ? » quasi diceret : nullus. (Psal. 88.)

Moraliter habemus hic doctrinam magne consolationis. Beatus Joannes cum tanta sanctitate et vite asperitate descendit ad infernum, et modo si creatura moritur post baptismum antequam peccet statim evolat ad celum. Idem est judicium de quocunque alio infideli, non ficte veniente ad baptismum. Ecce modo qualem gratiam habemus. Idem si facimus condignam penitentiam de peccatis. Ideo Christus : « Penitentiam agite, appropinquavit enim regnum celorum. » (Mat. 4.)

Digitized by Google

In Festo Nativitatis Virginis Marie

(Recueil imprimé)

Ego quasi vitis fructificavi.
(Verbum istud habetur textualiter Eccl. 24, et officiatur in epistola hodierna.)

Pro declaratione verbi propositi, et introductione materie predicande, sciendum quod Christus inter alias bonas comparationes et proprias quas dedit de se suis sanctis apostolis et discipulis fuit ista : « Ego sum vitis et vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere », sc. meritorie. (Joan. 15.) Ecce quare Christus in ista autoritate vocat se vitem, et discipulos, et in persona eorum omnes nos vocat palmites. Et ponit duas rationes : Unam affirmativam, aliam negativam. Affirmativa est quia sicut palmes manens in vite ab ea recipiens humorem fructificat, alias non, ita Christus est vitis et radix sive rabaca omnium bonorum, et virtutum, et influentiarum. Qui ergo manet in hac vite, sc., per veram fidem absque errore, dubitatione, et falsa credentia, et per devotam et promptam obedientiam faciendi suam voluntatem, et servandi sua precepta talis recipit ab eo humiditatem gratie, et fecit eum abundare et fructificare. Primum in intellectu fructum contemplationis. In memoria fructu bone recordationis. In voluntate fructu amoris et dilectionis. In ore fructu orationis. In oculis fructu lachrymationis. In auribus fructu divinorum auditionis. In manibus fructu eleemosynarum largitionis. In toto corpore fructu afflictionis. Ecce ratio affirmativa qualiter quandiu palmes manet in vite per credentiam et obedientiam fructificat. Ideo dicit : « Ego sum vitis, et vos palmites, qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. »

Secunda ratio est negativa, quam tangit cum dicit : Quia sine me nihil potestis facere, quia palmes a vite scissus nullum facit fructum, nihil valet nisi ad comburendum in igne. Sic Christianus a vite, id est a Christo scissus gladio peccati mortalis, quia dubitat in fide, si est sic. Et nunquid debet quis dubitare in his que Deus dixit ? — Absit : Adhuc si habeat fidem firmam et tenet malam vitam, tamen scissus est, et nullum facit fructum meritorium, quia sine me, id est gratia et influentia nihil potestis facere. Ideo dicit ibidem : « Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. » Ex his rationibus patet quod Dominus Jesus Christus de se

Digitized by Google

proprie dicit : Ego sum vitis, etc. Ecce excellentia Christi. Virgo autem Maria non habet equalem excellentiam cum Christo, quia ipse est creator, et ipsa creatura, et ideo ipsa non equiparat se Christo, sed temperando verbum sibi assimilando dicit : Ego quasi vitis, nolo enim equiparati vel equari, sed assimilari, fructificavi. Filius fructificat ut principium primum, et tanquam causa principalis omnium, ego post eum non equaliter ut vitis, sed sicut, quod notat similitudinem. Patet thema. — De ista materia inveni quatuor fructus in quibus virgo Maria fructificavit quasi vitis :

Primus est de prenunciatione angelicali ;
Secundus de sanctificatione spirituali ;
Tertius de presentatione corporali seu temporali ;
Quartus de magnificentia virtuali.

In his ergo Maria virgo fructificavit quasi vitis, propter quod dicit : Ego quasi vitis fructificavi.

Dico primo, etc. Primo Christus fructificavit in fructu de prenunciatione angelicali, quia antequam fuisset conceptus, fuit angelice prenunciatus. Jam scitis qualiter angelus Gabriel totus lucidus nunciavit virgini Marie quod esset mater filii Dei. Ideo dicit evangelista Lucas : « Missus est angelus Gabriel a Deo », etc. (Luce 1.) Ecce prenunciatio angelica, dulcis fructus est contemplandi. Similiter virgo Maria quasi vitis, non equaliter ut vitis fructificavit. Antequam fuit concepta fuit prenunciata. Ille magnus doctor Hieronymus affirmat quod Joachim pater virginis Marie, et beata Anna ejus mater viginti annis fuerunt in matrimonio, quod non habuerunt matrimonii fructum. Sed qui fecerunt? non recurrerunt ad divinos vel sortilegos, sed ad Deum, quia nullus potest dare nisi Deus. Ideo cum devotione, orationibus, jejuniis, et eleemosynis, vigiliis, et peregrinationibus recurrerunt ad Deum, voventes quod si Deus daret eis fructum, etc., quod darent Deo. Et cum semel Joachim fleret ex una parte, et Anna ex alia, apparuit eis angelus Gabriel, confortans eos, dicens quod orationes et alia bona erant Deo accepta, et quod haberent unam filiam, non filium sed filiam, que esset sancta antequam nata, que conciperetur mirabiliter, quia Deus supernaturaliter juvit opus matrimonii in sua generatione, et Anna concepit. Ecce qualiter fuit ab angelo pronunciata, ut Christus. Ideo dicit : « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. » (Eccl. 14.) Flores vocat verba que dixit angelus parentibus suis. Fructus honoris fuit virgo Maria. Et honestatis, quia non legitur quod unquam Joachim cognoverit aliam nisi uxorem suam. Ista est honestas matrimonii.

Nota contra illos qui frangunt honestatem et legem matrimonii. Ecce quot peccata concurrunt. Primum est luxurie abominabilitas, quia

Digitized by Google

Deus non vult quod illud opus fiat nisi inter virum et uxorem in matrimonio. Etiam si homo haberet mori, et diceret medicus quod faceret illud, alias mortuus est, et citius debet mori, nisi habeat uxorem, et medicus est excommunicatus dando consilium tali qui non est de matrimonio. Ita est condemnatum hoc peccatum quod nullo modo est licitum illud nisi in statu matrimonii. Ideo dicit : Honestatis. Et concordat apostolus dicens : Honorabile connubium in omnibus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. » (Hebr. ult.) — Secundum est de rapina, de furto, et injustitia, quia si ego do tibi cappam meam, et postquam tu eam possedisti, aufero eam tibi, et do alteri, rapinam facio. Rapina major est, quando homo qui dedit corpus suum uxori, deinde ipse dat alteri, furtum et injustitiam facit, quia corpus viri uxoris est, et econverso. Ideo apostolus : « Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir », etc. (1 ad Cor. 7.) — Tertium peccatum est majus, sc. proditionis, quia si unus miles dat fidem alteri militi, quod erunt socii in prelio, si frangit sibi fidem corporis, potest ipsum redarguere de fide sive proditione, et dare sibi campum duelli. Ita in matrimonio vir dat fidem corporis uxori, et econverso. Ideo qui frangit fidem, proditor est. Et si uxor esset fortis, posset assignare viro proditori campum coram ipso rege. Sed quia sunt debiles, recurrunt ad Deum, ad linguam, et ad oculos plorando. De talibus dicit apostolus : « Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.» (1 ad Tim. 5.) Nullus est magis domesticus quam uxor. — Quartum peccatum et majus est sacrilegium. Scitis quare Deus ordinavit matrimonium, quod est unum de septem Ecclesie sacramentis, ad signandum quod Christus duxit ecclesiam in sponsam suam, quam nunquam dimittet propter aliam, cui est fidelis. Quando ergo frangis matrimonium, tu es falsator sacramenti. Et sicut sacerdos esset falsator sacramenti, si quando debet elevare hostiam consecratam, elevaret hostiam papiri : sic tu. Sacramentum hoc magnum est. « Ego autem dico in Christo, et in ecclesia.» (Ephe. 5.)

Secundus fructus Christi fuit sanctificatio spiritualis. Nam in conceptione Domini Jesu Christi simul in instanti concurrerunt quatuor, sc. corporis formatio, anime creatio, utriusque sanctificatio, passive quantum ad humanitatem, quia ut fons totius sanctificationis in summa sanctificatione creata est super omnem puram creaturam ; quarto humanitatis et divinitatis unio. De hoc dixit angelus virgini Marie : « Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. » (Luc. 1.) Similiter virgo fecit fructum sanctificationis, non dico equaliter, nec ipsa dicit, sed dicit : Ego quasi vitis, sc. quia non in instanti ejus corpus fuit formatum, etc., sed quando ejus corpus fuit formatum, et anima creata et infusa, quia ista dicitur conceptio germinis, que est perfecta, quia con-

Digitized by Google

ceptio seminis imperfecta est, non expectavit Deus novem menses, nec unum, nec etiam hebdomadam unam, imo creditur quod eadem die et hora fuit sanctificata super omnes sanctos, et sanctas, et etiam angelos. Autoritas de hoc David in psal. 45 : « Fluminis impetus letificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum altissimus », etc. In quo Psalmo quatuor ponuntur de ejus sanctificatione :

Primo quantitas ;
Secundo dignitas ;
Tertio firmitas ;
Quarto primitas.

Primo ostenditur quantitas sanctitatis virginis Marie cum dicitur: Fluminis impetus, quia totum flumen divinarum gratiarum effusum est super eam in sanctificatione. In sanctificatione aliorum sanctorum infunditur una gutta gratie divine, quia unus sanctus habuit unam guttam gratie, alius aliam, etc. Quod in virgine Maria fluminis impetus, Ber. : « Ceteris per partes datur gratie spiritus, Marie vero totam se infundit plenitudo gratiarum, propter quod dicit : Letificat civitatem Dei. » Quando virgo fuit sanctificata, nullus homo scivit, sed angeli sciverunt. O quale gaudium fecerunt ! Ratio, quia dixit Christus quod gaudium est angelis Dei in celo super uno peccatore penitentiam agente : ergo quanto magis super virgine Maria que nunquam peccavit ? Ecce quare dicit : Fluminis impetus letificat civitatem Dei.

Secundo declaratur sua dignitas, cum dicit : Sanctificavit tabernaculum suum altissimus. Si camere militum sunt optime ornate, dignum est quod camera regis sit magis ornata. Ideo dignum fuit ut tabernaculum suum, sc. camera, in qua filius Dei debuerat novem mensibus habitare, fuisset super omnes sanctificata. Ber. : « Ego puto quod copiosior sanctificationis benedictio quam in aliis sanctis in utero sanctificatis in eam descenderit, que non solum ipsius ortum, sed et vitam ejus ab omni peccato deinceps immunem conservaret. »

Tertio declaratur sua firmitas cum dicitur : Deus in medio ejus non commovebitur, qui sc. habitat in ea per gratiam. Differentia est inter cadere et commoveri. Cadit homo per peccatum mortale. Ideo apostolus : « Qui se existimat stare, sc. in gratia Dei, videat ne cadat. » (1 ad Cor. 10.) Et commovetur quis per peccatum veniale. Nunquam fuit aliquis sanctus nec sancta quin ceciderit, vel commotus fuerit nisi Christus et virgo Maria, quia Christus jam in hac vita habuit privilegium sanctorum qui sunt in celo, qui non possunt cadere nec commoveri. Psal. 124 : « Non commovebitur in eternum qui habitat in Hierusalem. » Sic virgo Maria, quia nunquam peccavit mortaliter nec venialiter, nec corde cogitando, etc., ipsa fuit illa mulier fortis de qua Salomon quesivit a suis doctoribus dicens : « Mulierem fortem quis inveniet ? »

Digitized by Google

(Prov. ult.) Nullus doctorum scivit respondere, et Spiritus Sanctus sibi respondit dicens : « Procul, et de ultimis finibus », quia in ultima etate debuit esse. — Nota quod ista questio : Mulierem fortem, etc., incipit per Aleph, quod interpretatur mille, quia tot anni fluxerunt a Salomone usque ad virginem Mariam.

Quarto declaratur primitia cum dicitur : Adjuvabit eam Deus mane diluculo. Et loquitur de sanctificatione virginis Marie. Invenio sex horas in quibus sanctificavit creaturas aliquas, sc. hora completorii, hora vesperarum, tertia hora meridiei, quarta hora tertiarum, quinta hora prime, sexta in aurora. Hora completorii ut scitis est in solis occasu. Ista hora significantur etiam illi qui vixerunt in peccatis et malis, plorant et petunt misericordiam, et Deus dat eis contritionem, tales sanctificantur per contritionem cordialem. Sed in tota sacra scriptura non legitur quod aliquis fuerit sic sanctificatus nisi de uno, sc. de latrone, de quo Leo papa dicit quod non legitur quod unquam fecerit aliquod bonum, semper fuit malus et vitiosus. Et hora completorii quando fuit judicatus ad mortem, habuit tantam contritionem de peccatis, quod vix potuit formare verba dicens : « Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Cui Christus : Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. » (Luc. 23.) Nullus sit ita stultus quod dicat quia Deus ita miserebitur mihi sicut latroni, quia majus miraculum esset quod male viventes facerent bonum finem, quam suscitare mortuos. De ista sanctificatione dicit Hierem. : « Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis. » (Hierem. 12.) Alii sanctificantur hora vesperarum, ut illi qui non expectant finem, sed ante redeunt ad Deum, confitentur, faciunt afflictiones. Tales sanctificantur per penitentiam sacramentalem. Talibus dicit apostolus postquam fecerunt penitentiam : Nunc liberati a peccatis, sc. per penitentiam, « servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem ». (Rom. 6.) Alii sanctificantur in meridie, quando fervet calor, sicut martyres qui fervore spiritus occidebantur pro honore Christi. Isti sanctificabantur per passionem martyrialem. De quibus dicit scriptura : Preparavit Dominus hostiam, sc. corpus suum, seu martyres, ex fervore spiritus sanctificavit vocatos suos. » (Sopho. 1.) Alii sanctificantur hora tertia, ut infantes per ablutionem baptismalem. De ista dicit apostolus : « Peccatores autem aliquando fuistis, sed abluti estis », etc. (1 ad Corinth. 6.) Alii hora prima in ortu solis fuerunt sanctificati qui in utero matris antequam nescerentur effecti sunt sancti, ut Hierem. et Joannes Baptista. De Hieremia : « Antequam exires de vulva sanctificavi te. » (Hierem. 1.) Ista autoritas non cogit ad credendum, nisi quod quando debuit nasci fuit a Deo sanctificatus. Item de beato Joanne Baptista Luc. 1 : « Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue. » Sed

Digitized by Google

virgo Maria in aurora fuit sanctificata, non expectavit Deus novem menses, nec unum, etc., sed in eodem die, et eadem hora. Ecce quare dicit : Adjuvabit eam Deus mane diliculo, non hora completorii, nec vesperarum, etc., sed mane in aurora. Ecce ejus fructus sanctificationis. Ideo possumus dicere in laudem Christi et virginis gloriose illud David : « Dominus dabit benignitatem, sc. in incarnatione, et terra nostra, sc. virgo Maria dabit fructum suum. » (Psal. 84.)

Tertius fructus Christi fuit de presentatione temporali. Nam post sui nativitatem fuit presentatus in templo Domini. Luc. 2 : « Tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino. » Similiter et beata virgo, non dico equaliter, sed post nativitatem ex utero matris, et post oblationem suam fuit devotissime in templo Domini presentata. Nota, historiam breviter speculando de ascensu virginis per xv gradus in templum Dei, nam illa ascensio fuit ministerio angelorum facta eam ducentium. Cum dicit Gregorius : « In hoc mundo visibili nihil nisi per creaturam invisibilem disponitur. » Quod potest intelligi et declarari ad modum sponsarum in die nuptiarum, que usque ad ecclesiam ducuntur per parentes earum, et ex tunc assumuntur a consanguineis sponsi. Iste ascensus xv graduum signabat aliquod mysterium futurum, et maxime de beata virgine, et tangit Hiero., sc. quod supra novem ordines angelorum, et archangelorum, etc. Ideo cantatur : « Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad celestia regna », et supra sex gradus sanctorum, sc. virginum, confessorum, martyrum, apostolorum, prophetarum, et patriarcharum erat sublimanda. « Multe filie congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. » (Prov. ult.)

Moraliter notatur hic super hoc quod parentes virginis diligentes fuerunt ad complendum et faciendum votum, contra voventes et non complentes, quia licet dicant doctores quod majus meritum est quando mediante voto homo servat castitatem, paupertatem, et obedientiam, quam sine voto ceteris paribus, sed est tantum periculum et peccatum fractio voti, quia majus peccatum est quam homicidium. Dicunt theologi quod majus peccatum est falsum juramentum quam homicidium. Et beatus Thomas dicit quod majus peccatum est fractio voti. Nota contra clericos ignorantes dicentes quod peccatum luxurie non est majus peccatum. Verum est in laicis, sed sufficit ad damnationem. In clericis autem et religiosis est de majoribus propter votum. Caveatis ergo a votis nisi compleatis. Dicit enim scriptura : « Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. » (Eccl. 5.) Nota ne moreris reddere. Si facis votum intra certum tempus complendum, debes illud complere intra illud tempus, alias plus peccas quam si occideres hominem. Si autem non statuisti certum tempus, debes complere statim habita oportunitate. Ideo dicit : Ne moreris. Nota contra illos qui nunquam inveniunt tempus oportu-

Digitized by Google

num, et quando sunt senes, petunt dispensationem. Displicet enim ei infidelis et stulta promissio que non completur. Stulta promissio est ei quando fit sine deliberatione. Primo ex devotione aliqui subito faciunt votum. Secundo ex indignatione, quando eis fit displicentia aliqua, subito faciunt votum, vel non intrandi domum istius, vel non ludendi cum eo, et hujusmodi contrarietatum, et vovendo frangunt votum quod non debet servari. Tertio ex tribulatione, sc. doloris et infirmitatis, vel in partu mulierum et post nihil faciunt, quasi velint Deum decipere. Item nota contra illos qui promittunt filios ad servitium Dei in religione, vel sacerdotio, et post nihil faciunt, nec curant, expectantes filium gibbosum, vel filiam ut illam dent, etc. Ecce quare dicit: Si quid vovisti, etc.

Quartus fructus Christi est, vel fuit de magnificatione virtuali vel spirituali: quousque Christus fuit xxx annorum, ita vixit quod non reputabatur magnus, imo reputabatur faber lignarius. Sed in baptismo fuit magnificatus, quando Joannes ipsum baptizavit, celi aperti sunt super eum, et descendit Spiritus Sanctus in specie columbe super eum, et vox patris intonuit: « Hic est filius meus dilectus. » (Mat. 3.) Tunc apud homines fuit ita magnificatus, intantum quod fugit in desertum. Similiter virgo Maria, non equaliter. Et ecce quomodo. Ex quo virgo Maria fuit presentata in templo, in quo stetit decem annis cum aliis virginibus, quasi essent moniales, ita faciebant antiquitus. Nota contra consuetudinem de puellis non venientibus ad ecclesiam. Nota de historia, et de desponsatione, et qualiter Spiritus Sanctus descendit in specie columbe super virgam sponsi sui Joseph, quemadmodum super Christum in baptismo, et sic virgo fuit valde magnificata. De isto fructu dicit Salomon in persona virginis: « Sub umbra illius quem desideraveram sedi, sc. ut sit mihi in patrem et sponsum, et fructus ejus dulcis gutturi meo. » (Cant. 2.)

Moraliter nota hic super hoc quod virgo fuit desponsata per verba de presenti. Quando enim fit per verba de presenti, verum matrimonium est, etiam si non sequatur copula carnalis, nec possunt separari nisi per ingressum religionis, si non fuit secuta copula, sive publice sive clandestine contraxerunt. Si clandestine, excommunicati sunt, nec possunt separari. Ideo si clandestine contrahunt, et post propter timorem parentum vel odium ipsa ducit alium, ipsa est putana. Et primus qui est vir, etiam si ipse contrahit cum alia, leno est. O quomodo sunt multi qui credunt habere uxorem, et non habent! Item sunt alia multa impedimenta. Vos non creditis aliquid facere in baptismo vel confirmatione, quia omnes vultis esse compatres et commatres, et est ita, quod si estis patrinus de aliquo vel aliqua, etiam uxor legitima est patrina ejus, et econverso, etiam si non sit presens, et nunquam aliquis filius vester

Digitized by Google

potest contrahere cum illa, licet papa possit dispensare. Item si clericus qui baptizat habet filios, non possunt contrahere cum illis quos ipse baptizavit. Et quot sunt in hoc casu. Item si contraxistis cum aliqua consanguinea infra quartum gradum, non est matrimonium. Item dicendum, antequam habuissetis istam uxorem, peccastis primo cum matre ejus, ista ergo non est uxor vestra. Nec papa posset dispensare, nisi in aliquibus gradibus, non tamen in omnibus, quia non cum sorore vel uxore fratris, quia est contra legem divinam. Nullus potest habere matrem et filiam. Idem si peccastis cum sorore sua, et econverso, si uxor peccavit cum patre viri, etc. Si sint in tertio vel in quarto gradu papa potest dispensare. Ideo est optima consuetudo, quando debent desponsari quod sacerdos proclamet : Si est aliquis qui sciat impedimentum quod revelet, et si aliquis sciat impedimentum secrete, id revelet sacerdoti. Et modo in multis locis non faciunt istas proclamationes, et male. Item sunt aliqui qui postquam contraxerunt, et disconveniunt, procurant sibi separationem cum falsis testibus, etc. Non possunt separari, nec papa, nec etiam Petrus apostolus posset dispensare, nullo modo possunt separari nisi per ingressum religionis ante copulam. Ideo apostolus : « His qui in matrimonio sunt, precipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, et vir uxorem non dimittat. » (1 ad Cor. 7.) Et sicut Joachim et Anna vitam eternam promerebimini. Quod vobis prestare dignetur Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

De Nativitate Virginis

(Canevas autographe)

Memoria mea in generatione seculorum.
(Eccl. 24.)

Intellectus thematis : quod in prima seculi productione fuit memoriter figurata beata virgo. Ratio : ut principium recreationis medie corresponderet principio creationis ipsius. — Nota ergo totam festivitatem presentem. Gen. 1 : « In principio creavit Deus celum et terram... Dies unus. » Nam cum dicitur :

Primo : « In principio creavit Deus celum et terram », ecce Joachim et Anne memorialis conjunctio.

Secundo : « Terra autem erat inanis et vacua », ecce beate Anne sterilitas et infecundatio.

Tertio : « Et tenebre erant super faciem abyssi », ecce super tristitiam sterilitatis in templo eorum confusio.

Digitized by Google

Quarto : « Et Spiritus Dei ferebatur super aquas », ecce ipsis lacrimantibus missa angelica nuntiatio.

Quinto : « Dixit que Deus : fiiat lux », ecce ipsius virginis sine peccatis parentum devota conceptio.

Sexto : « Et facta est lux », ecce ipsius virginis concepta purissima et festina sanctificatio.

Septimo : « Et vidit Deus lucem quod esset bona », ecce ipsius sancte in nativitate visibilis hodie apparitio.

Octavo : « Et divisit lucem a tenebris », ecce virginis a mundanis separate in templo dedicatio.

Nono : « Appellavitque lucem diem et tenebras noctem », ecce ejus, ad socias volentes contrahere [*sic*], diversificatio.

Decimo : « Factumque est vespere et mane dies unus », ecce Joseph senis et puelle virginis desponsatio.

De Nativitate beate Marie Virginis

(Recueil imprimé)

Memoria mea in generatione seculorum.
(Eccl. 24, et recitata est statim in epistola hodierna.)

Secundum quod scitis hodie est festum et solennitas benedicte nativitatis virginis Marie quando nata fuit de utero matris sue benedicte Anne. Si placet Deo, habebimus bonas doctrinas scientiales, et instructiones morales, sed ut verba sint ad honorem Dei, salutetur virgo Maria.

Istud verbum dicitur in persona virginis : Memoria sc. mee nativitatis. Sciendum est quod in summa generaliter sunt duo secula. Primum est creaturarum spiritualium et incorruptibilium. Secundum creaturarum corporalium et corruptibilium. Primum est celum empyreale. De quo Strabo ait super Gen. 1 : « Celum empyreum mox ut creatum est, angelis est repletum. » Secundum est terra, de quo jam vulgariter dicitur hoc seculum, quia licet terra sit permanens, tamen creature corporales sunt corruptibiles. Ideo Salomon ait : « Generatio preterit, et generatio advenit, terra autem in eternum stat. » (Eccl. 1.) Dico quod creatio istorum duorum seculorum potest dici generatio. Ratio, quia generatio alicujus creature est ejus principium. Ideo Philosophus diffiniens generationem dixit : Generatio est progressio de non esse ad esse. » Et quia ista duo secula, sc. celum et terra habuerunt principium per creationem, quia ante creationem celi et terre nulla erat creatura, nisi solus Deus trinitas ipsa. Si dicatur ab aliquo simplici : Et Deus tunc ubi habitabat ?

Digitized by Google

Dicatur quod in camera sue eternitatis. Autoritas : Dominus excelsus et sublimis inhabitans eternitatem » (Esa. 57), sed creavit celum et terram pro nobis. Et quia tunc habuerunt principium essendi, ideo potest dici generatio. Et concordat Moyses dicens : « Iste sunt generationes celi et terre, quando create sunt. » (Gen. 2.) Dicit ergo virgo Maria : Memoria mea in generatione, sc. celi et terre figurata fuit, et declarata, et demonstrata. Patet thema.

« Memoria mea in generatione seculorum ». Ex quo virgo Maria remittit nos ad regenerationem seculorum, videamus quid dicit de hoc scriptura. Dicit enim : « In principio creavit Deus celum et terram... Et mane dies unus. » (Gen. 1.) Hic sunt decem clausule, continentes totam festivitatem hodiernam, propter quod dixit virgo Maria : Memoria mea in generatione seculorum.

Prima clausula est cum dicit : In principio creavit Deus celum et terram simul. Ista simultas creationis celi et terre figurabat simultatem conjunctionis matrimonii Joachim et Anne. Joachim dicitur celum. Ratio, quia tota vita sua fuit celestis, licet esset nobilis, et poterat dicere : « Nostra conversatio in celis est. » (Phil. 3.) Anna dicitur terra, quia fructifera secundum influentiam quam recepit a celo, et potest exponi de ea illud psal. 84 : « Benedixisti Domine terram tuam », quia primo erat sterilis. Et sequitur : « Dominus dabit benignitatem, et terra nostra, sc. beata Anna, nostra propter utilitatem quam ex ea habuimus, dabit fructum suum », sc. virginem Mariam. Patet ergo quomodo memoria virginis quantum ad parentum conjunctionem expressatur et figuratur cum dicitur : In principio creavit Deus celum et terram. — Si dicatur ab aliquo : Frater, contra, quia non videtur bona expositio quod Joachim dicatur celum, et Anna sanctior Joachim dicatur terra. Ideo ecclesia festivat de ea, et non de eo. — Ratio hujus sanctitatis fuit, quia Anna habuit majorem participationem cum virgine Maria quam pater, et patres propter negotium temporale parum curant de pueris parvis, sed matres. Est ergo notandum quod sicut ramus violarum vel rosarum plus redolet in illo qui eum diu portat, quam in eo qui solum tangit, sic est in proposito, quia facit pater in generatione filii ac si daret ramum violarum matri, et recedit, sed mater portat in utero, et post nativitatem lactat, et tenet in brachiis, osculatur, etc. Ideo Joachim parum fecit. Et tamen Anna terra dicitur, et Joachim celum. Ratio, quia mulier quantumcunque sit sancta et virtuosa, debet esse subdita, et vir debet esse Dominus, et major in domo. Quia sicut terra non est nisi punctus respectu celi a quo recipit influentiam, quia alias terra non fructificaret, ita uxor respectu viri a quo regitur, etc. Quia ergo Joachim erat vir beate Anne, ideo habebat majoritatem, et primitatem, et influentiam in domo, quia ad nutum virorum debent esse

Digitized by Google

uxores. « Cuncte uxores tam majorum quam minornm deferant maritis suis honorem. » (Hester. 1.) Lex fuit Assueri imperatoris. Propter hoc Joachim dicitur celum, et Anna terra.

Moraliter instruuntur hic mulieres, nec intret in caput earum ut velint habere dominium dicendo : Ego ero domina domus, pro certo gallina cantabit, etc., quia natura, et leges divinales, et pontificales, et imperiales, dant viro quod si Dominus. Ideo avisetis vos. Et si in prima hebbomada quando estis nove vir dissimulat aliqua, post non sustinebit, imo cum baculo vadet per domum, quia vir debet esse celum dominando, et uxor terra subjiciendo. Ideo dicit scriptura : « Mulieres viris suis subdite sint, sicut Christus caput est ecclesie. » Sed sicut ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus, sc. licitis et honestis : « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea ut eam sanctificaret. » (Ephesios 5.) Ecce quare dicit virgo Maria : « Memoria mea », etc.

Secunda clausula est cum dicitur : Terra autem erat inanis et vacua. Hic ostenditur conditio beate Anne, quia licet esset in statu matrimonii cum nobili viro Joachim, tamen erat sterilis, et infecunda, quia ita erat frigide complexionis, quod naturaliter non poterat concipere. Ideo dicitur quod erat inanis, non de inanitate et vacuitate pomposa, sed quia non attingebat finem matrimonii, etc., qui est habere liberos. Ideo dicitur inanis et vacua, sc. in utero propter infecunditatem. Et dicit beatus Hieronymus quod Joachim nobilis de civitate Nazareth contraxit cum Anna nobili de genere David de civitate Bethleem, et xx annis fuerunt sine liberis, quia terra erat inanis et vacua. Sed ecce modum quem tenuerunt, quinque medicinas receperunt, ut Deus daret eis prolem. Si vos de matrimonio vultis filios, faciatis idem. Primo enim faciebant magnas eleemosynas, nam de pane, vino, de fructibus, et omnibus aliis faciebant tres partes. Primam dabant Deo, et servitoribus suis in templo. Modo ad hoc venit mundus, quod nolunt nunc decimam dare. Secundam dabant peregrinis et pauperibus. Tertiam retinebant pro se et familia domus sue. Secundo, quia faciebant orationes devotas, et cum lachrymis dicebant : O Domine ! ex quo placuit vobis quod simus in matrimonio, detis nobis prolem, quia aliter modicum valet, quia avibus et animalibus datis filios, ideo, etc. Tertio peregrinati sunt de Nazareth usque Hierusalem sepe, et frequenter discalciati. Quarto portabant offertoria, et presentabant ea in templo. Quinto fecerunt votum dandi ad servitium Dei prolem si Deus daret eis. Et sic viginti annis terra erat inanis et vacua. Et concordat scriptura dicens : « Aspexi terram, et ecce vacua erat. » (Hier. 4.)

Tertia clausula est : Et tenebre erant super faciem abyssi, sc. in principio antequam Deus creavit lucem. Abyssus dicitur profunditas, in

Digitized by Google

qua non videtur claritas solis neque lune. Ita corda hominum dicuntur abyssus, quia non possunt sciri seu videri nisi a Deo. Cor hominis inscrutabile est, quis cognoscet illud ? « Ego Dominus scrutans corda. » (Hier. 17.) Abyssus ergo erat cor Joachim et Anne ex tristitia, quia non habebant proles, sed ut persone humiles abscondebant tristitiam in corde. Sed tenebre venerunt super faciem abyssi, quando Joachim recepit tam magnam verecundiam in templo a sacerdote nolente recipere suam oblationem, sed repulsam habuit, et expulsus fuit de templo confusibiliter, cum tamen esset de majoribus, sed quia sterilis et infecundus juxta legem. Deut. 7 : « Non erit apud te sterilis utriusque sexus. » Dicatur quomodo beata Anna exivit templum, et ivit ad domum ut consolaretur virum suum de tanta tristitia, sed eum non invenit, quia Joachim pre verecundia ivit ad pastores, et ipse flebat ex una parte, et beata Anna ex alia, et timebat de viro suo, et tenebre erant super faciem abyssi. Moraliter hic instruuntur homines et mulieres. Homines habent hic doctrinam patientie. Si sacerdos modo expelleret nobilem de ecclesia, et excommunicaret, quid diceretis ? Certe percuterem sacerdotem dicendo : Tace, tu clerice, alias lues penas. Non sic Joachim, sed patienter recessit, servans consilium scripture : « Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum ire. » (Rom. 12.) Mulieres etiam instruuntur quando vident virum tristem, quia aliquoties ex negociis magnis tristantur, debent virum consolari, sed sunt alique uxores rabide, que augent tristitiam viris, de omnibus dantes culpam viro. Ideo avisetis vos, quia mulier data est in adjutorium viri. (Gen. 2.)

Quarta clausula est : Spiritus Domini ferebatur super aquas. Ecce hic promissio de virgine Maria ad Joachim, cum esset cum pastoribus, et fleret dicens : Domine, si ista sterilitas venit ex peccato meo, indica mihi, etc. Idem de Anna. Super istas aquas lachrymarum ferebatur spiritus Dei, id est angelus. « Qui facit angelos suos spiritus » (Ps. 103), qui venit ad Joachim, qui timuit, quia caro non potest sustinere visionem spiritus, sed timet ut agnus qui videt leonem. Dicatur quomodo revelavit sibi de filia habenda. Idem dixit Anne. In cujus signum dixit quod invenirent se ad portam auream in Hierusalem. -- Moraliter instruimur hic habere patientiam. Joachim et Anna viginti anni fuerunt sine prole, et faciebant eleemosynas, orationes, etc., et non obtinuerunt, sed quia habuerunt patientiam in verecundia sibi facta a sacerdote, statim habuerunt promissionem, et obtinuerunt habere prolem. Patet ergo quod qui vult aliquid obtinere a Deo, sive sanitatem, sive remissionem peccatorum, sive proles, plus valet patientia quam aliud. Joachim enim poterat se vindicare de sacerdote, sed noluit, ita vos debetis facere. Et quanto major est injuria remittendo, tanto facilius retinebit quod optat. Ideo apostolus ait : « Patientia vobis necessaria est, sc. ad obtinendum quod petitur, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. » (Heb. 10.)

Digitized by Google

Quinta clausula est : Dixitque Deus : Fiat lux. Ecce conceptio virginis Marie. Dicatur quomodo creditur quod Anna et vir ejus separaverunt se a thoro, quia antiqui sancti non utebantur matrimonio nisi ratione filiorum, et quando sentiebant uxorem gravidam separabant se usque post ablactationem filii, qui lactabatur tribus annis, matres nutriebant eos, et ipsemet matres volebant eos lactare, quia ideo Deus dedit ubera mulieri, non ad ostendendum hominibus, sed sicut uterus uxoris est camera filii, ita ubera sunt cellarium. Et Anna et Joachim videntes quod non poterant habere proles, credo quod separaverint se a lecto, propter quod dicitur : Fiat lux. Lux dicitur illa benedicta generatio virginis Marie, quia sine tenebra culpe facta est. Modo autem in generatione filiorum sunt multe tenebre propter intentionem carnalem et corruptam mentem parentum. Sed generatio virginis Marie ut lux. De ista luce habetur II Reg. 23 : « Sicut lux aurore, oriente sole mane, absque nubibus rutilat », sic ista conjunctio Joachim et Anne luminosa fuit.

Moraliter instruuntur hic illi de matrimonio, qui in filiis procreandis debent habere intentionem predicatoris, qui pro semine verbi Dei generat filios Deo de filiis diaboli, quia illos qui fuerunt filii diaboli per superbiam facit filios Dei per humilitatem, et ita de aliis. Talis debet esse intentio facientium matrimonium, ut generent proles Deo ad servitium, alias judicantur adulteri coram Deo, sicut de predicatore qui non curat de fructu, sed de vana gloria laudis seu familiaritatis, adulter vocatur, quia plus curat de salario quam de fructu in populo. Ideo apostolus ait II ad Cor. 2 : « Non sumus sicut plurimi. Nota : plurimi adulterantes verbum Dei, qui in predicatione non spiritualem fructum querunt, sed favorem humanum. Ergo in filiis habendis ordinetis intentionem vestram ad Deum, quia alias diabolus habet in eis potestatem. Autoritas : « Ostendam tibi qui sunt quibus potest prevalere demonium. » (Thob. 6.)

Sexta clausula est : Et facta est lux. Ecce sanctificatio virginis Marie. Non credatis quod fuerit sicut in nobis qui in peccatis concipimur, et nascimur, et nutrimur, quia si ante baptismum fuissemus mortui, damnaremur, in limbo intellige. Sed statim postquam eorpus fuit formatum, et anima creata, tunc fuit sanctificata. Ideo fit festum de ejus conceptione, quia facta est lux, sc. sanctificationis in ea. Et statim angeli in celo fecerunt festum conceptionis. Ideo David dicit : « Lux orta est justo, sc. Christus, ut sit mater ejus, et rectis corde, sc. angelis, qui non possunt inclinari ad peccatum, nec ad dexteram per prosperitatem, nec ad sinistram per adversitatem, nec ante per affectiones, nec retro per rancores. Ideo dicit : Rectis corde letitia. « Letamini justi in Domino, et confitemini memorie sanctificationis ejus. » (Psal. 96.)

Digitized by Google

Septima clausula est : Et vidit Deus lucem quod esse bona. Ecce nativitas virginis Marie. Nota vidit, id est videre fecit, quia ipse eam sciebat, et videre fecit quod esset bona. Nam bona erat angelis, quia per eam reparantur eorum cathedre, bona hominibus, quia per ipsam habent redemptionem, bona peccatoribus, quia per eam consequuntur veniam, bona justis, quia per eam consequuntur perseverantiam in bonis operibus, et augmentum gratie in meritis, et glorie introductionem, bona sanctis patribus, quia per eam adepti sunt liberationem, bona animabus de purgatorio, quia per eam habent suffragium, bona navigantibus, quia per eam perveniunt ad portum salutis, bona laborantibus in terra, quia per ipsam consequuntur requiem. Dicatur quomodo festum nativitatis virginis venit in cognitionem hominum per illum sanctum hominem, ut habetur in legenda Lombardica. De hac nativitate potest exponi allegorice illud Hester 8 : « Judeis autem nova lux oriri visa est. »

Octava clausula est : Et divisit lucem a tenebris. Et hoc quando fuit in templo presentata. Tenebre dicuntur gentes mundane ex mundanis nogotiis. « Ecce tenebre operient terram, et caligo populos. » (Esa. 60.) Ab istis tenebris Deus separavit lucem virginem Mariam. Dicatur de presentatione virginis Marie per parentes, ad templum, postquam habuit tres annos completos, votum quod fecerant exsolverunt. Stabant enim puelle in templo, ut in monasterio virgines. Dicatur quomodo ascendit quindecim gradus, adjuta ab amicis sponsi quando debet ecclesiam intrare, quasi dicendo : Ista jam est nostra. Ita fecerunt angeli de virgine Maria. Tangit hic Hieronymus quindecim gradibus quomodo virgo debebat esse tante sanctitatis quod ascenderet in celum super novem ordines angelorum, et ipsa etiam ascenderet super sex ordines sanctorum. Hoc figurabant quindecim gradus ante templum Salomonis, et fuit completa prophetia Salomonis dicentis : « Multe filie, sc. creature angelice et humane congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. » (Prov. ult.)

Moraliter : Dicatur hic contra illos qui non curant complere vota. Nam multi sunt qui in tribulatione voventur, et post non curant implere, hoc est velle Deum decipere. O quot sunt mercatores, quot marinarii, quibus ipsa virgo dat auxilium, et juvat eos in necessitatibus, et tamen non curant complere vota. Item quot sunt qui non possunt habere proles, promittunt quod dabunt ad servitium Dei si habeant, et postquam habent, non curant.

Nona clausula est : Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem. Pro isto intellectu sciendum quod antiquitus nobiles presentabant filias suas in templo, et ibi nutriebantur sub aliqua sancta muliere. Et alie domicelle respectu virginis dicebantur nox. Ratio, quia earum intentio et cor erat ad mundana. Cor autem virginis Marie ad spiritualia. Dicatur

Digitized by Google

cum virgo Maria fuisset decem annis in templo, fuit tunc etatis XIV annorum, quando sacerdos juxta morem dixit quod omnes puelle XIV annorum irent ad domos parentum ad contrahendum, etc. Omnes puelle, virgine dempta, habentes cor ad mundana, gavise sunt dicendo : O ! gratias Deo, modo ero domina domus, et potero facere hec et illa. Ecce vanitates, et propter hoc dicuntur tenebre. Virgo autem Maria ut lux clara surrexit, de qua erat jam maxima fama sanctitatis, et sepe videbat angelos, dicens se fecisse votum virginitatis, quia a parentibus ex voto dedicata fuerat pro servitio Dei, non erat vana ut cetere. Ideo dicitur : Appelavitque lucem diem, etc.

Questio moralis est hic : In isto tempore non erant monasteria monialium, nec virgo poterat amplius in templo remanere. Ubi ergo intendebat habitare servando virginitatem ? Dicatur quod in domo parentum. Et hoc modo tunc servabant, licet pauce, virginitatem. Et hoc consilium dat apostolus dicens : « De virginibus autem preceptum Domini non habeo », etc. (I ad Cor. 7.) Et non recipiebant familiaritatem cum aliquo homine masculo, et sic custodiebatur tunc plus quam modo in monasteriis ipsa virginitas. Avisentur puelle et mulieres devote cavere a nimia familiaritate, quia inclinant hominem ad malum.

Decima clausula est : Et factum est vespere et mane dies unus. Vesper dicitur finis diei. Ecce Joseph antiquus, et mane virgo Maria juvenis XIV annorum, dies unus per desponsationem. Ad practicam dicatur quomodo sacerdos respondit virgini Marie dicens : Iste modus est inconsuetus, etc. Sed virgo prudenter replicavit dicens : Pater, vos allegatis consuetudinem humanalem, et nunquid est major autoritas divinalis, dicens : « Vovete, et reddite Domino Deo », ut ait David ? Dicatur quomodo sacerdos proposuit in consilio in quo fuit conclusum ut Deus consuleretur in re tam nova. Qui ostendit de sancto sanctorum sacerdoti quod sua voluntas erat quod illa virgo haberet sponsum de genere David. Ideoque fieret preconizatio, ut omnes comportarent virgas, et ponerent ad altare. Nota in legenda Lombardica (1). Dicebant juvenes carnales : De qua virgine ? De illa Maria tam pulchra ? O benedictus erit qui illam tam pulchram et divitem unicam parentum habebit ! Dicatur quomodo quilibet eorum parabat se, etc.

Non opus est follo suspendere cymbala collo. — Joseph vero cogitavit : Licet sim de genere David, tamen quia sum senex, et quia sum pauper, et virgo juvenis et dives, etc. Hec et similia cogitando non curavit portare virgam. dicendo : Juvenes dicerent de me : O ille senex ! dicebatur quod tu esses devotus, et jam venis recipere uxorem. Dicatur quomodo nullum signum fuit ostensum. Et sacerdos iterum oravit, etc., ad quem

(1) Cette légende se trouve dans la *Légende dorée* du B. Jacques de Voragine.

Digitized by Google

Deus dixit quod ille cui debetur virgo non portavit virgam. Dicatur quomodo iterum venerunt omnes cum virgis, sed virga Joseph floruit, et fructificavit amygdalas, et Spiritus Sanctus in specie columbe descendit super eam. Dicatur quomodo virgo Maria oravit ut Deus daret sibi sponsum aliquem probum ut esset sibi in patrem, et non juvenem carnalem. Quando fuit sibi dictum quod talis senex erat suus sponsus, multum gavisa est. Sed modo si uni puelle proponitur senex, dicit : O ! quid facerem cum illo ? nolo. Sed non sic fecit virgo Maria. Ecce quomodo facta est vespere et mane dies unus. David : « Melior est dies una, sc. istius matrimonii, in atriis tuis super millia. » Et fuit completa Esa. 11 : « Egredietur virga, sc. abscissa per Joseph de radice Jesse, quia Joseph fuit de genere David, et flos de radice ejus ascendet. »

De Nativitate beate Marie Virginis

VEL DE SEPTEM GAUDIIS, ET SEPTEM TRISTITIIS

(Recueil imprimé)

Ego mater pulchre dilectionis et timoris.
(Eccl. 24.)

Ista materia credo quod erit Deo et beatissime virgini Marie gratiosa, et nobis proficuosa. Salutetur virgo Maria.

Notandum quod ista tria, sc.:

Experientia sensualis ;

Evidentia naturalis ;

Providentia divinalis

Manifeste ostendunt quod gaudia et letitie hujus mundi tristitiis et doloribus sunt admixta, et nullus potest hic habere gaudium purum. Primo hoc docet experientia sensualis. Nam in magnis festivitatibus, quando fiunt letitie, etc., dolent ministri in maxillis propter alapas, etc., presbyteri attediantur in canticis, et dolet eis caput, et guttur, etc. Alii dolent in tibiis ex tripudio. Item in magnis conviviis in nuptiis comedendo, bibendo, et ridendo, statim sequitur aliquid de aliqua re vel tristitia, etc. — Secundo hoc docet evidentia naturalis. Regula est philosophorum dicens quod omne medium participat naturam extremorum contrariorum, ut patet de illo qui est inter ignem et nivem, etc. Item vita presens est in medio duorum extremorum contrariorum, sc. paradisi et inferni. In paradiso est purum gaudium. Autoritas : « Gaudium et letitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. » (Esa. 25.) Nota

Digitized by Google

differentiam inter gaudium et letitiam. Gaudium consistit in corde, letitia quandoque non solum in corde, sed extra ostenditur, nec potest abscondi. In inferno est totum oppositum, quia ibi est dolor, ploratus, amaritudo, tristitia, et desolatio, et pura tristitia, nec gaudent de aliquo. Dicit scriptura in persona damnatorum plangentium : « Defecit gaudium cordis nostri. Ve nobis quia peccavimus. » (Thre. 5.) Nos vero sumus hic in medio, inter paradisum et infernum. Ideo participamus de utroque, quia omnia sunt hic mixta. Gaudia et leticias habemus de celo. Amaritudines et tristitias habemus de inferno, et ascendunt ut fumus. Consolationes et letitie sunt ut gutte mellis, et quasi distillatio de favo mellis Spiritus Sancti, ac si de favo in arbore posito distillarent gutte in ore. Sed quia infernus est propinquior nobis, quia est in corde terre, ideo plus abundant amaritudines et tristitie quam consolationes, etc. Propter hoc dicit Boetius : « Omnis dulcedo felicitatis humane multis amaritudinibus est respersa », id est permixta. — Hoc etiam patet ex divina providentia, quod si hic gaudia essent pura, essemus nimis dissoluti, nec timeremus Deum, etc. Si amaritudines, dolores, et tristitie essent pure, tunc in inferno veniremus in desperationem, quia persona tristis sine spe consolationis desperat, etc. Ideo providentia divina temperat gaudia cum tristitiis, et econverso, quia bonus coquinarius est, et in cibo nimis dulci ponit sal, et in cibo salso ponit mel. Quando tu es letus, et gaudes de aliquo honore, et dignitate, seu lucro, et cibus est dulcis, sed cogita : Expecta modicum, quia in brevi morieris, et ita temperabis gaudium. Ideo quando tristaris de aliqua adversitate, perditione bonorum vel amicorum, etc., non debes desperare, quia in brevi ipse ponet ibi mel vel saccarum consolationis. Ideo dicit scriptura : « Risus merore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. » (Prov. 14.) Patet ergo doctrina de experientia sensuali, evidentia naturali, et providentia divinali, quod gaudia hujus mundi sunt mixta, intantum quod ab ista doctrina virgo Maria mater Dei non fuit exempta, imo in quolibet gaudio et letitia Christus filius ejus sibi miscuit dolorem et tristitiam. Ideo dicit ipsa virgo : « Ego mater pulchre dilectionis, quantum ad gaudia, et timoris », sc. de tristitiis.

Nota pulchre dilectionis. Hoc contra dilectiones mundanas corruptas et turpes. Septem enim fuerunt gaudia principalia virginis Marie, et in qualibet Christus miscuit sibi sal tristitie. Primum gaudium quod virgo habuit fuit in die incarnationis quando facta fuit mater Dei. Vultis sentire istud gaudium ? Invenitur enim ex dictis sanctorum doctorum, quod in illo puncto virgo Maria legebat in biblia, quam intelligebat plusquam prophete in illo passu : « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, id est nobiscum Deus. » (Esa. 7.) Sic legendo virgo Maria cum maxima devotione contemplata

Digitized by Google

est dicens : O Domine ! et quanta erit sanctitas et dignitas illius virginis ? Oro, Domine, ne moriar quousque viderim illam virginem. Conserva mihi aures ut illam audiam, oculos ut videam, et sic de aliis membris, ut in his possim sibi servire. Et cum sic contemplaretur, ecce angelus Gabriel totus rutilans intravit cameram dicens : Virgo benedicta, vos estis illa. De quo virgo fuit non modicum admirata, quia ipsa non se reputabat dignam ut esset famula illius virginis. Ad quam angelus : Vos eritis mater Dei incorrupta. Quia sicut granum formatur intra tunicam avellane seu nucis, ita in utero tuo formabitur illud corpus, etc. Quando virgo sensit se gravidam, cogitate quale gaudium habuit, intantum quod si omnia gaudia et delectationes hujus mundi essent unita in una persona, non equarentur gaudio, letitie, et consolationi, et dulcedini virginis. Et sicut virgo ante consuevit orare dicens : « Ad te levavi oculos meos qui habitas in celis », et in utero meo : Ecce gaudium. Et nota ex gaudio virgo, licet non esset assueta, incepit unum canticum dicens : « Magnificat anima mea Dominum », etc.

In quo cantico sunt decem versiculi. Ratio, quia sciebat quod decem menses portaret filium Dei in utero, novem completos, et de decimo recepit septem vel octo dies. Nota et exultavit, id est extra saltavit, secundum etymologiam, sicut ille qui recipit rumores de noviter papa creato. Ecce gaudium. Sed ecce tristitia. Dicatur quomodo uterus virginis ingrossabatur. Hoc videns Joseph, non modicum admirans intra se dixit : O miser ! quid est hoc ? Dicit beatus Bernardus quod ex una parte dicebat : Impossibile est quod tam sancta creatura peccaverit. Et ex alia parte dicebat : Hoc naturaliter non potest fieri. Intantum quod cogitavit occulte dimittere eam, composuit sarcinulas, volens recedere, etc. Cogitate tristitiam virginis, non audebat revelare secretum, quia non erat ut ille muliercule, que quod somniant totum dicunt, etc. Et quando beata Anna petebat : Filia, quid est hoc ? etc. Respondebat virgo Maria : Mater, Deus scit quid est. Et mater flebat ex una parte, et Joseph ex alia. Cogita tristitiam virginis. Et flens dicebat : Domine, non audeo revelare vestrum secretum, quia nescio an placeret vobis, sed vos, Domine, reveletis sponso meo, ne dimittat me, ne sim diffamata. Ecce tristitie. Ideo dicit evangelista : « Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph », etc. (Mat. 1.) Moraliter instruimur hic, ut illud magnum gaudium diei nuptiarum temperetis timore. Cogitare debet vir intra se dicendo : O miser ! ego sum modo in tanto gaudio de ista uxore, quid scio ego an erit bona, legalis ? etc. Item uxor debet cogitare : O misera ! quid scio an ego habebo pacem cum isto, an erit zelotypus de me ? et similia. Ita faciebant antiquitus illi sancti homines. Ecce quid dicit scriptura : « Cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant. » (Thob. 9.) Non erant ibi dissolutiones, nec locutiones, etc.

Digitized by Google

Secundum gaudium de principalibus fuit in nativitate Christi. Dicatur quomodo in nocte nativitatis sicut alie mulieres in partu habent dolores et multas miserias, virgo Maria habuit multas, magnas, et inusitas consolationes, et tota resplendebat in facie. O ! dixit Joseph, vultis parere benedicta ? Ita, dixit virgo Maria. Et Joseph voluit vocare obstetricem, sed virgo prohibuit eum. Et Joseph ait : Vos estis juvenis et inexperta. Et virgo respondit : Deus providebit. Dicatur quomodo Christus exivit uterum virginalem, ut radius solis transiens per fenestram vitream, etc. Et ipsamet virgo recepit eum in manibus, et nox fuit ita clara sicut meridies. Et virgo gaudebat, quia videbat se virginem incorruptam, et habentem filium Dei. Et dicebat : O Domine, vos venistis in hunc mundum ad salvandum genus humanum, etc., et osculabatur oculos ejus, dicens : O oculi benedicti, contemplantes celestia ; et manus, et dicebat : Benedicte manus que celum et terram creaverunt. Et sic de aliis membris ejus. Et Joseph adoravit etiam eum, et voluit vocare nutricem ut daret sibi lac, sed virgo noluit, licet non haberet lac quia dicunt medici quod lac et proles precedunt de eadem radice. Et virgo oravit dicens Deo patri : Domine, qui pascitis omne animal, provideatis filio vestro. Autoritas : « Nesciens mater virgo virum, etc., lactabat ubere de celo pleno ». Quale gaudium habuit, quando audivit angelos cantantes, etc., quando vidit filium adorari a bestiis in presepio, et a pastoribus. De isto gaudio ait propheta : « Letabitur deserta et invia. » (Esa. 35.) Virgo Maria dicitur deserta propter asperitatem vite, et invia, quia nullus homo transivit per eam. Et exultabit, sc. de nativitate filii, solitudo, quia semper volebat stare solitaria. Dicit enim Amb.: « Fugiebat publicum, amans secum habitare. » Germinans in gaudiis et laudibus Dei, germinavit pariendo filium Dei. Ecce gaudium de nativitate filii.

Sed statim sequitur tristitia, nam octava die dixit Joseph : Benedicta et virgo sancta, quia cum magna reverentia, etc. Jam scitis quod hodie est octava dies nativitatis filii Dei, qui venit adimplere legem, et non solvere, ut liberet sibi credentes et obedientes, ideo hodie debet circuncidi. Et virgo que intelligebat secretum circuncisionis, quia figurabat passionem, et erat signum seu arra, quia ut mercatores dant signum, etc., ita Christus venit ad forum hujus mundi ad emendum animas precio sanguinis, etiam voluit in principio dare signum, sc. decem vel duodecim florenos, id est guttas sanguinis. Sed virgo ideo incepit flere, maxime quando Joseph recessit ab ea, et ivit ad Judeos ad rabinum. Hoc significabat quod unus discipulus recedens a Christo iret ad Judeos, ut Judas. Et hoc intelligens virgo flebat. Secundo quando Joseph venit cum multitudine Judeorum, quia sicut modo congregantur in baptismo, ita tunc in circuncisione. Hoc significabat quod veniret passionis tempore turba seu multitudo Judeorum ad capiendum filium

Digitized by Google

ejus ; et virgo Maria flebat. Tertio quando virgo presentavit eis filium, significabat quod presentaretur judicibus. Quarto de nomine Jesu tunc sibi imposito, figurabat sententiam datam irrevocabiliter de passione sua. Quinto elevatio fimbriarum, figurabat expoliationem juxta crucem. Sexto quando circuncidebatur clamavit, et hoc significabat clamorem Christi in cruce, et virgo flebat continue. Septimo in panno, in quo recipiebat sanguinem circuncisionis, virgo intellexit quod in passione sic colligeret sanguinem filii in velo suo. Octavo posuerunt unguentum in vulnere, et figurabat unguenta corporis Christi in sepulchro. Nono quando post circuncisionem posuit eum iterum in panniculis. Hoc figurabat sepulturam. Ecce *salsa* tristitie cum gaudio nativitatis. Et poterat dicere virgo : « Sponsus sanguinum tu mihi es » ob circuncisionem. (Exo. 4.) — Moraliter habetis instructionem de gaudio filiorum, quando Deus vobis dat filios. De quo gaudio dicit Christus : « Jam non meminit pressure propter gaudium », etc. (Joan. 16.) Quando obstetrix dicit : Proficiat vobis, filius est, et tota domus gaudet, debet poni *salsa* cogitando : Quid scio ego de isto filio, an erit suspensus vel combustus ? et cum magno timore debetis stare, maxime ne in furca inferni sit suspensus propter malum nutrimentum quod datis eis. Pascitis enim eos cibo corporali, et non spirituali, qui est melior. In quolibet mane et sero ostendatis filio Pater noster. Dicatur modus quomodo mater debet dicere filio de mane : Fili mi, scias quod est una regina in celo ; et ostendat se signare et orare. In sero cum timore dicat mater filio : Fili mi, modo de nocte vadunt demones, et illos qui ponunt se in lecto sine oratione, hos molestant, etc. Sed vos ostenditis eis vanitates, et vadunt cum gladio, etc. Matres ostendunt puellis quomodo debent chorizare. Et debetis esse cum magno timore, quia habetis reddere rationem Deo de filiis. Ideo ait scriptura : « Ne jocunderis in filiis impiis », etc. (Eccl. 16.)

Tertium gaudium virginis Marie fuit in die apparitionis, quando venerunt reges orientis. O quale gaudium fuit illud ! Virgo stabat cum filio, ut dicunt doctores, adhuc in illo loco ubi peperit, et subito magnus rumor fuit in civitate Bethleem. Jam potestis cogitare quod equites in adventum trium regum faciunt magnum rumorem. Et venerunt ad locum ubi erat. Et Joseph non erat cum virgine, ut dicit textus. « Invenerunt puerum cum Maria matre ejus » et non aliud, dicit glosa. Et quando virgo sensit equites, cogito ego quod ipsa abscondit filium, et posuit eum in presepio, et composuit se ad laborem. Quando virgo audivit reges mirantes de stella que stetit supra ubi erat puer, virgo gavisa est propter illam prophetiam. Num. 24 : « Orietur stella ex Jacob », etc. Reges admirantes vel admirando dicebant : Et quid est hoc ? quia stella non consuevit stare nisi hora prandii et quietis, et modo stat ; et dabat mirabiles radios. Poterant dicere reges : Non est hic palatium. Nos

Digitized by Google

regem natum perquirimus, etc. Et venerunt ad portam ubi erat virgo, et elevata modicum flacciata dixerunt virgini : Scitis vos ubi est qui natus est rex Judeorum ? etc. Et respondit virgo Domini : Hoc debent scire magni rabini. Et dum virgo loqueretur, corda regum calefiebant, respicientium se mutuo. Deinde interrogaverunt virginem an haberet filium. Et virgo respondit quod sic. Item interrogaverunt de die nativitatis. Respondit quod erant XIII dies. Item quis vocabatur ? Respondit virgo Maria : Jesus. Audito hoc nomine, procidentes adoraverunt Jesum, quem virgo eis ostendit, et adorando dicebant : O Domine, creator celi et terre, et tanta est humilitas vestra, dimittendo celum, venire in istam miseriam pro nostra salvatione ? Deinde adoraverunt matrem, et dicebant sibi : O camera filii Dei, templum sanctum Domini, regina celi, et domina mundi ! Et apertis thesauris suis obtulerunt munera. Ecce gaudium. De isto gaudio prophetavit Esa. dicens : « Tunc videbis, et afflues, quando conversa fuerit ad te multitudo maris », sc. infidelitatis, quia illi reges infideles erant, et non Judei. (Esa 60.) Sed sequitur statim salsus dolor et tristitia, quia post recessum regum, Herodes videns se delusum a regibus, cogitavit occidere omnes pueros Bethleem, etc. Propter quod angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens : « Surge, et accipe puerum », etc. (Mat. 2.) Statim Joseph ibat ad cameram virginis que orabat, juxta illud David : « Media nocte surgebam », etc. Joseph pulsavit ad januam, de quo virgo admirata cum aperuisset, vidit Joseph flentem. Et ait : Domine, de quo ploratis, cum sit gaudendum, quia habemus filium Dei nobiscum, cujus vos estis nutritor ? Et Joseph : O benedicta ! cito recedamus, quia Herodes vult interficere filium vestrum. Cogitate tristitiam virginis. Primo timore filii. Secundo ex fuga. Tertio ad Egyptum, ad terram infidelium. Dicatur quando exibant civitatem, et virgo sentiebat aliquid, videbatur sibi quod esset Herodes, et timebat summe abscondens filium in gremio. Et equitans super asinam fugit in Egyptum, ubi septem annis fuit tanquam exul, etc. Ecce quare gloriosissima virgo Maria dicit : « Ego mater pulchre dilectionis et timoris. »

Moraliter instruimur hic. Nam gaudium virginis per reges orientis venit, et etiam dolor et tristitia per regem Herodem. Hic ostenditur quod si aliquis est in amicitia seu familiaritate regis, caveat et timeat, quia tales, ut communiter, a regibus interficiuntur vel exheredantur. Ideo debent timere. Si homo equitaret in leone, licet timeretur ab aliis non ratione sui, sed ratione leonis, plus debet ipse timere, ne leo uno pede interficiat eum, etc. Ita de rege quia est leo, in quo equitat qui in eo confidit, etc. Propter hoc si habetis amorem seu favorem regis vel prelatorum, nulli displiceatis, non faciatis omnia que volueritis. Ideo dicit David in psalmo : « Nolite confidere in principibus, in filiis homi-

Digitized by Google

num in quibus non est salus. Ratio : Exibit spiritus ejus, sc. regis per mortem corporalem, et revertetur in terram suam, quantum ad corpus, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, sc. qui in rege confidebant, cogitantes multas vanitates.

Quartum gaudium virginis Marie fuit de gloriosa resurrectione filii sui, quando sibi primo apparuit, ut dicit Ambrosius in libro De Virginibus. Vultis intelligere illud gaudium ? Sciendum quod post Christi passionem, mortem et sepulturam, virgo certissima fuit de resurrectione filii sui in tertia die, quia Christus hoc predixerat, quia nisi certa fuisset pre tristitia fuisset confecta, sed nesciebat horam resurrectionis, quia non dixerat sibi Christus. Propter hoc virgo Maria in vigilia Pasche cogitans de resurrectione, et cogitans in qua hora esset, quia non legitur quod ei dixisset horam, sed diem, intra se virgo Maria ait : Sine dubio pater meus David, qui pre aliis locutus est de passione et resurrectione filii mei, ponit horam ; et sine dubio ipsa legit psalterium, et clare invenit legendo in Psalmo : « Exurge gloria mea, exurge Psalterium et cithara »; et est verbum patris ad filium. Respondit filius : « Exurgam diluculo. » (Psalm. 56.) Nota : Exurge gloria mea, pater vocat filium gloriam suam. Secundo modo vocat eum psalterium. Tertio citharam, propter tria que Christus fecit in hac vita. Primo in omnibus dictis et factis suis diligenter procurabat honorem et gloriam patris. Ideo dixit ipse : « Ego gloriam meam non quero. » (Jo. 8.) Item in fine quando dixit : Pater manifestavi nomen tuum hominibus », quia gentes nesciebant quid esset Pater, neque Filius, nec Spiritus Sanctus, sed Christus revelavit hominibus. (Jo. 17.) Ideo dicit Deus pater : Exurge gloria mea. Secundo vocat ipsum psalterium, quod est instrumentum cantoris secretum, et signat legem Moysi datam soli uni populo. Psalterium habet solum decem chordas, quia Christus fuit obediens decem preceptis. Mat. 5 : « Non veni solvere legem, sed adimplere. » Et propter obedientiam suam vocatur a patre psalterium. Tertio vocatur cithara, que habet sonum acutum, et audibilem, et signat legem novam, que per totum mundum fuit audita, juxta Christi preceptum, Marc. ult. : « Euntes in mundum universum. »

Quando virgo scivit horam resurrectionis, fuit valde leta, et respexit per fenestram utrum erat aurora, etc. Et quia nondum erat aurora, continuavit psalterium usque ad Psalm. 107, sc. : « Paratum cor meum Deus. » Et iterum invenit eundem versum : « Exurge gloria mea », etc. O ! dixit xirgo : Jam habeo duplex testimonium. Et viso quod adhuc non erat aurora, voluit videre an alii prophete dicerent aliquid de hora, et finaliter invenit in libro Ozee 6 : « Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus. » Et sequitur : « Quasi diluculum preparatus est egressus ejus. » Sufficit, dixit virgo Maria, in ore duorum

Digitized by Google

vel trium testium stat omne verbum. Dicatur quomodo paravit cathedram ubi sederet filius suus Jesus, respiciendo sepe quando appareret aurora alba. Et quando incepit claritas aurore, dixit virgo Maria: O! filius meus est resuscitatus, et flexis genibus orabat dicens: O fili mi! velitis me consolari dicens: « Exurge in occursum meum et vide. »

Cogitate quomodo in Christi resurrectione erant multi angeli dicentes Christo: « Ecce ego, Domine, mitte me », sc. ad matrem tuam. (Esa. 6.) Sed Christus misit Gabrielem, qui cum magno splendore intravit cameram, et salutavit virginem, ut fuit revelatum beato Gregorio, dicens: « Regina, celi letare, alleluia », etc. Ecclesia addit: Ora pro nobis Deum, alleluia. O quale gaudium habuit virgo Maria auditis his rumoribus! Et statim post venit Christus cum omnibus sanctis, patriarchis, et angelis, clarus et gloriosus, dicendo virgini: Pax vobis. Et virgo flexis genibus et pre gaudio lachrymando osculabatur Christi vulnera resplendentia dicendo: O vulnera benedicta, que feria sexta tantum dolorem mihi intulistis! Et Christus osculatus est eam in ore, quia nunquam aliquis filius tantum dilexit matrem suam, dicendo sibi: Mater mea sitis leta, quia decetero de me non habebitis nisi gaudium et letitiam. Et sedentes loquebantur. O si quis fuisset in illo colloquio!

Virgo petebat quomodo fuit sibi. Et Christus sibi dixit quid fecit in inferno. Et ibi secum habuit quos liberavit de inferno omnes sanctos, etc. qui omnes fecerunt sibi reverentiam. Cogitate quando Adam et Eva viderunt eam dixerunt: O Domina! vos estis illa filia nostra, de qua dixit Dominus: « Inimicitias ponam inter te et mulierem. » (Gen. 3.) Dixit Eva: Ego clausi ostium paradisi, sed vos, Domina, aperuistis. Dicebant prophete quilibet seorsum: Benedicta virgo, prophetavi de vobis; et salutando eam dixerunt: « Tu gloria Hierusalem, tu letitia Israel, tu honorificentia populi nostri. » (Judith. 15.) Et virgo humiliter resalutans eos dixit: « Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. » (1 Petr. 1.) — Deinde angeli salutando eam dixerunt: Regina celi letare, ut supra. Et virgo: « Vos estis administratorii spiritus », etc. (Hebr. 1.) — Si dicatur quomodo sancti et angeli poterant ibi recipi in illa camera, dicatur eorum conditio, quia non circunscribuntur loco. Tunc dixit virgo filio: Usque modo, fili mi, servavi sabbatum, sed modo colam diem Dominicam in memoriam vestre resurrectionis. Dixit Christus: Ita mater, bene placet mihi, et ista est intentio mea quod decetero a Christianis servetur Dominica, et non sabbatum. Dicatur contra apothecarios, barbitonsores, fabros, et alios non servantes dominicam diem. Ecce gaudium virginis. Et poterat dicere virgo: « Gaudens gaudebo in Domino », etc. (Es. 61.)

Sed statim sequitur sal tristitie et doloris. Postquam recesserat ab ea, ut duceret sanctos patres ad paradisum terrestrem, cogitate quo-

Digitized by Google

modo virgo ex charitate voluit convertere apostolos, qui perdiderant fidem, et vocavit eos dicens eis quomodo filius suus apparebat sibi, etc., et nihil credebant, sed nolebant sibi in faciem contradicere, quia habebant eam in magna reverentia, sed dicebant sibi : Bene, domina. Et specialiter beatus Thomas dicens retro : Bene dicit pro filio suo. Quando virgo videbat eos ita duros et incredulos, tristabatur compatiendo eis, et rogabat filium suum ut eis appareret, ne damnarentur. Ideo Marc. ult.: « Recumbentibus undecim discipulis », etc. — Moraliter nos instruimur hic, quia virgo licet leta esset de Christi resurrectione, tristabatur tamen de apostolorum dubitatione. Ita de nobis. Si aliquis vestrum est letus, quia credit se bene esse cum Deo, non de hoc debet esse totaliter letus, et tunc poterit dicere : Neque iniquitas mea neque peccatum meum, etc. Salvatio proximi non est despicienda, sed quilibet debet laborare pro salvatione alterius. (Gal. 6.)

Quintum gaudium fuit in die ascensionis, quando filius ejus in celum ascendit. Sed ut intelligatis istud gaudium, sciendum quod a Christi resurrectione usque ad ejus ascensionem transiverunt XL dies, in quibus Christus sepe apparuit virgini et apostolis, sed in die ascensionis bis apparuit apostolis. Primo dum comederent, dicens eis : Vadatis ad matrem meam, et vos simul veniatis ad montem Oliveti, quia hodie volo a vobis recedere, et celum ascendere, ex quo complevi opus redemptionis. Quod audientes apostoli, ceperunt flere. Et Christus ait : « Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem. » (Joan. 14.) Et apostoli : Domine, gaudemus de honore, sed tristamur, quia dimittitis nos orphanos. Et non poterant comedere, propter quod Christus ut ipsi comederent comedit cum eis. Statim post prandium apostoli iverunt ad domum virginis, que comedebat cum Magdalena, et aliis. Que cum videret apostolos flentes, interrogavit de causa, etc. Cum audisset, incepit flere cum eis, et surrexit de mensa, et processionaliter iverunt ad montem Oliveti. Erant enim, ut dicit Lucas, fere centum viginti. Et Christus apparuit eis iterum, et posuit se in medio eorum, salutans matrem et discipulos dicens : Pax vobis. Et virgo dixit sibi : Fili mi, vultis a me recedere ? Et Christus : Ita, mater mea, ex quo perfeci opus redemptionis. Jam predicavi et dedi legem novam, quam confirmavi miraculis, et fui suspensus in cruce, ne aliquis mihi credens et obediens suspenderetur in furca inferni. Ideo modo volo redire ad patrem. Et virgo et omnes alii flebant ex una parte pre gaudio de honore suo, et ex alia parte tristabantur. Et virgo osculabatur manus et pedes ejus dicens : O fili mi ! quare ego non ascendo vobiscum et cum sanctis ? Quorum presentiam virgo sentiebat. Ad quam Christus ait : Mater mea, vos remanebitis in loco meo, et apostoli recurrent ad vos. Ideo cantatur : « Gaude Maria virgo, cunctas hereses sola interemisti in

Digitized by Google

universo mundo. » — Dicatur quomodo ascendit cum magno festo, sicut rex victoriosus rediens de prelio, et fuerunt angeli clamantes : Vivat ! vivat filius virginis Marie ! aliis clangentibus tubis, etc. David ait : « Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tube. » Cogitate gaudium virginis Marie, intantum ut dicit Lucas : « Regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno. » (Luc. ult.) Et statim sequitur sal tristitie et doloris. Cum virgo fuit in domo, videbat loca ubi fuerat filius ejus et steterat, cogitans : Decetero non videbo ipsum, sed flebat. Duodecim annis vixit post Christi ascensionem, vel XXIV secundum alios, et tantum dilexit filium suum, quod si omnes amores matrum ad filios essent in una muliere, adhuc amor virginis ad Christum esset major. Et perquirebat omni die loca nativitatis, apparitionis, baptismi, etc. De hoc prophetaverat Salomon dicens : « Adjuro vos, filie Hierusalem, id est, creature angelice, si invenistis dilectum meum, ut annuncietis ei quia amore langueo. » (Cant. 5.)

Moraliter instruimur hic, quod nos Christiani gaudentes de Christi honore in celo regnantis etiam tristari debemus de absentia sua, et eum desiderare, sicut naute desiderant portum. Ita de nobis navigantibus in ista navi perforata, in quam intrat aqua peccatorum, et cum magnis periculis transimus. Ideo desiderare debemus portum salutis dicentes : O Domine, quando ero vobiscum ? De hoc Cyprianus ait : « Patriam nostram paradisum », etc.

Sextum gaudium fuit in die pentecostes, quando virgo Maria cum apostolis recepit Spiritum Sanctum. Vultis intelligere istud gaudium ? Christus dixerat multoties apostolis : « Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos. ». (Joan. 16.) Apostoli ergo post ascensionem Christi recordantes de Christi promissione, nesciebant tamen diem certum missionis Spiritus Sancti. Ideo in crastinum ascensionis expectantes dicebant : Hodie, etc., idem in sabbato. Quia non venit sive misit, apostoli inceperunt inter se loqui. Dixit unus apostolorum : Non dubitetis, quia cras que erit dies dominica mittet, quia tali die formavit lumen, et divisit a tenebris. Ideo rationabiliter in die dominica debet in nos mittere lumen Spiritus Sancti, et non venit. Dixit alius : In die lune mittet, quia tali die fecit etiam firmamentum, et divisit aquas. Ideo tali die mittet ad nos, ut nos fortificet, et dividat ab aquis peccatorum, nec misit. Dixit alius : Non ! in die martis mittet, ut possimus plantare fidem catholicam ut faciat flores. Dixit alius : Die mercurii mittet. Ratio, quia tali die Deus formavit solem, lunam, et planetas. Dixit alius : Feria quinta mittet, quia tali die ascendit, etc. Dixit alius : Non ! Feria sexta, quia tali die doluimus de sua passione. Ideo in tali die mittet nobis spiritum consolationis. Dixit alius : Sabbato mittet, quia in sabbato post passionem fuimus dispersi, ita quod unus non remansit cum altero, ideo

Digitized by Google

ut adunemur mittet, sed non venit. Finaliter die pentecostes omnes apostoli et discipuli qui erant congregati in eadem domo propter metum Judeorum venerunt ad portam virginis Marie.

Dicatur quomodo ipsa surgebat in media nocte ad orandum, juxta illud David : « Media nocte surgebam », etc. Et quando exivit cameram, vidit omnes sanctos et sanctas congregatos et flentes. Virgo dixit : De quo fletis? nonne filius meus regnat in celis? Responderunt apostoli : Virgo benedicta, filius vester, et magister noster promisit nobis Spiritum Sanctum, dicens quod non dimitteret nos orphanos, et hodie sunt decem dies quod ascendit, et non misit. Respondit virgo : Non dubitetis, quia filius meus non habet conditiones hominum mundanorum, qui in paupertate cognoscunt amicos, sed quando sunt in honore et prosperitate non curant de eis, non sic de filio meo ; sed nescitis vos quod quando extraxit populum de Egypto, in quinquagesima die descendit ut daret legem? Illud fuit figuratum. Hodie est quinquagesimus dies a resurrectione filii mei, ideo hodie mittet Spiritum Sanctum. Ideo ponatis vos in oratione, quia que a Deo sunt, ordinata sunt. Et Petrus et alii apostoli dicebant et quilibet orando : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. » (Psal. 50.) Lazarus et alii discipuli septuaginta orando dicebant : « Sensum tuum quis sciet nisi miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis? » (Sap. 9.) Maria Magdalena et alie sancte mulieres orando dicebant : « Redde mihi letitiam salutatis tui, et spiritu principali confirma me. » Et dixerunt virgini Marie : Virgo benedicta, oretis vos etiam, quia filius vester statim exaudiet vos. Tunc virgo Maria flexis genibus oravit dicens : Emitte spiritum tuum, et creabuntur, sc. virtutes et perfectiones, et renovabis faciem terre, sc. per predicationem. Et subito factus est de celo sonus, et fuit quasi vox responsiva virgini, et quasi ventus subitus, qui descendit de celo, et replevit totam domum igne non comburente, sed illuminante ad modum linguarum, etc. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et ceperunt loqui, quasi dicerent : « O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! » (Sap. 12.) Cogitate hic, quia multi sancti de una gutta mellis Spiritus Sancti sunt inebriati, quanto magis apostoli qui totam virtutem Spiritus Sancti receperunt?

Sed statim sequitur sal doloris et tristitie. Dicatur quomodo apostoli inceperunt predicare, et statim fuerunt persecuti, ut patet Act. 4. Et venit nuntius ad virginem, quod Petrus et Joannes erant capti. Item quod prior, sc. beatus Stephanus fuerat lapidatus. Item alius, quod beatus Jacobus nepos virginis Marie erat interfectus. Ecce tristitiam. Ideo ait Christus : « Amen amen dico vobis quia plorabitis. » (Joan. 16.) — Moraliter instruimur hic. Nam sicut virgo Maria et apostoli postquam receperunt Spiritum Sanctum statim persequebantur. Ita etiam hodierna die contingit.

Digitized by Google

Septimum gaudium et ultimum fuit in sua benedicta assumptione. Non quando anima fuit separata a corpore, quia tunc jam non fuisset gaudium hujus mundi, sed alterius, sed quando filius suus misit sibi angelum Gabrielem cum ramo palme dicens : « Suscipe eum qui mandat salutes Jacob. Nam abhinc ad tres dies ibis ad filium tuum, qui jam paravit cathedram, etc. Et dixit virgo filio suo : Factum est mihi verbum tuum in gaudium et letitiam cordis meis. » (Hier. 15.) Sed immediate sequitur doloris et tristitie sal ex compassione apostolorum, et sanctorum, et sanctarum in hoc mundo remanentium inter Judeos, et inter infideles in tantis tribulationibus. Unde quando apostoli fuerunt ad virginem congregati, et mirarentur, virgo Maria dixis eis : Ego obtinui ut essetis hic, quia ego debeo ascendere in celum, etc. Apostoli inceperunt flere dicendo : O benedicta ! si vultis recedere quid faciemus nos ? Idem dicebant virgines quas virgo nutriverat, et virgo Maria flebat cum eis dicens : Non dubitetis, quia non tradam vos oblivioni, quia recordabor de vobis, quia occasione peccatorum facta sum mater Dei. Et poterat dicere virgo : « Flebam quondam super eum qui afflictus erat. » (Job 30.) — Moraliter instruimur hic, quia sicut virgo Maria gaudebat de honore sibi promisso, tristabatur tamen ex compassione. Ita debet esse de sanctis personis, que licet gaudeant de sua bona vita, non tamen debent despicere peccatores, sed compati eis dicendo : Domine, si vos dimisissetis me, pejor essem ego, ideo, Domine, juvetis eos ; et sic compati, non indignari debetis. Item si estis divites, videtis vel scitis aliquem pauperem, non despiciatis eum, sed compatimini et juvetis eum. Item si estis sani, debetis compati infirmis. Si juvenes, compati debetis senibus dicendo : Ita possem ego fieri pauper, infirmus, vel senex, et sic tenebimus consilium scripture : « Omnes unanimes in oratione estote compatientes. » (1 Pet. 3.)

Ces sujets sont traités à peu près *in extenso* dans le manuscrit de Valence. Bien que les thèmes soient différents, il ne s'y trouve aucune divergence saillante, ni dans les divisions ni dans les développements. A peine quelques détails peuvent-ils être relevés :

Deduxit illos in via mirabili.
(Sap. 10.)

Istud verbum dicit sic *que nuestro señor trujo al paradiso sus santos in carrera maravillosa.* Et pro majore declaratione sciatis quod tres *manere* sunt vivendi cum doloribus et gaudiis. Nam primum est vivere cum gaudiis tantum ut in paradiso, et hoc est terminus et non via, ad quem terminum accedunt qui in hoc mundo habuerunt dolores penitentie, ut habetur Isa. 35 : « Letitia sempiterna super capita eorum », etc..,

Digitized by Google

ut adunemur mittet, sed non venit. Finaliter die pentecostes omnes apostoli et discipuli qui erant congregati in eadem domo propter metum Judeorum venerunt ad portam virginis Marie.

Dicatur quomodo ipsa surgebat in media nocte ad orandum, juxta illud David : « Media nocte surgebam », etc. Et quando exivit cameram, vidit omnes sanctos et sanctas congregatos et flentes. Virgo dixit : De quo fletis ? nonne filius meus regnat in celis ? Responderunt apostoli : Virgo benedicta, filius vester, et magister noster promisit nobis Spiritum Sanctum, dicens quod non dimitteret nos orphanos, et hodie sunt decem dies quod ascendit, et non misit. Respondit virgo : Non dubitetis, quia filius meus non habet conditiones hominum mundanorum, qui in paupertate cognoscunt amicos, sed quando sunt in honore et prosperitate non curant de eis, non sic de filio meo ; sed nescitis vos quod quando extraxit populum de Egypto, in quinquagesima die descendit ut daret legem ? Illud fuit figuratum. Hodie est quinquagesimus dies a resurrectione filii mei, ideo hodie mittet Spiritum Sanctum. Ideo ponatis vos in oratione, quia que a Deo sunt, ordinata sunt. Et Petrus et alii apostoli dicebant et quilibet orando : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. » (Psal. 50.) Lazarus et alii discipuli septuaginta orando dicebant : « Sensum tuum quis sciet nisi miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis ? » (Sap. 9.) Maria Magdalena et alie sancte mulieres orando dicebant : « Redde mihi letitiam salutatis tui, et spiritu principali confirma me. » Et dixerunt virgini Marie : Virgo benedicta, oretis vos etiam, quia filius vester statim exaudiet vos. Tunc virgo Maria flexis genibus oravit dicens : Emitte spiritum tuum, et creabuntur, sc. virtutes et perfectiones, et renovabis faciem terre, sc. per predicationem. Et subito factus est de celo sonus, et fuit quasi vox responsiva virgini, et quasi ventus subitus, qui descendit de celo, et replevit totam domum igne non comburente, sed illuminante ad modum linguarum, etc. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et ceperunt loqui, quasi dicerent : « O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus ! » (Sap. 12.) Cogitate hic, quia multi sancti de una gutta mellis Spiritus Sancti sunt inebriati, quanto magis apostoli qui totam virtutem Spiritus Sancti receperunt ?

Sed statim sequitur sal doloris et tristitie. Dicatur quomodo apostoli inceperunt predicare, et statim fuerunt persecuti, ut patet Act. 4. Et venit nuntius ad virginem, quod Petrus et Joannes erant capti. Item quod prior, sc. beatus Stephanus fuerat lapidatus. Item alius, quod beatus Jacobus nepos virginis Marie erat interfectus. Ecce tristitiam. Ideo ait Christus : « Amen amen dico vobis quia plorabitis. » (Joan. 16.) — Moraliter instruimur hic. Nam sicut virgo Maria et apostoli postquam receperunt Spiritum Sanctum statim persequebantur. Ita etiam hodierna die contingit.

Digitized by Google

Septimum gaudium et ultimum fuit in sua benedicta assumptione. Non quando anima fuit separata a corpore, quia tunc jam non fuisset gaudium hujus mundi, sed alterius, sed quando filius suus misit sibi angelum Gabrielem cum ramo palme dicens : « Suscipe eum qui mandat salutes Jacob. Nam abhinc ad tres dies ibis ad filium tuum, qui jam paravit cathedram, etc. Et dixit virgo filio suo : Factum est mihi verbum tuum in gaudium et letitiam cordis meis. » (Hier. 15.) Sed immediate sequitur doloris et tristitie sal ex compassione apostolorum, et sanctorum, et sanctarum in hoc mundo remanentium inter Judeos, et inter infideles in tantis tribulationibus. Unde quando apostoli fuerunt ad virginem congregati, et mirarentur, virgo Maria dixis eis : Ego obtinui ut essetis hic, quia ego debeo ascendere in celum, etc. Apostoli inceperunt flere dicendo : O benedicta ! si vultis recedere quid faciemus nos ? Idem dicebant virgines quas virgo nutriverat, et virgo Maria flebat cum eis dicens : Non dubitetis, quia non tradam vos oblivioni, quia recordabor de vobis, quia occasione peccatorum facta sum mater Dei. Et poterat dicere virgo : « Flebam quondam super eum qui afflictus erat. » (Job 30.) — Moraliter instruimur hic, quia sicut virgo Maria gaudebat de honore sibi promisso, tristabatur tamen ex compassione. Ita debet esse de sanctis personis, que licet gaudeant de sua bona vita, non tamen debent despicere peccatores, sed compati eis dicendo : Domine, si vos dimisissetis me, pejor essem ego, ideo, Domine, juvetis eos ; et sic compati, non indignari debetis. Item si estis divites, videtis vel scitis aliquem pauperem, non despiciatis eum, sed compatimini et juvetis eum. Item si estis sani, debetis compati infirmis. Si juvenes, compati debetis senibus dicendo : Ita possem ego fieri pauper, infirmus, vel senex, et sic tenebimus consilium scripture : « Omnes unanimes in oratione estote compatientes. » (1 Pet. 3.)

Ces sujets sont traités à peu près *in extenso* dans le manuscrit de Valence. Bien que les thèmes soient différents, il ne s'y trouve aucune divergence saillante, ni dans les divisions ni dans les développements. A peine quelques détails peuvent-ils être relevés :

Deduxit illos in via mirabili.
(Sap. 10.)

Istud verbum dicit sic *que nuestro señor trujo al paradiso sus santos in carrera maravillosa.* Et pro majore declaratione sciatis quod tres *manere* sunt vivendi cum doloribus et gaudiis. Nam primum est vivere cum gaudiis tantum ut in paradiso, et hoc est terminus et non via, ad quem terminum accedunt qui in hoc mundo habuerunt dolores penitentie, ut habetur Isa. 35 : « Letitia sempiterna super capita eorum », etc..,

Digitized by Google

Et secunda *manera* vivendi est cum dolore et tristitia tantum ; et istud non est via sed terminus, et est infernum ad quem accedunt qui in hoc mundo vixerunt cum placitis carnium et non faciendo penitentiam de peccatis ; et de hoc termino doloris Tren. 5 : « Defecit gaudium eorum », etc. Postquam habemus terminos bone et male vite videamus de via per quam ambulamus ad istos terminos ; et hec via est gaudium cum dolore et tristitia cum letitia mixtim. Et hec est in hoc mundo, nam sicut non bene cum uno pede accederet quis sed cum duobus, ita non bene quis accedet cum gaudiis tantum quia incideremus in dissolutionibus, Deum descognoscendo, neque cum doloribus tantum quia veniremus in desperationem, in Deum non confidendo, sed cum gaudiis et doloribus temperando. Et de hac via habetur Isa. 30 : « Hec via, ambulate in ea nec ad dexteram, etc., declinetis, » et propter gaudia, incidendo in dissolutionibus ; neque ad sinistram, propter dolores et tristitiam, per impatientiam incidendo in desperationem. Et de hac via loquitur thema : « Deduxit illos in via mirabili. » — Sed quare dicitur mirabili ? Dico ideo quia Christus non solum voluit quod nos tantum accederemus per hanc viam sed etiam mater sua, et ideo est mirabilis via respectu virginis Marie que habuit gaudia et dolores.

Au sujet de l'adoration des mages :

De hoc fuit prophetizatum per Balaham, Num. 24 : « Videbo eum, sed non modo... Orietur stella ex Jacob », etc. Et sapientes videntes eam statim dixerunt : Ista est stella de quo prophetizavit Balaham qui fuit orientalis. Et tunc reges tres voluerunt accedere et videre Mesyam quem natum significabat stella. Et incipientes itinerare stella *guidabat* eos per montes et vias et per rivulos, et transiebat per villas subtus portalem ; et cum intrabant per villas et loca, judei interrogabant quo ibant, et ipsi respondebant quod ad Mesyam regem Judeorum, quia erat natus in Bethlem. Et ipsi dixerunt : Nos non habemus regem nisi Herodem. Et ipsi dixerunt stella non poterat mentiri. Et accedentes in Bethlem, stella se firmavit super porticum. Et reges perquirebant magnum palatium ; et finaliter invenerunt locum.

... Moraliter ex hoc habebimus bonam doctrinam, nam sicut virgo Maria per reges habuit gaudium, per regem habuit dolorem. Et ita caveatis ut non contingat vobis sic qui modo estis in amore *Infantis* [*Infant d'Espagne*] et regis, ut post non veniatis in odium, et ita de placito in displicitum ; et ita non confidere in ipsis et injuriando alios. Et ideo dicit David : « Nolite confidere in principibus », etc. Item similiter vos qui habetis regimen universitatum caveatis ut postquam habetis placitum et gaudium de regimine et potestate, ut post non habeatis displicitum habendo restituere quod recepistis. Et ad hoc

Digitized by Google

habetur I Cor. 10: « Charitas non querit que sua sunt », id est quod magis amat res communes quam proprias.

Et dicit: cithara, propter passionem, nam sicut cithara ut faciat bonum sonum debet esse de sicca fuste, ita crux Christi fuit de fuste sicca, et sicut cithara est vacua, ita fustis crucis erat vacua de virtute quam postea habuit. Et corde erant nervi Christi: et *claville* erant clavi illi, et sicut cithara habet octo cordas, ita Christus dixit in cruce pendens septem verba. Et dum virgo Maria staret in oratione cum esset alba, angelus denunciavit ut cantat Ecclesia: « Regina celi, letare », alleluia, etc. Et tunc virgo Maria cum magno gaudio respondit angelo: Quando veniet, quando apparebit, quando videbo? Et cum hoc diceret, ecce Christus quod intravit gloriosus et illuminans totam camaram; et intravit cum sanctis patribus quos extraxerat de limbo. Et virgo Maria contemplabatur et osculabatur signa plagarum Christi, nam semper retinebit illa signa. Et tunc veniebant angeli et faciebant beate Marie reverentiam, etc.

Beati qui lugent, sc. in gaudiis et tristitiis, *quoniam ipsi consolabuntur.*
(Mat. 5.)

Istud verbum propositum dicit sic *en remancio: bien aventurados son aquellos que lloran porque ellos seran consolados.* Et pro declaratione sciatis quod regula est philosophalis: « Opposita juxta seposita magis elucescunt », etc., ut sc. homo formosus positus juxta hominem informosum quod homo formosus magis apparebit formosus propter informositatem alterius, et informosus magis apparebit informosus propter formositatem alterius; et pannus albus juxta nigrum positus magis albescit, et niger magis nigrescit; ut faciunt mercatores in vendendo *aljofar* ponentes ipsum in panno nigro ut clarius albescat. Ad hoc habetur psal. 93: « Secundum multitudinem dolorum... animam meam. » Et ita fecit nobis Deus in hac vita, quia pro *aljofar* posuit nobis gaudia in panno nigro, sc. doloribus et tribulationibus. Et ideo dicit thema: « Beati qui lugent », etc.

Virgo Maria die ascensionis cum multis personis sanctis stabat expectando Christum in monte de quo Christus habebat ascendere. Et cum Christus elevasset se in altum in aere et dimisisset *premplam* pedum suorum in roca ut esset in signum quod de illo loco ascenderat; et ibi erant omnes angeli congregati et omnes sancte anime sc. patriarche et prophete. Et ita cum virgo Maria vidisset tantam congregationem angelorum et personarum sanctarum habebat magnum gaudium de tanto honore filio suo impenso. Et cum Christus recepisset *comiat* de matre sua, et elevaretur in altum, angeli tangebant trompas, etc.

Digitized by Google

Et ex hoc habemus moralitatem quod si habemus magnas divitias, non propter hoc debemus gaudere sed habere dolorem et flere quia sumus *lexos de paradiso ;* et ideo debemus desiderare multum ut appropinquemus ad ipsum, et hunc mundum odire, nam iste mundus pro bestiis est factus non pro hominibus, sed paradisus terrestris factus est pro hominibus solum, ut habetur Gen. 2 : « Posuit Deus hominem in paradiso terrestri », etc. Et ut dicit beatus Thomas, nullum animal intravit in paradisum terrestrem nisi unus, sc. serpens qui tentavit Evam, et cum Adam posuit omnibus nomina ; sed post, cum Adam et Eva peccaverunt, fuimus *sterrati* in hunc locum bestiarum. Et ideo sicut virgo Maria desiderabat paradisum in quo ascenderet filius suus, ita et nos debemus desiderare. Sed nobis contingit, ut dicit beatus Augustinus, sicut puero nato inter carcerem, cujus mater fuit ibi posita pregnata, et peperit intus ; et ipse puer ludebat et ridebat cum muribus et *granotis* et *sargantanis*. Et mater flebat recordans se quid erat extra in mundo, sc. conversacio gentium et claror solis et lune, et stella et celum ; et hoc deridebat puer, quia non viderat que mater viderat, alias si vidisset fleret et desideraret extra. Et sic contingit nobis.

En reproduire davantage serait fastidieux, d'autant que soit aux fêtes de l'Annonciation et de Noël, soit aux fêtes de Pâques, ces mêmes idées reviennent presque identiquement exprimées. L'âme tendre de saint Vincent Ferrier aimait à reposer ses auditeurs des terreurs du jugement dernier par ces tableaux frais et gracieux.

Digitized by Google

De Exaltatione sancte Crucis

(Canevas autographe) *

Exaltavit cornu populi sui.
(Ps. 148.)

Nota in hiis verbis tria circa crucem Christi :
Primum dies festus observabilis, ibi : « exaltavit » ;
Secundum virtus crucis admirabilis, ibi : « cornu » ;
Tertium fructus sequens valde utilis, ibi : « populi sui ».

De primo juxta illud Ez. 17 : « Ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi », etc. — Nota : lignum crucis fuit sublime, erectum in monte Calvarie, et viride, portans fructum vite Jhesum Christum. Sed fuit humiliatum tempore Cosdroe, et exsiccatum inter infideles existens. Deus autem illum exaltavit permaximo honore tempore Heraclii, et frondere fecit miraculis innumeris.

De secundo juxta illud Luc. 1 : « Benedictus Dominus Deus Israel !... Et erexit cornu », etc. Item ps. 91 : « Exaltabitur sicut unicornis », etc.

De tertio sicut per arma seu signum regis ponitur possessio subditi in salvaguardia [*sic*] et tutela, sic per signum crucis populus christianus. Is. 49 : « Ecce levabo ad gentes », etc.

Die Exaltationis sancte Crucis

(Canevas autographe)

Factus est pro nobis obediens usque ad mortem crucis.
(Phil. 2.)

Dominus Jesus factus est nobis in cruce :
Exemplum spiritualis perfectionis ;
Emplaustrum universalis creationis ;
Remedium temporalis defectionis.

De primo, perfectio spiritualis acquiritur per exercitium virtuosarum operationum, peccatis resistendo ; sicut via perficitur per passuum continuationem, a termino a quo recedendo [*sic*] Gen. 17 : « Ego Dominus

* Développé nulle part.

Digitized by Google

Deus omnipotens : ambula coram me et esto perfectus. » Item Thi. 3 : « Perfectus sit homo Dei », etc. — Hujusmodi autem exercitium nobis in cruce Christus exemplariter ostendit. Mat. 16 : « Si quis vult post me venire. »

De secundo, sicut emplaustrum medicinaliter valet crux contra omnes hominum infirmitates. Tamen hujusmodi emplaustrum leniter, id est cum reverentia, et calidum, id est cum devotione nominando Jesus, est superponendum. Rabbanus : « O bona et sancta Crux Christi ! tu infirmorum remedium », etc.

De tertio, cum presens vita sit innumeris periculis subjecta, providit nobis Deus contra omnia pericula de remedio crucis sicut pro defensione contra inimicos ponitur domus sub salvaguarda [*sic*] regis, per superpositionem armorum regiorum. Isa. 49 : « Hoc dicit Dominus Deus : ecce levabo ad gentes manum meam », etc. Ecclesia : protege, salva, benedic, sanctifica, etc. [*sic*].

De Exaltatione sancte Crucis

(Recueil imprimé)

Factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

(Phil. 2.)

Sancta mater Ecclesia facit hodie festum de exaltatione sancte crucis, de qua bis in anno festivatur. Primo in mense maii, de inventione. Secundo hodie de exaltatione. Ratio, quia postquam fuit inventa ab Helena sancta crux, venit in possessionem infidelium, qui despective tenebant eam. Sed Heraclius imperator Romanus Christianissimus extraxit eam de possessione infidelium, et honorifice eam exaltavit, et hodie fit festum illius exaltationis. Sed ut verba sint fructuosa, salutetur virgo Maria.

Doctrina est communis et catholica in sancta theologia, quod licet Christus habuisset alios innumerabiles modos redimendi et salvandi humanum genus, tamen per crucem ipsum salvare elegit, et redimere sibi credentes et obedientes, ut dicit sanctus Thomas. Et ibi assignat septem rationes quare hoc fuit conveniens, quarum unam, sc. secundam, pro introductione materie vobis dicam. Est igitur ista ratio, quia quando aliqua satisfactio debet fieri de aliquo peccato, rationabile est quod satisfactio respondeat peccato. Autoritas de hoc, quia dixerat Christus Luc. 3 : « Facite fructus dignos penitentie. »

Modo videamus quomodo facta fuit offensa Deo, ex qua venit tota

Digitized by Google

perditio, et totum malum generis humani, ex quo sumus exules in hac valle lachrymarum. Nonne ex furto cujusdam pomi contra mandatum expressum ? Imo. Ergo restitutio, reparatio, seu emenda debuit fieri ut fructus restitueretur arbori.

Les développements de ce sermon se trouvent presque mot pour mot à la fête de l'Invention de la Sainte-Croix (3 mai), sauf la fin.

Sed ratio moralis est ista. Alie mortes quas Christus fugit, significant malas mortes, quas debemus fugere. Sed ista mors crucis significat bonam mortem, quam debemus eligere. Dolor inestimabilis Christi in cruce pendentis, significat contritionem, quam debemus habere de peccatis, inclinando caput in confessione, que debet fieri inclinato capite et non facie ad faciem. Dicatur quomodo discoopertus debet esse confitens, et confessor coopertus, propter verecundiam, et periculum confessoris mulierem respicientis juvenem. Manus dextera perforata significat, quod de bono justo facias eleemosynas. Sinistra ad restituendum usuras, et furta, etc. Duo pedes clavati signant duos pedes, quibus ambulamus, et sustentamur : dexter est communio spiritualis, sinister cibus corporalis, dexter clavatur devotione, sinister abstinentia. Apertio lateris signat apertionem cordis, ad remittendum injurias, et parcendum inimicis, et peccantibus in te. Ecce ratio moralis quare voluit mori in cruce. Ideo ait apostolus : « Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. » (Gal. 5.) Et quod sit hoc necessarium, patet, quia dicit Christus : « Qui non bajulat crucem suam, que dicitur a cruciando, ecce penitentia ; et venit post me, non potest meus esse discipulus. » (Luc. 14.) Ecce quare dicit thema : Factus est pro nobis, id est nostra redemptione, et morali instructione, obediens usque ad mortem, non gladii, non precipitii, nec lapidationis, nec potionis, sed ad mortem crucis.

Digitized by Google

Vigilia beati Mathei

(Canevas autographe) *

Beatus vir qui in sapientia morabitur.
(Eccl. 14.)

Nota quatuor sapientias ex textu Jac. 3 : « Non est ista sapientia desursum descendens », sed terrena, animalis, dyabolica :

Sapientia terrenalis, avarorum ;
Sapientia animalis, lubricorum ;
Sapientia demonialis, superborum ;
Sapientia celestialis, devotorum.

Prime tres sunt false sapientie, sed quarta est vera, et de ista intelligitur thema.

Prima sapientia stat in acquisitione rerum temporalium per modos exquisitos et fraudulentos. Baruch. 3 : « Filii quoque Agar qui exquirunt prudentiam que de terra est. » Hec falsa et stulta est, quia gravi honere hominem honerat, viam arduissimam habentem ascendere. 1 Cor. 3 : « Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. »

Secunda stat in curiosa procuratione delectationum corporalium, et molestiarum vitatione. Rom. 8 : « Qui secundum carnem sunt que sunt carnis sapiunt. » Hec etiam falsa est et stulta, quia neglecta filia regis homini carissime recommissa, totam curam adhibet in servitio sclave stultissime. 1 Cor. 2 : « Animalis homo non percipit. »

Tertia stat in mundana sui exaltatione, et aliorum depressione, ad instar luciferi. Ex. 1 : « Ecce populus filiorum Israel multus et fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum. » Hec similiter falsa et stulta est, quia hominem ducit per viam asperrimam et laboriosam ad precipitium. Rom. 1 : « Evanuerunt in cogitationibus suis », etc.

Quarta stat in ordinatione vite ad finem ultimum, sc. celestem beatitudinem. Philosophus : « Sapientis est ordinare. » Hec est vera sapientia que per viam mandatorum securam, mundam et suavem ducit hominem ad vitam eternam. Deut. 4 : « Hec est vera sapientia », etc.

* Développé nulle part.

Digitized by Google

De beato Matheo, apostolo

(Canevas autographe)

Non veni vocare justos sed peccatores.
(Mat. 9.)

Differentia est inter justum et peccatorem sicut inter propinquum Deo et distantem ab eo. Justus quidem est proximus Deo, sicut aer illuminatus lumini, propter cognitionem veritatis ; sicut ferrum ignitum igni, propter dilectionem caritatis ; sicut pannus tinctus colori, propter conversationem sanctitatis. Joan. 4 : « Deus caritas est, et qui manet in caritate », etc. Peccator autem distat a Deo, non localiter, quia annihilaretur nisi Deus presentialiter adesset eum sustentans, sed differentialiter, sicut pannus rudis dicitur multum distare a panno pretioso, quamvis sit ei contiguus. Ps. 118 : « Longe a peccatoribus salus. » Quia ergo vocatio fit ad distantem et non ad conjunctum, ideo dicit Christus : « Non veni vocare justos sed peccatores. »

Modo restringendo materiam ad beatum Matheum quem tanquam peccatorem et distantem a Deo Christus vocavit ad se, circa ejus vocationem sunt quatuor per ordinem consideranda :

Modus gratiosus ;

Fructus copiosus ;

Actus virtuosus ;

Finis gloriosus.

Primum in ejus subita conversione. 1 Reg. 3 : « Ecce ego, vocasti enim me. »

Secundum in sociorum ejus attractione. Rom. 9 : « Vocabo non plebem meam », etc.

Tertium in Ethiopum illuminatione. Is. 51 : « Unum vocavi eum et benedixi », etc.

Quartum in martyrisatione. 1 Pet. 5 : « Deus omnis gratie vos vocavit », etc.

Digitized by Google

De sancto Mattheo, apostolo et evangelista

(Recueil imprimé)

Non veni vocare justos, sed peccatores.
(Mat. 19.)

Festum hodiernum est magnum, si vultis cogitare personam, quia apostolus et evangelista primus et martyr gloriosus, quia de apostolo per se fit festum, et de evangelista per se, et de martyre per se ; ergo iste tres cause simul conjuncte magnum festum faciunt, ita etiam de eo erit sermo noster. Salutetur virgo Maria, etc.

Verbum propositum est Domini nostri Jesu Christi dicens : Non veni vocare, etc. Modo prima facie jam potestis dicere, quod istud verbum habet difficultatem, quod Christus qui plus diligit bonos et justos, quam malos et peccatores, dicit : Non veni vocare, etc. Ideo indiget declaratione, et sic intrabimus declarando materiam predicandam.

Modo audite. Talem differentiam invenio inter justum, et peccatorem, sicut inter esse prope vel circa Deum, et longe a Deo. Justus, bonus, et timens Deum, ita est prope Deum, quod nihil creatum est sibi propinquius, non tunica nec camisia, nec pellis magis prope Deo est. Et quantum ad intellectum, quia sicut aer in meridie est prope lumen, quia totus est illuminatus a sole, ita Deus est prope intellectum justi, et boni, per illustrationem, spiritum illuminando, quia totus plenus divinitate, nec dimittit ibi tenebram erroris, nec usturam falsarum opinionum, intantum quod non solum justi dicuntur luminosi, sed etiam lux : « Eratis aliquando tenebre, nunc autem lux in Domino. » (Ephe. 5.) Item Mat. 5 : « Vos estis lux mundi. » Item est prope voluntatem per dilectionem charitativam, quia sicut videtis ignem circa ferrum ignitum, ita voluntas justi est inflammata divinitate ad diligendum Deum super omnia, et proximum sicut seipsum : « Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » (1 Jo. 4.) Item est Deus prope justum, quantum ad vitam per honestatem, et conversationem, quia sicut pannus coloratus est prope tunicam seu colorem, ita persona justa est tincta, seu colorata sanctitate coram Deo, oculis humilibus, in auribus audiendo que Dei sunt, in manibus extendendo, in oratione, in gutture, per temperantiam in corpore, ipsum affligendo in memoria passionis Christi. Patet quod persona tincta est, etc.: « Tu in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos. » (Hier. 14.) Ecce quomodo persona justa est prope Deum. Ideo David dicit : « Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. » (Psal. 164.) Sed persona peccatrix injusta longe est a Deo, non distantia locali, quia si sic, statim persona annihilaretur, sed dicitur

Digitized by Google

distare a peccatore differentia formali; quia sicut dicitur de duobus pannis, etiam conjunctis, si unus sit subtilis, et alter sit rudis, illi dicuntur distare, non localiter sed formaliter, sic est de Deo et peccatore, propter tantam differentiam inter tantam sanctitatem, et tantam iniquitatem. Ideo David psa. 118: « Longe a peccatoribus salus, id est Jesus, quia justificationes tuas, id est sanctificates tuas, non exquisierunt. » Patet ergo quomodo justi sunt prope Deum, et peccatores distantes a Deo.

Modo clarum est quod qui est prope non vocatur, sed ille qui distat vocatur, propter hoc dicebat Christus: Non veni vocare justos. Ratio quia jam sunt mecum, licet venerit eos salvare, si perseverent; sed peccatores, ut sc. convertantur. Patet thema. — Istud thema est generale. Appropriando beato Mattheo apostolo, invenio quod beatus Mattheus evangelista ante suam conversionem erat longe a Deo, quia erat injustus, et magnus peccator. Ideo fuit vocatus a Deo dicens: Veni, sequere me. Circa ejus vocationem de beato Mattheo declaranda sunt quatuor:

Primo, sua vocatio gratiosa;
Secundo, invitatio fructuosa;
Tertio, operatio virtuosa;
Quarto, perfectio gloriosa.

Quantum ad primum, modus sue conversionis et vocationis fuit gratiosus. Quesivi quot officia habebat beatus Mattheus, et inveni quod tria officia habebat mala in hoc mundo, sc. officium periculosum, officium criminosum, et officium odiosum. Officium periculosum est officium feneratoris, quod ipse habebat. Nam in civitate Capharnaum, que est maritima, tenebat tabulam, sive mensam cambii. Officium est anime periculosum tractare tantas pecunias, quia sicut qui tractat oleum, carbones, vel picem, inquinatur ab eis, ita qui tractat pecunias. Et propter hoc dicit scriptura: « Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. » (Eccl. 13.) Pix dicitur moneta. Ratio, quia multas nigredines dimittit in anima tractantium pecuniam. Primo in cogitatione, secundo in temporis perditione, et negotiorum occupatione. In signum hujus, moneta sive sit aurea, sive argentea, quando tractatur, dimittit maculas magnas in manu hominis, quia ratio est quia feneratores faciunt fraudes, etc. Secundum erat criminosum, quia erat usurarius. Ita dicit Beda, quod post conversionem distribuit propria, qui rapere solebat aliena, sc. per usuras. — Dicatur quomodo mutuabat decem pro duodecim, et sic de aliis speciebus usure, secundum quod requiritur, sc. emere minoris, et vendere pluris propter expectationem. Item mutuando super possessiones, recipiendo fructus. Sic faciunt multi, et excusant se dicendo false quod ecclesia permittit, etc. Istud est contra divinam ordinationem, que vult

Digitized by Google

quod omnes creature libere ministrent, et communicent illa que Deus communicavit eis, ut patet de sole, qui communicat lumen a Deo sibi communicatum contra tenebras, et calorem contra frigus, et influentiam ad fructificandum. Idem de igne, qui communicat suam claritatem, et caliditatem. Idem de aere ad respirandum, et de aqua ad lavandum, et pisces capiendum, terra plantas, etc. Si ergo creature irrationales communicant, quanto magis nos? Ideo magnum peccatum est in usurariis. Ecce officium criminosum. Sed ille qui libere, et sine usura accommodat, justus est, ut dicit propheta: « Vir qui ad usuram non accommodaverit, justus est. » (Ezech. 18.) Tertium officium erat odiosum, et tediosum, quia erat thelonarius in civitate Capharnaum, colligens jura imperatoris. Ideo dicitur thelonarius, id est publicanus, quia tenebat officium publicum thelonarii. Istud officium est tediosum, et odiosum, quia aliquoties tales faciunt magnas injurias, ex potestate quam habent. Ex ista ratione Joannes Baptista, ad quem venerunt publicani, dicentes: Quid faciemus ut salvi simus? Respondit beatus Joannes: Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis. (Luc. 3.) Et his tribus officiis, beatus Mattheus distabat a Deo per tres magnas dietas.

Sed audite quomodo fuit vocatus, et fuit sextus, quia jam habebat quinque alios vocatos. Cum Christus transiret juxta mare Galilee, et beatus Mattheus sederet ad mensam cambii, in domo sua magna, quam habebat coram mari, in negotiis occupatus. — Dicatur practice de negotiis campsorum pecunias colligentium. — Et Christus stetit, et vidit publicanum, nomine Levi, involutum in negotiis, etc., qui nec de Deo, nec de anima sua poterat cogitare. Et Christus vidit, id est attente respexit. Et beatus Mattheus, Dei ordinatione, elevatis oculis vidit Christum coram se, quem non cognoscebat: sed tanta erat reverentia et majestas sue sanctitatis, quod Mattheus admirande respiciebat eum. Ad quem Christus ait: Veni et sequere me. Subito virtute divina, sicut Christus protulit ista verba, radius claritatis illuminavit ejus mentem, et cognovit Christum verum Messiam esse, et cor ad contritionem peccatorum dicens: « Ecce ego, Domine, quia vocasti me. » (1 Reg. 3.) Subito relictis omnibus secutus est eum, dimittens libros et computum, etc. Ratio dictat quod dixit Christo: Domine, regratior vobis quod vultis me in discipulum, etc. Potestis credere quod Christus dixit: Vade, fac rationem de te. Redde rationem et computum Dominis, et habeas diffinitionem, et recipe quod mutuasti sine usuris, nullo modo recipias nisi sortem principalem. Debetis credere quod fecit preconizari si tenebatur alicui quomodocunque per usuram, vel injustitiam, quod satisfaceret omnibus. Iste est modus satisfaciendi usurariorum publicorum, secus de secretis, qui secrete debent restituere. Qui vult intrare paradisum oportet sic facere; non enim dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.

Digitized by Google

Regula est juristarum et theologorum. Non decipiamini dicendo : Ego ponam in testamento, etc. Dicatur contra illos qui dicunt : Si restituerem oporteret me minuere de statu. Item de quo hereditarem filios ? etc. Ideo oportet servare pecunias, ut poma vel mala granata, que respicitis ne sint maculata et putrida, etc., ita debetis vos facere quando recipitis florenum, vel alia bona, debetis respicere eum dicendo : Videamus utrum est hic vermis usure, vel macula de furto ; et projiciatur restituendo, aut alias corrumpet, alias etc. Et non dubitetis, quia nihil deficiet vobis. Ideo dicit David : « Junior fui, et enim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem. » Sed de usuratio dicit ibidem : « Vidi impium superexaltum, et elevatum sicut cedros Libani, et transivi, et ecce non erat. » (Psal. 36.)

Quantum ad secundum, sc. de invitatione fructuosa. Dicatur quomodo postquam omnia restituit, remansit sibi domus et aliqua moneta de bono justo, et voluit facere Christo magnum convivium, ut faciunt religiosi quando intrant ordinem, etc. De isto convivio habetur Luc. 5 : « Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. » Cognomen beati Matthei erat Levi. Dicatur practica istius convivii. Dicit textus Luc. 5 : « Et erat turba multa publicanorum et aliorum.» Intentio beati Matthei fuit ut illi etiam converterentur. Istam rationem ponit beatus Hiero. Cogitabat beatus Mattheus : Si me convertit qui eram ita involutus negotiis, etiam convertet istos. Dicatur quomodo ordinatum fuit a Christo quod janue essent aperte ; et apostoli sederunt circa portas, et Christus inter publicanos dixit versum : « Oculi omnium,» etc., et posuit se ad mensam cum eis. Tunc fuit completa illa prophetia Cant. 2 : « Sicut malus, id est pomum, inter ligna sylvarum, sc. infructuosa, sic dilectus meus inter filios. » Et facto intervallo inter cibum et cibum, ut ut fit in magnis conviviis, Christus quasi per modum lectionis dicebat : Modo audite quantum deberemus Deum laudare, qui tanta fecit ad servitium hominum, sc. omnia animalia, et omnes fructus. Et illi peccatores attendebant, et cum primo riderent, incipiebant flere, etc. Item postquam comederunt cibum assatum, Christus : Modo cogitate si iste esce corruptibiles dant tantum saporem, etc., quid debet esse de cibis incorruptibilibus celi, quia quando rex dat suis servitoribus tam sapidas escas, quales sunt ille esce quas ipse retinet pro se ? Ita a Deo de illis publicanis convertebantur multi, et flebant. Idem postquam comederunt coctum in aqua. Intantum quod creditur quod omnes illi fuerunt conversi. Tanta erat virtus verborum Christi.

Et cum jam essent quasi in fine prandii, videntes Pharisei quia porte erant aperte, dicebant discipulis ejus, qui comedebant circa portam : « Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magistet vester ? » Ac si dicer et : Hic patet qualis ipse est. Dicas mihi cum quo vadis, et

Digitized by Google

ego dicam tibi quid facis. Hoc audiens Christus, vocavit eos ad se. Et ipsi inflati fuerunt coram eo dicentes : Quid vultis? Dixit Christus : Dicatis mihi quando in aliqua civitate sunt multi infirmi, qui indigent medico : sani an infirmi? Et illi intelligentes noluerunt respondere. Et Christus : Non vultis respondere? Ego dicam vobis : non opus est valentibus medicus, sed male habentibus. Ille erat infirmus per superbiam, et modo curatus est, et ille per avaritiam, et sic de aliis. Ideo ait Aug.: « Magnus de celo ad nos venit medicus, quia magnus per totum mundum jacebat egrotus. » Tunc dixit : Non veni vocare justos, sed peccatores. Et Judei confusi recesserunt. Patet ergo invitatio fructuosa, quia ex quo ipse fuit conversus, laboravit ut converteret alios. — Moraliter habemus hic doctrinam, quomodo quilibet nostrum debet curare si est in via salvationis, de familia, de ancillis, vir de uxore, et econverso. De familia, ut confiteantur, et communicent in pascha, ut audiant missas et sermones, ne operentur in diebus festis. « Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. » (1 Tim. 5.)

Quantum ad tertium, sc. actum virtuosum, sive operationem virtuosam, sc. de operibus que fecit posquam fuit conversus. Dicatur quomodo post Christi resurrectionem, ascensionem, et Spiritus Sancti missionem, apostoli diviserunt sibi mundum ad predicandum, et convertendum homines, etc. Et beatus Mattheus ivit in Ethiopiam predicando, et miracula faciendo, illuminando cecos, et sic de aliis. Et multas gentes convertebat ad Christum. Ecce actus virtuosus, sive operatio virtuosa. Dicatur quomodo semel, dum ipse predicaret, fuit factus magnus tumultus, et planctus in populo, de morte filii regis unigeniti, etc. Et dum sepultura pararetur, quidam Christianus, sc. ille Eunuchus quem Philippus baptizavit, ut habetur Act. 8, ivit ad regem, dicens sibi quod unus sanctus vir erat in civitate, qui posset resuscitare, etc. Dicatur miraculum ut habetur historia. Et fuit completa prophetia : « Unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. » (Esa. 51.) — Si vis dicere moraliter per questionem, que fuit causa quod beatus Mattheus solus convertit tantam gentem, sc. totam Ethiopiam, et Egyptum, et cum modo sint tot predicatores, que est causa quod non convertimus Judeos, qui hodie sunt? etc. Dicatur quomodo apostoli habuerunt sanctam vitam, et bonam doctrinam, et nihil aliud voluerunt, nisi honorem Dei, et salutem animarum. Ideo dicebat apostolus : « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. » (1 ad Tim. 6.) Modo deficimus in vita, quia nolunt quolibet die audire homines miracula sanctorum, etc., nec bonam doctrinam, nisi tantum poetarum, etc. Nec curamus de salute animarum, nisi de rebus, et familiaritatibus, etc. Idem de clericis vendentibus sacramenta. Ideo non solum infideles non con-

Digitized by Google

vertuntur, imo fideles pervertuntur, et perdunt fidem. Ideo apostolus: « Omnes que sua sunt, querunt, non que Jesu Christi. » (Phil. 2.)

Quantum ad quartum, sc. de perfectione gloriosa. Nam martyrizatus fuit pro defensione cujusdam monialis. Primum monasterium, quod ego legi, fuit istud, quod beatus Mattheus instituit. Dicatur quomodo postquam convertit illam terram, mortuus fuit rex, quem ipse converterat, cujus filia, nomine Ephigenia, fuerat cum aliis virginibus, sacro velamine Deo dedicata. Et rex patri succedens alienigena, voluit illam in uxorem habere. Dicatur historia, et quomodo fuit dictum regi, quod ipse nunquam haberet eam, nisi per apostolum Mattheum, quia ille erat Prior earum. Propter quod rex vocavit eum dicens, quod induceret eam ad matrimonium. Tunc beatus Mattheus cogitavit : Si ego dico modo sibi, etc., interficiet me, et meum martyrium non erit notorium, etc. Ideo dixit regi, quod in dominica sequenti esset in officio, et ipse commendaret ibi matrimonium, et ita factum est. In dominica sequenti apostolus dixit quomodo matrimonium erat sanctum, et a Deo institutum in paradiso terrestri. Secundo, fuit honoratum per Christum in primordiis miraculorum. Tertio quia ex eo implentur cathedre, etc., sc. celi. Quarto, est conservativum humane nature. Item Christus voluit, ut mater sua haberet sponsum, etc. Sed dixit postquam quia sicut esset proditor, qui sponsam regis vellet in uxorem, ita, etc. Nota hic bene in legenda, ex hoc beatus Mattheus fuit lancea percussus, et martyrizatus. Dicatur quod peccatum est cum monialibus, et clericis, propter sacrilegium. Dicatur similitudo de sancto sepulchro Christi, si projiceretur in latrinam, esset majus peccatum, quam si omnia sepulchra sanctorum projicerentur.

Digitized by Google

Die sancti Michaelis

(Canevas autographe)

Videte ne contempnatis unum ex hiis.
(Mat. 18.)

Hoc festum quamvis singulariter intituletur de sancto Michaele propter ejus super angelos et super homines preheminentiam (Dan. 10: « Ecce Michael », etc.), nihilominus tamen de omnibus sanctis angelis est, quia « Omnes sunt administratorii spiritus », etc. (Heb. 1.) Ideo cantat Ecclesia : « Collaudemus venerantes, omnes celi milites », etc. Juxta quod dicit thema : « Videte ne contempnatis unum ex hiis. » Ratio quoniam per ipsos :

Contra demones defendimur ;
In tentationibus consulimur ;
Ad penitentiam inducimur ;
In secretis fidei instruimur ;
Apud Deum commendabiliter perducimur ;
In celis festive colimur ;
Ad gloriam finaliter deferimur.

De primo : In deserto hujus mundi lupi infernales devorarent oves Christi nisi ab angelis custodirentur. Ps. 90 : « Angelis suis Deus », etc.

De secundo : Cum quis temptationibus ad peccandum incitatur sanctus angelus spiritualibus suasionibus eum refrenat. Ex. 23 : « Angelus meus precedet te... observa eum », etc.

De tertio : Peccator quasi dormiens in via periculosa excitatur angelicis compunctionibus. (Patet de Helia, III Reg. 19) Zach. 4 : « Et reversus angelus... suscitavit me. »

De quarto : Lucernula nostri intellectus circa subtilitates fidei ex applicatione magni luminaris intellectus angelici adjuvatur. — Nota de certificatione virginalis conceptus per angelum. (Luc. 1.) Ideo Act. 12 : « In ipsa nocte ecce angelus Domini adstitit. »

De quinto : Tanquam procuratores et advocati nostri in curia celesti commendant et promovent bona nostra. Tob. 12 : « Quando orabas cum lachrymis », etc. — Nota Luc. 13, de cultore vinee loquente pro ficulnea. Job 33 : « Si fuerit pro eo angelus loquens », etc.

De sexto : Ex magna dilectione ad nos festivaliter gaudent in celis videntes nos bene agere. Luc. 15 : « Dico vobis quod gaudium », etc.

Digitized by Google

— Nota de opposito Is. 33 : « Ecce videntes clamabunt angeli pacis », etc.

De septimo : Anima bona exeunte in articulo mortis angelus divinitus missus precedit exitum propter demones advenientes, et ascendentem custodit inter aereas potestates, et tandem secure introducit in celum. Ex. 23 : « Ecce ego mittam angelum meum », etc. — Nota exemplum Luc. 16 : « Factum est ut moreretur mendicus », etc.

Ex hiis omnibus patet quam devote et sollicite est dicenda oratio : « Angele Dei, qui custos es mei », etc.

De sancto Michaele, archangelo

(Recueil imprimé)

Videte ne contemnatis unum ex his.
(Mat. 18.)

Secundum quod festum presens et solennitas est beati Michaelis archangeli, et omnium angelorum, ita erit et sermo. Si placet Deo habebimus multas bonas doctrinas speculativas pro nostra consolatione, et bonas informationes pro nostra informatione. Sed primo salutetur virgo Maria, etc.

Solennitas et festum hodiernum habet nomen et titulum specialem, et habet officium generale, quia dicitur sancti Michaelis. Ratio est, quia inter omnes sanctos angelos celi, qui descendunt in hunc mundum ad procurandum nostrum bonum, et salvationem, maximus est Michael. Non quod sit major omnibus angelis celi, quia sunt plures quam mille milia majores, nam ipse est de tertio ordine, et habet supra se potestates, virtutes et dominationes, thronos, Cherubin, et Seraphin, qui non mittuntur ad nos, quia dicit sanctus Tho. quod non omnes angeli mittuntur, quia dicit simpliciter : dicendum est quod superiores angeli nunquam ad exterius ministerium mittuntur, sed, ut ibidem dicit, solum de tribus ordinibus inferioribus, sc. angelorum ad procurandum bonum cujuslibet persone in particulari, archangelorum ad procurandum bonum communitatis. Nam quelibet villa, civitas, seu castrum, habet unum in custodia. De tertio ordine, sc. principatus mittuntur ad procurandum bonum regnorum, provinciarum, et regionum, quia quodlibet regnum, provincia, seu regio habet unum, et de istis Michael est maximus. Propter hoc dico quod de illis qui ad nos mittuntur ipse est maximus, et princeps. Autoritas : « Ecce Michael unus de principibus primus venit in adjutorium meum. » (Dan. 10.) Verbum est ecclesie. Propter hoc dico quod istud festum habet titulum, et nomen speciale, sed habet

Digitized by Google

officium generale, quia sicut de omnibus sanctis fit festum generale, prima die novembris, ita hodie fit festum, et solennitas omnium sanctorum angelorum, quia licet non omnes descendant huc ad nos, tamen omnes procurant nobis nostram salutem. « Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.» (Hebr. 1.) Nota administratorii, sc. honoris Dei in ministerium missi. — Diceret aliquis : ergo omnes mittuntur? — Dico quod fit isto modo, quia quando Deus vult nobis aliquid revelare, seu intimare, primo revelat illud cherubinis, et illi revelant illud seraphinis, et illi thronis, et illi dominationibus, et illi virtutibus, et illi potestatibus, et sic omnes mittuntur, sed non omnes veniunt in hunc mundum, ergo licet habeant nomen et titulum specialem, habent tamen officium generale. Autoritas que hodie in modum cantilene cantatûr in Ecclesia : « Collaudamus venerantes omnes celi milites, sed precipue primatem celestis exercitus Michaelem. Propter quod dicit thema : Videte ne contemnatis unum ex his, sc. segregando ab officio ecclesie, quasi dicat Christus pape et prelatis, clericis, et religiosis, et secularibus : Videte ne contem., etc. Patet thema, et sum in materia predicanda.

Inveni in sacra scriptura quod sex utilitates habemus a sanctis angelis. Ideo non est aliquis expellendus ab officio ecclesie. Nam in hoc mundo :

Per angelos sumus contra demones defensati ;
Per angelos sumus in tentationibus consolati ;
Per angelos sumus ad veram penitentiam provocati ;
Per angelos sumus in fide Christiana informati ;
Per angelos sumus coram Deo advocati ;
Per angelos sumus in celo festivati ;
Per angelos erimus ad gloriam portati.

Dico primo quod per sanctos angelos sumus in hoc mundo contra demones defensi. Bene est nobis necessarium. Ratio, quia nos non possumus videre demones inimicos nostros, quia velum carnis impedit, quo amoto videntur ab anima, et miratur. Sed ipsi inimici vident nos, stant in domibus, in viis, etc. Et nisi haberemus angelos defensores, destruerent nos, statim quando creatura nascitur, ab eis suffocaretur ne haberet baptismum. Item quando peccat, ne faceret penitentiam, sed angelus bonus defendit. Item quando creatura facit aliquod bonum, ut orare, missam celebrare, predicare, et similia, destrueret creaturam statim, nisi boni angeli nos defenderent, qui in omnibus operibus et viis nos protegunt. Nam dicit beatus Thomas, quod demones impugnant homines, et est continuum bellum inter homines et demones. Juxta illud apostoli ad Ephes. 5 : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus... in celestibus » Unde circa impugnationem

Digitized by Google

illam duo oportet considerare, ut dicit ibidem : primo ipsam impugnationem, secundo impugnationis ordinem. Impugnatio quidem ipsa ex demonum malitia procedit, qui propter invidiam profectum hominum impedire nituntur, et propter superbiam similitudinem divine potestatis sibi usurpant, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem, sicut et angeli Deo ministrant in determinatis officiis ad hominum salutem. Sed ordo impugnationis ipsius est a Deo, qui ordinate novit malis uti ad bona ea ordinando. Et etiam tam angelorum ipsa custodia quam ordo custodie reducitur ad Deum, sicut ad primum autorem. Et sic quamvis permittat nos Deus tentari, tamen prebet auxilium angelorum, et ideo recte facit Deus, ut Dominus et pastor, qui habet multas oves in nemore ad custodiendum, quibus dat pastores et canes ne a lupis devorentur. Ita fecit Christus, qui dicit : « Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me mee. » (Joan. 10.) Nos vero sumus oves pascentes in nemore hujus mundi, et devoraremur a lupis inferni, nisi Christus mitteret ad nos pastores, sc. sanctos angelos, qui custodiunt regna, provincias, civitates, villas, castra, et quamlibet personam in particulari. Unde ait David : « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. » (Psal. 90.)

Dicatur practice quomodo Deus precipit angelis suis quando mulier debet parere, Christus qui omnia videt, vocat unum angelum suo proprio nomine, ut ait David : omnibus eis nomina vocans. Nos nescimus nisi tria nomina angelorum, sc. Michael, Gabriel, Raphael. Cui dicit : Ecce vides talem mulierem, tali hora pariet, committo tibi filium vel filiam, etc. Et angelus respondet : Domine, reputo mihi ad maximam gratiam et honorem quod committis mihi creaturam, ad imaginem et similitudinem tuam factam, tuo sanguine redemptam ; et humano modo dicendo est ita intelligendum. Et quando nascitur creatura, citius venit in manus angeli quam obstetricis. Ex hoc sequitur correlativum, quod nunquam aliqua mulier parit sine obstretrice, sc. angelo, qui nunquam deserit creaturam illam, quousque est in paradiso, vel in inferno. aut purgatorio. Non dico quod semper sit presens cum creatura, tamen semper est paratus ad adjuvandum creaturam, respiciendo creaturam de celo quid faciat, quo vadat. Et ut dicit beatus Thomas : angelus custos dicitur quandoque desercre eum quem cnstodit, inquantum permittit quod subdatur alicui tribulationi, nunqnam tamen totaliter eum dimittit. Et sic intelligitur : de angelis suis. Et dicit Hieronymus quasi declarando istam autoritatem : « Magna est dignitas animarum, ut unaqueque habeat ab ortu nativitatis angelum bonum sibi in custodiam deputatum et delegatum. » Nota : Magna est dignitas animarum. Pastor multis ovibus dat unum pastorem ad custodiendum, et non cuilibet unum, sed Christus cuilibet persone dat unum angelum, et cuilibet civitati, etc. — Dicatur

Digitized by Google

si rex haberet oves, ut antiquitus reges consueverunt habere oves, et vocaret duos barones et milites ut irent ad nemus custodire oves, etc., quomodo indignarentur ipsi majores, duces, comites, et barones? et tamen majores sunt minores angeli celi quam majores reges terre, et tamen non reputant sibi honorem. Videtur ergo vobis an debemus facere festum de eis? imo certe, ideo videte ne contemnatis.

Dico secundo quod in nostris tentationibus per sanctos angelos in tentationibus consolamur. Quando aliquis demon tentat aliquem de aliquo peccato, angelus videns hoc de celo, subito plusquam aquila descendit, non tamen cogit creaturam ut faciat bonum nec malum, sed dimittit in libertate arbitrii, sed consulit. — Si dicat aliquis : Ego non audio, etc. — Dicatur quod alia est locutio angelorum, et alia hominum quia ex hoc quod unus angelus ex sua voluntate ordinat suum conceptum ad manifestandum alteri, et ei manifestat, tunc dicitur ei loqui sine formatione verborum, ut B. Thomas ad longum declarat. Et ideo ait apostolus : « Si linguis hominum loquar, et angelorum. » (1 ad Corinth. 13.) Homines loquuntur verbis formatis in aere, non loquuntur sic angeli, nisi aliquoties ex miraculo, sicut virgini Marie fuit locutus Gabriel, Danieli, et Thobie, sed loquuntur communiter non ad hominem, sc. ad aures, sed intra hominem, sc. ad imaginationem, quia illam possunt immutare : « Ecce angelus qui loquebatur in me » ; non dicit ad me (Zacha. 1 et 2.) V. gr.: Quando angelus malus dicit tibi : Tu posses congregare magnas divitias si velles mutuare x florenos pro XII. Ista est locutio diaboli. Et si aure cordis attendas, statim angelus bonus dicit : O ! si feceris hoc, esset usura, et damnaberis, quia usura non intrat paradisum. Et malus angelus : Pones in testamento. Et bonus : Interim tu ibis ad infernum, quia tu non habes propositum satisfaciendi, etc. Omnis ergo cogitatio bona que resistit peccato, est locutio boni angel intra imaginationem. Autoritas : « Ecce ego mittam angelum meum qui precedat te, ante sc. quam cadas, et custodiat in via, et introducat in locum quem preparavi. Observa eum, et audi vocem ejus, sc. quid dicet tibi, nec contemnendum putes, sc. peccando, quia non dimittet te cum peccaveris, et est nomen meum in illo. » (Exo. 13.) Cogitate quomodo angelus malus est ad sinistram ut te damnet, bonus vero ad dextram ut te salvet. Patet ergo quomodo in nostris tentationibus per angelos sumus consolati. Ergo videte ne contemnatis, etc.

Dico tertio quod per sanctos angelos ad veram penitentiam sumus provocati et provocamur. Ponatur quod homo magis velit ex tentatione consentire diabolo quam angelo, sicut multoties fit : cogitate qualis verecundia est angelo bono ! Ac si uxor habens pulchrum virum, juvenem, et bonum, et tentaretur coram viro ab ethiope nigro et turpi, et uxor consentiret ei dicendo viro : Vadatis, quia magis volo istum, quam con-

Digitized by Google

fusio esset viro ! Major despectus fit angelo, quando homo consentit diabolo, etc., quia nullus dominus nec etiam rex est aliquid respectu ejus. Nam Christus volens laudare Joannem Baptistam dixit : « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Veruntamen qui minor est in regno celorum, major est illo. » (Mar. 11 et Luc. 7.) Ecce qualis excellentia. Cogitate ergo quando ipso despecto homo facit peccatum, dicit : O ! quid faciam de isto ribaldo ? Et redit ad celum ; veruntatem ex hoc non deserit, imo est paratus bene facere, etc., et post peccatum commissum luxurie, vindicte vel aliud redit quasi diceret : Videbo si potero eum inclinare ad penitentiam, et loquitur imaginationi dicens : Peccasti, ideo confitere, lava animam tuam, et fac penitentiam. De hoc figura legitur, 3 Re. 19, de Helia ambulante per viam desertam bestiis plenam, et dormivit sub umbra juniperi, et angelus Domini tetigit eum, et dixit illi : Surge, comede. Nota bene textum ibidem, quia pulchra est historia. Nam Helias dormiens in via periculosa, est peccator. Presens vita nihil aliud est quam via ; unus vadit, sc. per mortem, et alius venit, sc. per nativitatem, et ibi moritur unus senex, et illic nascitur unus puer. Ubi sunt qui erant ante mille annos? etc. Jam compleverunt viam, et via est periculosa. Et nunquid periculosum esset mare, in quo de quinque navibus vix evaderet una ? etc. Et peccator dormit, non cogitans offensam factam Deo, nec periculum in quo est. sed ridendo, cantando, et saltando vadit ad infernum. Sed quid facit angelus ? excitat eum per compunctionem, etc., inducens ad penitentiam, contritionem, confessionem, et satisfactionem, in remissionem injuriarum ut Deus ei remittat, etc. Nota primo : tetegit angelus Heliam, sc. peccatorem, sc. per compunctionem, non enim expectat infirmitatem. Secundo comedit Helias, id est peccator edere debet,, sc. per eucharistie communionem, quia sicut cibus corporalis confortat ad ambulandum in hac vita, ita cibus spiritualis, etc. Tertio ambulavit per satisfactionem, et male societatis vitationem. Et in his tribus principaliter consistit penitentia, quod per angelum provocemur ad penitentiam. Autoritas Zacha. 4 : « Et reversus est angelus, qui sc. recesserat propter peccatum, qui loquebatur in me, et suscitavit me quasi virum qui suscitatur de somno suo. Ergo videte ne, etc.

Dico quarto quod per sanctos angelos in fide Christiana sumus informati. Fides enim Christiana est tante subtilitatis, altitudinis, et profunditatis, quod intellectus humanus per se non potest attingere ad intelligendum. Credentia Judeorum et philosophorum per intellectum naturalem potest ostendi, sc. quod est unus Deus, unum primum principium, et prima causa, et primus motor. Sed quod ille unus Deus sit pater generans, et filius genitus, et Spiritus Sanctus spiratus, ut exemplificatur in sole, hoc non potest sciri intellectu

Digitized by Google

si rex haberet oves, ut antiquitus reges consueverunt habere oves, et vocaret duos barones et milites ut irent ad nemus custodire oves, etc., quomodo indignarentur ipsi majores, duces, comites, et barones? et tamen majores sunt minores angeli celi quam majores reges terre, et tamen non reputant sibi honorem. Videtur ergo vobis an debemus facere festum de eis? imo certe, ideo videte ne contemnatis.

Dico secundo quod in nostris tentationibus per sanctos angelos in tentationibus consolamur. Quando aliquis demon tentat aliquem de aliquo peccato, angelus videns hoc de celo, subito plusquam aquila descendit, non tamen cogit creaturam ut faciat bonum nec malum, sed dimittit in libertate arbitrii, sed consulit. — Si dicat aliquis : Ego non audio, etc. — Dicatur quod alia est locutio angelorum, et alia hominum quia ex hoc quod unus angelus ex sua voluntate ordinat suum conceptum ad manifestandum alteri, et ei manifestat, tunc dicitur ei loqui sine formatione verborum, ut B. Thomas ad longum declarat. Et ideo ait apostolus : « Si linguis hominum loquar, et angelorum. » (1 ad Corinth. 13.) Homines loquuntur verbis formatis in aere, non loquuntur sic angeli, nisi aliquoties ex miraculo, sicut virgini Marie fuit locutus Gabriel, Danieli, et Thobie, sed loquuntur communiter non ad hominem, sc. ad aures, sed intra hominem, sc. ad imaginationem, quia illam possunt immutare : « Ecce angelus qui loquebatur in me » ; non dicit ad me (Zacha. 1 et 2.) V. gr.: Quando angelus malus dicit tibi : Tu posses congregare magnas divitias si velles mutuare x florenos pro XII. Ista est locutio diaboli. Et si aure cordis attendas, statim angelus bonus dicit : O ! si feceris hoc, esset usura, et damnaberis, quia usura non intrat paradisum. Et malus angelus : Pones in testamento. Et bonus : Interim tu ibis ad infernum, quia tu non habes propositum satisfaciendi, etc. Omnis ergo cogitatio bona que resistit peccato, est locutio boni angel intra imaginationem. Autoritas : « Ecce ego mittam angelum meum qui precedat te, ante sc. quam cadas, et custodiat in via, et introducat in locum quem preparavi. Observa eum, et audi vocem ejus, sc. quid dicet tibi, nec contemnendum putes, sc. peccando, quia non dimittet te cum peccaveris, et est nomen meum in illo. » (Exo. 13.) Cogitate quomodo angelus malus est ad sinistram ut te damnet, bonus vero ad dextram ut te salvet. Patet ergo quomodo in nostris tentationibus per angelos sumus consolati. Ergo videte ne contemnatis, etc.

Dico tertio quod per sanctos angelos ad veram penitentiam sumus provocati et provocamur. Ponatur quod homo magis velit ex tentatione consentire diabolo quam angelo, sicut multoties fit : cogitate qualis verecundia est angelo bono ! Ac si uxor habens pulchrum virum, juvenem, et bonum, et tentaretur coram viro ab ethiope nigro et turpi, et uxor consentiret ei dicendo viro : Vadatis, quia magis volo istum, quam con-

Digitized by Google

fusio esset viro ! Major despectus fit angelo, quando homo consentit diabolo, etc., quia nullus dominus nec etiam rex est aliquid respectu ejus. Nam Christus volens laudare Joannem Baptistam dixit : « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Veruntamen qui minor est in regno celorum, major est illo. » (Mar. 11 et Luc. 7.) Ecce qualis excellentia. Cogitate ergo quando ipso despecto homo facit peccatum, dicit : O ! quid faciam de isto ribaldo ? Et redit ad celum ; veruntatem ex hoc non deserit, imo est paratus bene facere, etc., et post peccatum commissum luxurie, vindicte vel aliud redit quasi diceret : Videbo si potero eum inclinare ad penitentiam, et loquitur imaginationi dicens : Peccasti, ideo confitere, lava animam tuam, et fac penitentiam. De hoc figura legitur, 3 Re. 19, de Helia ambulante per viam desertam bestiis plenam, et dormivit sub umbra juniperi, et angelus Domini tetigit eum, et dixit illi : Surge, comede. Nota bene textum ibidem, quia pulchra est historia. Nam Helias dormiens in via periculosa, est peccator. Presens vita nihil aliud est quam via ; unus vadit, sc. per mortem, et alius venit, sc. per nativitatem, et ibi moritur unus senex, et illic nascitur unus puer. Ubi sunt qui erant ante mille annos ? etc. Jam compleverunt viam, et via est periculosa. Et nunquid periculosum esset mare, in quo de quinque navibus vix evaderet una ? etc. Et peccator dormit, non cogitans offensam factam Deo, nec periculum in quo est. sed ridendo, cantando, et saltando vadit ad infernum. Sed quid facit angelus ? excitat eum per compunctionem, etc., inducens ad penitentiam, contritionem, confessionem, et satisfactionem, in remissionem injuriarum ut Deus ei remittat, etc. Nota primo : tetegit angelus Heliam, sc. peccatorem, sc. per compunctionem, non enim expectat infirmitatem. Secundo comedit Helias, id est peccator edere debet,, sc. per eucharistie communionem, quia sicut cibus corporalis confortat ad ambulandum in hac vita, ita cibus spiritualis, etc. Tertio ambulavit per satisfactionem, et male societatis vitationem. Et in his tribus principaliter consistit penitentia, quod per angelum provocemur ad penitentiam. Autoritas Zacha. 4 : « Et reversus est angelus, qui sc. recesserat propter peccatum, qui loquebatur in me, et suscitavit me quasi virum qui suscitatur de somno suo. Ergo videte ne, etc.

Dico quarto quod per sanctos angelos in fide Christiana sumus informati. Fides enim Christiana est tante subtilitatis, altitudinis, et profunditatis, quod intellectus humanus per se non potest attingere ad intelligendum. Credentia Judeorum et philosophorum per intellectum naturalem potest ostendi, sc. quod est unus Deus, unum primum principium, et prima causa, et primus motor. Sed quod ille unus Deus sit pater generans, et filius genitus, et Spiritus Sanctus spiratus, ut exemplificatur in sole, hoc non potest sciri intellectu

Digitized by Google

naturali. Item quod Deus provideat omnibus creaturis, et animalibus, hoc intellectus post intelligere, sed quod Deus et homo det se ad manducandum in hostia consecrata, non sufficit intellectus noster. Ideo requiritur quod a majori intellectu juvetur, quemadmodum intellectus noster juvatur ab angelis, qui clare vident secretum trinitatis. Intellectus enim noster est ut lux parve candele, que non sufficit ad legendum parvam literam, sed quando juvatur lumine magni cerei, videtur optime, et legitur litera parva, sc. mysterii trinitatis, et aliorum articulorum fidei, quando lumen intellectus nostri juvatur lumine intellectus angelici. Sic fuit de virgine Maria, que licet crederet angelo, tamen dixit : Quomodo fiet istud ? et intellectus angelicus intellectui Marie applicatus dicebat : Spiritus Sanctus superne, etc. Nota obumbrabit tibi. Alie mulieres concipiunt ad ardorem solis, sc. carnalis concupiscentie, sed virgo Maria concepit sine concupiscentia, quia sicut granum formatur intra avellanam, etc. Et virgo illuminata dixit : Ecce ancilla Domini, etc. De ista illuminatione autoritas : « In ipsa nocte, sc. cognitionis nostre obscure, ecce angelus Domini astitit, sc. illuminando, et lumen refulsit in habitaculo », quando homo intelligit dicens : O ! grates Deo, modo intelligo. (Act. 12.) Ideo videte ne, etc.

Dico quinto quod per sanctos angelos sumus coram Deo advocati, quia sunt nostri procuratores. Nam quando aliqua magna questio deducitur coram rege, vel in curia regis contra aliquem miserabilem personam, rex providet illi miserabili persone de notabili advocato. Ita facit Christus. Alte in curia Christi deducitur litigium contra nos, et Christus providet, dans nobis advocatos et procuratores sanctos angelos, ne coronam regni perdamus. Advocant enim, et procurant pro nobis, dicendo bona que fecimus, ut orationes, jejunia, et alias asperitates penitentiales, que multum placent Deo. Thob. 12 : « Quando orabas cum lachrymis, obtuli orationem tuam Domino. » Item aliter advocant pro nobis, quia si ex nostris peccatis meremur punitionem, dicunt Domino Christo : O Domine, expectetis adhuc, etc. De hoc nota parabolam Christi (Luc. 13), de cultore vinee loquente pro ficulnea. Vinea vel hortus Christi est Christianitas, in qua plantatur arbor seu homo in die baptismi, etc. In primo anno, sc. pueritie Dominus querit fructum, ut sciant se signare, et dicere *Pater noster, Ave Maria,* et *Credo*, sed non invenit, quia vos male nutritis filios. In secundo anno, a XV anno usque ad XL qui dicitur annus juventutis, querit Dominus fructum bone vite et penitentie, sed non invenit nisi folia vanitatis in ornamentis, etc. Non enim invenit fructum bone vite. In tertio anno, sc. senectutis non invenit nisi folia, non possunt facere penitentiam jejunando, etc. Et Christus tunc vocat hortulanum, id est angelum custodem dicens : Scinde eam, ut quid terram occupat ? et mittatur in ignem. At ille respondens dicit :

Digitized by Google

Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora. Fodit eam, quando dat compunctiones. Et mittit stercora, quando reducit peccata ad memoriam. Rigat, quando ex contritione funduntur lachryme. Ecce qualem advocatum habemus : « Videte ne contemnatis », etc.

Sexta utilitas est, quia per eos sumus in celo festivati. Ex amore quem habent ad nos faciunt festum de nobis, quando facimus aliquod bonum opus, gaudent et tripudiant. Autoritas Luc. 15 : « Dico vobis, gaudium est angelis Dei in celis super uno pectonre penitentiam agente. » Nota gaudium est in celis. Triplex est gradus bonorum. Primus gradus est bonorum anime quia proficiunt persone particulari, ut jejunare, orare, etc. De isto fit gaudium in ordine angelorum, quia quantumcunque fiat secrete, angeli sciunt et vident totum, et dicunt ad invicem : Vides illum qui jejunat, vel orat, seu disciplinat, etc., gaudent omnes. Secundus gradus est bonorum, que non solum proficiunt persone particulari, sed etiam bono totius communitatis, ut quando rectores curant magis de bono communitatis quam de proprio. De hoc fit festum in ordine archangelorum, quando vident quod corrigunt peccata notoria. Tertius gradus est bonorum, qui non solum respiciunt bona particularis communitatis, sed etiam totius regni, quando reges et consiliarii faciunt sanctas et justas ordinationes, etc. De hoc fit festum in ordine principatuum. Ecce quare dicit : Gaudium est angelis, etc. Nota de opposito. Esaie 33 : « Ecce videntes, sc. peccata nostra, clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt. » Detestationem illam vocant fletum.

Septima utilitas est, quod per sanctos angelos ad gloriam sumus portati. Dicatur quomodo quando persona que tenuit bonam vitam moritur, existente in articulo mortis angelus divinitus missus precedit exitum propter demones advenientes, et ascendentem custodit inter aereas potestates, et tandem secure introducit in celum. Exod. 33 : « Ecce ego mittam angelum meum, qui precedat te et custodiat te in via, et introducat in locum quem preparavi ». Nota exemplum Luc. 16 : « Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrae. » Secus si moritur impenitens. Patet ergo quomodo est faciendum festum de eis. Ideo videte ne contemnatis. Ideo do vobis unum bonum consilium. Credo quod quilibet vestrum habet aliquem sanctum in devotione cui facit orationem, et aliquoties curat parum de vobis propter peccata vestra, sed angelus custos nunquam deserit, ideo esset bonum quolibet mane et sero genibus flexis dicere : Angele qui meus es custos pietate superna, me tibi commissum serva, sc. a malis inclinationibus, defende, sc. a cunctis impugnationibus, guberna, sc. in bonis operationibus. Et sic eos festivando et orando ipsi cum Dei adjutorio procurabunt bonum nostrum. Et habebimus hic Dei gratiam, et in futuro gloriam. Amen.

Digitized by Google

De beato Jeronimo

(Canevas autographe) *

Lucerna fulgoris illuminabit te.
(Luc. 11.)

Beatus Jeronimus recte dicitur :
Lucerna ardens, propter dilectionem caritatis ;
Lucerna fulgoris, propter cognitionem veritatis ;
Lucerna honoris, propter fruitionem deitatis.

De primo : Quilibet in ardore caritatis Deum summe diligens, celum anelanter appetens, proximi bonum diligenter promovens, corpus suum dure penitentie subigens, recte dici potest lucerna ardens. Ex. 27 : « Precipe filiis Israel ut afferant tibi oleum », etc. — Nota hic de vita beati Jeronimi, ad propositum concludendo per illud Jo. 5 : « Ille erat lucerna ardens. » Ergo lucerna ardoris inflammabit te.

De secundo : Beatus Jeronimus majorem fulgorem sapientie et veritatis divine dedit in Ecclesia quam alii doctores ; et hoc singulariter propter interpretationem Biblie, unde fontaliter accipit quilibet divine veritatis cognitionem. Job. 29 : « Splendebat lucerna eius super caput meum », etc. — Nota hic ejus vapulationem cum prius studeret in doctrina Ciceronis. Luc. 11 : « Si corpus tuum totum lucidum fuerit », etc. Ergo lucerna fulgoris illuminabit te.

De tertio : Magni honoris videtur esse lucerna posita coram principe vel prelato in mensa super candelabrum. Hoc autem singulariter verum est de lucernis tabernaculi Domini, quas solus summus sacerdos ponebat ibi. Lev. 24 : « Ponet lucernas Aaron », etc. — Nota hic ejus felicem transitum juxta illud Luc. 5 : « Nemo lucernam accendit... sed super candelabrum. » — Nota tria loca : infernus est absconditus, purgatorium sub modio ; celum empireum est candelabrum super quod positus est beatus Jeronimus.

* Développé nulle part.

Digitized by Google

De beato Francisco

(Canevas autographe) *

Ego stigmata Domini Jhesu in corpore meo porto.
(Gal. ult.)

Hoc intelligi potest spiritualiter per aliqualem imitationem, corporaliter per propriam conditionem.

Primus modus est communis omnibus sanctis et electis Dei : qui enim Christo vult conformari in celestibus fruitionibus, oportet eos prius conformari in penitentialibus passionibus. Gal. 5 : « Carnem suam crucifixerunt », etc. Item Gal. 2 : « Ego... cum Christo confixus sum cruci. »

Secundus modus est proprius beato Francisco. — Nota de impressione stigmatum, ideo proprie potest dicere : « Ego stigmata », etc., sc. impressa sensibiliter per propriam conditionem. Portavit nichilominus hujusmodi stigmata Christi beatus Franciscus per virtualem imitationem, sicut ceteri sancti, in magna perfectione.— Nota de ejus vita juxta moralem intellectum plagarum Christi. — Nota aliam prosequutionem post cognitionem predicti thematis, dicendo quod hujusmodi stigmatum impressio in beato Francisco fuit singulariter propter tria :

Propter demonstrandam ejus interiorem affectionem ;

Propter approbandam ejus evangelicam religionem ;

Propter exaltandam ejus mirabilem perfectionem.

De primo : Intensa cordis affectio signis evidentibus in corpore communiter demonstratur. Patet in patientibus et erubescentibus, et similibus. II Mach. 3 : « Facies et color immutatus », etc. — Nota hic quam permaximo cordis affectu movebatur ad Crucifixum, juxta illud Gal. 6 : « Mihi absit gloriari », etc. Ideo singulariter habuit signa Crucifixi exterius in corpore impressa.

De secundo : Propter approbationem et confirmationem litterarum imprimitur sigillum regium. Esther. 8 : « Epistolis que ex regis nomine mittebantur », etc. — Nota hic de excellentia sue regule et religionis, concludendo per illud Gal. 6 : « Quicumque hanc regulam », etc.

De tertio : Exaltatio et honor est militis, quando insignitur divisa *(sic : devise)* vel indumento regis. Esther. 6 : « Homo quem rex honorare... vestimentis regiis. » Item I Mach. 10 : « Alexander rex... misit ei

* Ce canevas serait mieux approprié à la fête des stigmates de saint François (17 septembre).

Digitized by Google

fibulam auream. » — Nota de singulari perfectione ejus, propter quam taliter fuit hic insignitus. Credibile est etiam quod in resurrectione finali gloriosa ejus stigmata apparebunt ad instar Christi, sicut Augustinus dicit de aliorum sanctorum vulneribus pro Christo susceptis. II Cor. 4 : « Semper mortificationem Jhesu in corpore nostro », etc.

De sancto Francisco

(Recueil imprimé)

Lucerna fulgoris illuminabit te.
(Luc. 11.)

Sermo noster erit de vita illius gloriosissimi confessoris et amici Dei, beati Francisci, et habebimus de vita sua bonas doctrinas, etc. Salutetur virgo Maria, etc.

Pro brevi declaratione hujus verbi, et veniendo ad propositum, sciendum quod in scriptura, ita in veteri testamento sicut in novo, sancti Dei dicuntur lucerne. Ratio, quia sicut in lucerna sunt tria, cera fragilis que liquescit statim ad ignem, secundo ellychnium album, tertio lux clara, ita quelibet persona sancta habet ista tria, sc. corpus fragile, quod igne devotionis liquescit in lachrymis. Secundo intus habet animam albam, claram, innocentem, purificatam a malis cogitationibus quas expellunt, non habent odium nec malitiam contra proximum. Tertio habent lucem gratie Dei, sine qua non essent sancti, que clarificat intellectum ad cognoscendum Deum, et se esse in miseria hujus mundi, ad calefaciendum in bonis operibus. Ecce ratio quare persona sancta dicitur lucerna. Autoritas : Deus enim pater loquens filio suo de Joanne Baptista dixit : « Paravi lucernam, sc. Joannem Baptistam, Christo meo. » Etiam Christus sic vocavit eum. (Jo. 5.) Ille erat lucerna ardens et lucens, id est, illuminans. Patet ergo ratione et autoritate quod sancta persona dicitur lucerna, et in isto intellectu proposui thema : « Lucerna fulgoris illuminabit te. » Et loquitur cuilibet persone, religioso, clerico, vel laico devoto. Nota in ipso quinque radios claritatis a quibus possumus illuminari, et sunt isti, sc. :

Paupertas apostolicalis ;
Asperitas penitentialis ;
Humilitas cordialis ;
Charitas divinalis ;
Firmitas perpetualis.

Digitized by Google

Dico primo quod beatus Franciscus dedit huic mundo radium paupertatis apostolice, que in hoc consistit ut homo omnia relinquat, ut in evangelio discipuli dixerunt: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » (Mat. 19.) Sed diceres: Si non habebant omnia, quia pauperes erant, quomodo ergo reliquerunt omnia? Nota reliquerunt omnia, sc. habita et habenda quantum ad desiderium habendi. Tu dimittis regnum vel prelationem quam forte nunquam habuisses, quando dimittis desiderium habendi. Ideo religiosus licet non habuerit uxorem nec filios, tamen reliquit pro Christo, quia potuit habere. Ideo quia Petrus et alii apostoli dimiserunt omnia habita et desiderium, etc., ideo dicit: Ecce nos reliquimus, etc. — Modo audite quomodo beatus Franciscus reliquit omnia. Dicatur quomodo quando erat juvenis, erat mercator et subtilis. Et quando fuit quasi xx annorum, dum sic negociaretur, intravit quandam ecclesiam. Hoc bonum habebat. Ideo pro nullo negotio debet persona dimittere aliquam orationem, quia de profundo abyssi extrahit peccatorem. Ideo ait David: « Benedictus Deus qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me. » (Ps. 65.) Glosa Aug.: Nunquam amoveatur a te oratio tua, et nunquam amovebitur a te misericordia divina. Ergo ad bonum finem perducit. Propter hoc beatus Franciscus orabat. Cui crucifixus coram quo orabat locutus fuit dicens: Ecclesia mea cadit, repara eam. Cogitate qualem timorem debuit habere; intelligens quod loqueretur de illa ecclesia, vertit se, et vidit quod minabatur ruinam. Et vendidit omnia que habebat, et portavit pecunias curato, ut eam repararet. Et Christus loquebatur de ecclesia universali que tota cadebat. Domini temporales per injustitiam, prelati per negligentiam, religiosi per indevotionem, clerici per inhonestatem; et hoc principaliter intelligebat Christus ut repararetur. Sed beatus Franciscus adhuc non intelligebat, quia ista fuit prima revelatio; qui tamen decetero fuit ardentissimus amator paupertatis, dimittens omnia, et recepit saccum. Non indigebat sartore, et chorda cingebat se, nec induebatur alia veste, et dicit historia quod de die erat vestis, et de nocte *fratum (?)* pediculis plenum, et paupertatem vocabat dominam suam. Hinc dat exemplum religiosis, clericis, et laicis, qui devote se obligarunt ad paupertatem apostolicam, quod nihil possideant tanquam proprium, ut possint dicere cum beato Petro et aliis: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Sed nos modo servamus paupertatem sine defectu, bene pasti, induti, et si aliquid nobis deficiat murmuramus, ideo perdemus promissionem factam nobis a Christo dicens: « Amen dico vobis, etc., sedebitis et vos super sedes xii judicantes xii tribus Israel. » (Mat. 19.) Clerici etiam habent exemplum, quod ex quo habent suos redditus, non congregent superfluos thesauros, juxta verbum Christi: Nolite thesaurizare, congregaudo in cistis, etc. Non solum habent cavere ab usuris, etc., et symoniis, sed ab avaritia. Et quid oportet facere cisternam in domo ubi

Digitized by Google

est fons emanans? Ber.: « O clerice, quicquid preter victum et vestitum simplicem retines, furtum facis, sacrilegium committis ». Hinc est quod dicitur in canonibus : « Clerici quantum ad res ecclesie, cum pauperes sint, alienare eas non possunt ». Laici etiam habent exemplum. Non oportet omnia dimittere, ut beatus Franciscus, sed recognoscatis domum, taxiam, bursam, et si est ibi aliquid de usura, furto, rapina, dimittatis restituendo, alias corrumpet omnia alia. Exemplum de pomo corrupto, quod omnia alia corrumpet, ita de florenis. Ideo apostolus : « Reddite omnibus debita. » (Rom. 1.) Ecce primus radius. Ideo dicit thema : « Lucerna », etc.

Secundus radius est de asperitate penitentiali. Mirum est quod tantam asperitatem faciebat. Dicantur aliqua. Primo non portabat nisi illum saccum in hyeme, et statim intellexit illud evangelium ad literam : Neque duas tunicas habeatis. Dormiebat super terram. Si aliquando fieret sibi aliqua scutella de bono cibo imponebat cineres vel aquam frigidam. Dicatur de tentatione ut haberet uxorem, et filios, etc.: domum fugit, et projecit se in nivem. Ibat discalciatus. Hic dat nobis exemplum ut faciamus aliquam asperitatem penitentialem. Dicunt aliqui stulti et ignorantes : Vah ! quid oportet facere asperitatem, et quid prodest Deo? etc. — Respondeo quod de asperitate quam nos facimus, Deus habet honorem, et nos utilitatem, quia sicut rex quando habet unum castrum rebelle, et miles subjicit castrum, regis est honor, et miles inde habebit salarium, etc. Sic corpus nostrum rebelle est Deo. « Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. » (Gen. 8.) Sed subditur per asperitatem jejunando, etc. Ideo si estis bonus miles, subjiciatis ipsum Deo, quia honor est Dei, utilitas autem vestra. Nam Deus servat istum modum peccatoribus quod in hoc mundo faciant justitiam de se, ipse in alio mundo non faciet justitiam de peccatis. Justitia pro peccatis fit per penitentiales asperitates. Et quando anima talium venit ad judicium, ubi accusatur a diabolo, dicit Christus : Quid dicis tu, anima? Respondet : Domine, verum est quod feci illa, tamen, Domine, feci justitiam, quia si aliquando fui superbus, humiliavi me, et sic de aliis. « Feci judicium, sc. confitendo, et justitiam : non tradas me calumniantibus me. « (Psal. 118.) Dicit Christus : Ego sum contentus. Ecce utilitas. Ideo Christus : Dico vobis quod nisi penitentiam habueritis, omnes simul peribitis. » (Luc. 13.)

Tertius radius est de humilitate cordiali. Erat enim ita humilis quod reputabat se viliorem omnibus, et magis peccatorem. Dicatur quomodo socio oranti fuit visa in celo pulcherrima cathedra cum corona, et dicit : O ! benedictus erit qui in illa collocabitur. Respondit Christus : Cathedram illam perdidit unus princeps de ordine seraphin ex sua superbia, et reservabitur humili Francisco. Unde cum semel ille socius quereret a beato Francisco : Pater, qualem estimationem habetis de vobismet?

Digitized by Google

Respondit: Non credo esse hominem magis peccatorem in mundo quam ego. Et socius: Quomodo habere potestis talem imaginationem de vobis, cum tot gratias recipiatis a Deo? Respondit : Tot gratias recipio, quod si alius reciperet, humilior me fieret, et majus bonum faceret. — Dicatur similitudo. Sint duo homines, et unus habeat paucas possessiones et pecunias, tamen transit. Alius vero recipit mutuo magnum thesaurum, de quo annuatim habet facere certam pensionem, sub pena mortis. Item habet reddere totum illum thesaurum Domino certo die sub pena mortis, et obligatur reddere, etc., magnum onus tenet supra se. Alius autem licet non habeat tantum, transit lete et sine illa obligatione. Ita in proposito : detis mihi unum sanctum : nihil aliud vult dicere quam recepisse a Christo divite mutuo magnum thesaurum sub pena, etc., quod certo tempore reddat sibi rationem. Et quia sanctus cogitat : O ! Deus fecit mihi tantam gratiam de scientia, vel eloquentia, vel faciendi miracula, cum dolore et tristitia et in magna humilitate debeo vivere. Et istud cogitans virgo Maria humiliabatur, que scivit se esse matrem Dei et esse virginem reginam celi. Nam quanto persona sancta est excellentior, tanto esse debet humilior. Eccl. 3 : « Quanto magnus es, sc. in sanctitate, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam », sc. ulteriorem. Quoniam magna potentia Dei solius, qui dat gratiam, et ab humilibus honoratur. Persona autem que a Deo non recipit tot gratias, potest vivere lete, quia non est ita obligata, et cito reddet computum suum. Sicut enim dives habet reddere computum de quolibet floreno, ita sanctus de qualibet gratia. Propter hoc sancti dum magis honorabantur, plus humiliabantur. Ideo Christus : « Omni autem cui multum datum est, multum queretur ab eo. » (Luc. 2.) Ita merito beatus Franciscus humiliabatur recordans intra se illius verbi : « Quanto magnus es, sc. in divitiis, dignitate, prelatione, sanctitate, etc., humilia te in omnibus. » (Eccl. 3.)

Quartus gradus est de charitate divinali. Nam intantum erat inflammatus in amore Dei et proximi, quod volebat ut omnes salvarentur. Et in signum hujus fundavit ordinem fratrum minorum, quo fundato fuit sibi dictum quod regula erat multum fortis, nec posset servari, quod temperaret. Respondit : Ego scripsi quod Christus ore suo ordinavit. Ideo nihil mutabo, quia servus in littera Domini nihil potest mutare. Qui illam regulam servat, sanctus est, et quando moritur, posset canonizari, sed vix de mille unus servat. Deinde dixit : Et nunquid etiam mulieres debent salvari? Respondit : Et nunquid Christus de muliere voluit nasci? Ideo pro salvatione mulierum fecit alium ordinem. Ecce quanta charitas. Deinde ut de statu matrimonii possent facilius salvari, fecit tertiam regulam. Et quia ita erat ardens in charitate, apparuit quasi seraph. Et subito ac si a balista emitteretur clavus quidam de nervo, percussit manum dextram, deinde sinistram, etiam in pedibus habuit

Digitized by Google

plagas, intantum quod poterat dicere: « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. » (Gala. ult.) Dicatur quomodo ex humilitate abscondebat plagas, ut vitaret vanam gloriam. Optime servabat illud preceptum: « Charitas vestra magis ac magis abundet. » (Phil. 1.) Hic habemus exemplum nos religiosi, quia si non possumus tantam habere charitatem ut beatus Franciscus, ad minus habeamus istam formam servandi regulam. Non vivamus sicut alii vivunt, sed sicut Dominus, ut dicit apostolus: « Quicunque enim in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. » (Rom. 2.) Lex religiosorum est regula. Dicatur practica de examine in capitulo culparum in judicio Christi ad portam paradisi, cum miraculo illius fratris minoris, quod legirur in vita beati Francisci composita a duodecim sociis. Si vellet se religiosus excusare dicens: Domine, non servavi, quia alii non servabant. Ideo vadas cum eis ad infernum. Dicunt aliqui: Prelatus dispensat. Nota differentiam inter dispensationem et dissipationem. Dispensatio est relaxatio juris communis pro loco et tempore. Pro loco, quando cum rege habet comedere, etc. Tempore, sc. pestillentie, vel venit de foris lassus, etc. Sed indifferenter comedere carnes non est dispensatio, sed dissipatio. Et qui dispensat isto modo, et qui utitur peccat. Religiosus enim debet respicere regulam, ut mulier vana speculum. Charitas vero laicorum et sacerdotum consistit in duobus. Primo ut dicant officium divinum distincte, etc. Secundo ut vivant honeste propter illud sacramentum quod tractant, etc. Charitas laicorum, ut servent dominicam ipsi, filii, et famuli, et animalia, quia magis proficiunt campi, et vinee, et alia ex missa audita, quam ex vestro labore. Ideo 1 ad Corinth. 16: « Omnia opera vestra fiant in charitate. »

Quintus radius est firmitas perpetualis, quia in tota vita sua perseveravit in sanctitate et bona vita. Multi incipiunt servire Deo ferventer. ut religiosus in noviciatu, sed ex quo fecerunt prefessionem, etc., dicit unus: Ego sum jubileus, ego sum magister. Non emisit votum usque ad jubileum, vel ad magisterium, sed usque ad mortem. Idem de laïcis devote incipientibus, sed paulatim dimittunt, etc. Idem de clericis, ut aqua calida que paulatim frigescit. Non sic fecit beatus Franciscus, sed firmiter perseveravit. Propter hoc Deus sibi revelavit diem sui obitus dicens: Tali die venies ad paradisum; et revelavit fratribus suis, et in die obitus fecit portare cineres et cilicium, et posuit se ibi nudus, petens habitum sibi accomodari a gardiano quousque objisset. In obitu autem anima ejus sanctissima clara ut luna visa est celum ascendere. Ideo continuemus in bona vita. Modus est cogitando et dicendo intra se: Videamus: est annus ubi ego eram? et quomodo vadit modo? Si invenit se meliorem, bene stat, signum est quod ambulastis. Non credatis quod perfectio sanctitatis consistat solum in additione bonorum operum, sed consistit in additione bonorum operum cum augmento devotionis. Ita fecit beatus Franciscus. Ideo dicit thema: « Lucerna fulgoris illuminabit te ».

Digitized by Google

De beato Lucha

(Canevas autographe)

Dignus est operarius mercede sua.
(Luc. 10.)

Inter alia bona opera homo meretur mercedem apud Deum :
Obediendo humiliter ;
Tribuendo utiliter ;
Instruendo veraciter ;
Patiendo ylariter.

Hec quatuor perfecte habuit beatus Luchas evangelista, ideo recte de eo dicitur : « Dignus est operarius », etc.

De primo : Obedientia divinis preceptis homo meretur mercedem apud Deum, non quidem ex debito divine obligationis, sed ratione divine ordinationis et promissionis, sicut sclavus apud Dominum suum. Luc. 17 : « Quis vestrum habens servum », etc. Eccl. 36 : « Da, Domine, mercedem sustinentibus te. » — Nota de obedientia perfecta beati Luce ad precepta et consilia, juxta illud Jeronimi in prologis de eo : « Luchas... Domino maluit servire. »

De secundo : Fidelis dispensator bonorum Domini sui mercedem ex sua fideli dispensatione reportat. Luc. 12 : « Quis putas est fidelis dispensator », etc. Mat. 10 : « Quicumque potum dederit uni », etc. Item Luc. 6 : « Mutuum date », etc. — Nota hic de distributione bonorum suorum quando fuit factus discipulus apostolorum, juxta illud Act. 4 : « Quotquot possessores agrorum », etc.

De tertio : Merces magna dabitur militi qui per suam industriam non solum custodit castrum sibi commissum, sed adquirit multa castra inimicorum domino suo, bellando. Unde victorioso Abrahe dictum est. Gen. 15 : « Noli timere, Abram », etc. Et Prov. 11 : « Seminanti justitiam merces fidelis », etc. — Nota hic de doctrina ejus non solum verbo sed scripto, juxta II Cor 8 : « Misimus fratrem nostrum », etc.

De quarto : Ylaritas patientie in adversis propter Christum procedit ex magnitudine caritatis (Rom. 5 : « Gloriamur in tribulationibus quia caritas Dei », etc.), que est radix meriti apud Deum. Mat. 5 : « Cum maledixerint vobis homines », etc. Et Jer. 31 : Quiescat vox tua a ploratu », etc. — Nota hic de ejus individuo comitatu in tribulationibus Pauli. Thi. 4 : « Lucas est mecum solus », etc. Item nota in collecta hodierna : « Domine, sanctus tuus Luchas crucis mortificationem », etc,

Digitized by Google

De sancto Luca, evangelista

(Recueil imprimé)

Dignus est operarius mercede sua.
(Luc. 10.)

Intellectus hujus verbi secundum intellectum quem volo pertractare est iste: Beatus Lucas bonus operarius dignus fuit de mercede sua, sc. de gloria sua. Modo pertractando istud verbum invenitur in sacra scriptura quod per quatuor virtutes singulariter meremur gloriam paradisi, sc.:

Per generalem obedientiam;
Per liberalem misericordiam;
Per divinalem sapientiam;
Per virtualem penitentiam.

Ecce hic quatuor virtutes per quas in sacra scriptura clare ostenditur quod possumus acquirere salarium glorie celestis. Et quia beatus Lucas habuit ista quatuor in generali, et quamlibet in particulari, ideo possum de eo concludere thema: Dignus est operarius mercede sua. Modo dicamus de qualibet.

Dico primo, etc. Generalis obedientia est obedire omnibus preceptis Dei, pro nullo honore seu utilitate habenda facere contra Dei precepta, talis est dignus salario glorie. Sed volo vos avisare hic. Non credatis quod pro aliqua obedientia vel sancta vita debeatis habere gloriam ejus ex debito, sed ex divina ordinatione et promissione, quia ipse ita promisit. Non dicere debetis: Domine, detis mihi gloriam quam mihi debetis, quia servivi vobis, sed dicere oportet: Domine, ego obedivi et servivi vobis, ideo detis mihi gloriam, quia ita promisistis. Declaratur exemplo servi obedientis preceptis Domini, si ex hoc peteret salarium, diceret sibi Dominus: Et tu petis salarium? et nunquid es captivus meus? servias mihi bene, et sis mihi obediens, quia promitto tibi quod pro quolibet opere dabo tibi salarium et hereditatem meam. Tunc captivi possent petere salarium, non ex debito, sed ex promissione Domini. Ita de nobis, nullus reputet sibi ad injuriam, quia omnes sumus captivi Christi, justo precio empti, sc. sanguine suo. In mensa enim cambii, sc. crucis solvit patri, aperiens bursam corporis sui in capite per coronam spineam, et sic de aliis. Ideo omnes sumus captivi sui, et noster honor est. Ideo beata Agatha dicebat: Summa ingenuitas, id est nobilitas est, in qua Christi servitus comprobatur, ideo servilem me ostendo personam. « Non enim estis vestri, empti estis precio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro. » (1 ad Cor. 6.) Igitur licet bene serviamus et obediamus preceptis Dei ex debito, non possumus petere paradisum. Si anima alicujus sancti ad portam paradisi allegaret: Detis mihi para-

Digitized by Google

disum, quia ego servivi vobis, etc., non est bona ratio, quia posset respondere Christus : Fecisti quod debuisti, alias, etc. Autoritas : « Cum feceritis omnia que precepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus. » (Luc. 17.) Ergo quo jure potero petere gloriam ? Dico quod sic : Domine, detis mihi gloriam quam promisistis illis qui obedirent vobis. Instrumentum recepit : « Quia facit voluntatem patris mei qui in celis est, ipse intrabit in regnum celorum. » (Mat. 7.) Cui dicet Christus : Veni, intra in gaudium Domini tui. Ecce quomodo intelligitur obedientia generalis. « Da mercedem, Domine, sustinentibus te, id est super se tenentibus mandata tua, ut prophete tui fideles inveniantur. » (Eccl. 36.)

Dico quod isto modo beatus Lucas acquisivit mercedem glorie. Fuit enim obediens non solum preceptis, sed etiam consiliis, quia dicit beatus Hieronymus quod nunquam peccavit mortaliter, quia semper sine crimine fuit. Sequitur ergo quod nunquam fecit contra percepta divina, nec per superbiam, licet haberet scientiam que inflat, quia erat medicus aptissimus. Dicatur quomodo in qualibet facultate, quanto aliquis est excellentior, tanto est magis superbus, quia scientia inflat in corde. (1 Corint. 8.) Sed beatus Lucas taliter se gubernavit, quod ex superbia non fecit contra Dei preceptum. In studio non despiciebat aliquem, nec superbiebat legendo seu disputando, etc., nec in repetitione quam fecit reversus de studio.— Item nec per peccatum avaritie. Medicus enim peritus multa potest congregare, magni Domini recurrunt ad eum, etc. Sed beatus Lucas a divitibus recipiebat, a pauperibus nihil, imo aliquoties emebat medicinas eis necessarias. Item nec per luxuriam, imo ut dicit Hieronymus, nunquam habuit uxorem, nec filios. Dicatur hic practice quomodo amici tractabant dare sibi uxorem postquam fuit reversus de studio. — Nec per invidiam, que communiter est inter medicos, sed beatus Lucas semper commendabat alios, nec despiciebat, imo quando amici infirmi vel infirmorum dicebant : Nos sumus contenti de vobis, dicebat : Imo teneatis talem, quia bonam scientiam habet, etc. Nec per gulam, dicit Hieronymus quod virgo perseveravit semper. Modo virginitas non potest bene custodiri a guloso. De quolibet statu dic, quia persona gulosa necessario erit luxuriosa. Ratio, quia ille partes vicine sunt, et una invitat aliam, sicut socius socium. Ideo qui vult vivere caste in mala societate, et cum pleno ventre, dicit Bernardus quod esset majus miraculum quam suscitare mortuos. — Nec ex peccato ire. Utinam omnes religiosi essent ita patientes ! nunquam ex aliqua injuria abstulit verbum alicui. Dicatur contra vitium mulierum. Item primo ibat ad petendum veniam, licet fuisset injuriatus.— Nec per acidiam, quia sicut ovum est plenum, ita tempus beati Luce. O quot permittunt perdere tempus ! Et quia non fecit contra mandatum Dei, possumus dicere quod habuit obedientiam generalem. Totum hoc dicit beatus Hieronymus in prologo

Digitized by Google

super Lucam. Ergo possumus dicere : Dignus est operarius mercede sua.— Moraliter hic est notandum nobis quod ad minus habeamus obedientiam ad decem mandata. Ideo dedit Deus decem digitos in manu, concludendo per illud : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata Dei. » (Mat. 19.)

Dico secundo, etc. Liberalis misericordia est, quando de bonis temporalibus vel spiritualibus homo dat indigenti, talis meretur salarium glorie. Quilibet enim thesaurarius dispensans bona Domini secundum voluntatem Domini sui meretur salarium. Modo quilibet dives est dispensator et minister illius magni regis Jesu Christi. Non credatis vos esse dominos, nec talis stultitia intret in corda divitum, quia qui Dominus est nulli tenetur reddere computum, vos autem de omnibus oportet reddere rationem quomodo acquisivistis, expendistis, etc., usque ad ultimum quadrantem habetis dare computum Christo. Iste error dicendo : De meis pecuniis, etc., nunquid potero recipere aliquod interesse ? facit multos damnare. Ratio est usurariorum, sed realiter Christus est Dominus. « Domini est terra », etc., vos, divites, estis solum ministri et dispensatores : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores. » (1 Cor. 4.) Si ergo dispensatis secundum voluntatem suam, digni estis mercede. Voluntas sua est ut dispensetis primo in domo vestra in vestris necessitatibus, non in vanitatibus, quia alias puniret vos, etc. Secundo recepta necessitate detis pauperibus, vel mutuetis sine usura. Ecce quid dicit instrumentum commissionis : « Tu dives, non feneraberis fratri tuo ad usuram », etc. (Deuter. 23.) Proditor esset dispensator regis si de pecunia regis diceret : Nunquid de mea moneta potero recipere emolumenta ? Quando autem divitis liberalis anima vadit ad portam paradisi, et dicit Christus : Quid fecisti ? Respondet anima : Domine, dispensavi bona vestra secundum voluntatem vestram, recepta necessitate dedi, etc., et mutavi sine usura, mercedem glorie recipit. Autoritas : « Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aque frigide tantum, quanto magis qui dat vinum ! etc., in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. » (Mat. 10.) Item Luc. 6 : « Mutuum date, nihil inde sperantes, et erit merces vestra multa. » Quia si de usura deberet recipere centum florenos, et non facit, Deus dat sibi cc hic, et gloriam in paradiso. Patet ergo quomodo ex misericordia acquiritur gloria paradisi.

Dicatur hic de misericordia beati Luce. Quando enim audivit famam duodecim apostolorum, quasi duodecim medicorum, curantium omnes infirmitates, surdos, et cecos, etc., admirans quia ars medicine non sufficit ad hoc, voluit ire et videre apostolos, cum adhuc esset infidelis, et venit ad Hierusalem ad beatum Petrum dicens : Audivi famam de curis vestris quas facitis, tamen video quod estis pauperes. Et beatus Petrus

Digitized by Google

dixit sibi quomodo quidam magnus medicus venerat de celo, et ostendit eis artem quod sine purgatione sanarent, etc. Finaliter predicavit sibi fidem Christi, quam firmavit miraculis. Propter quod beatus Lucas baptizatur, et petiit a beato Petro ut diceret sibi quid habebat facere, et Petrus dixit : « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia que habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo. » Dicatur quomodo fuit reversus Antiochiam, et vendidit domum, possessiones, et quicquid habebat. Modo dixit ipse : oportet quod istud distribuatur pauperibus, sed quibus ? quia aliqui sunt pauperes qui vadunt ad tabernas, etc. Isti non habent nisi unicam rationem, ut homo det eis, quia sunt ad imaginem Dei. Alii sunt pauperes bone vite qui serviunt Christo, ideo illis dabo. Portavit saccum pecunie, et posuit ad pedes apostolorum ut distribuerent pauperibus. — Hoc extrahitur ab illo textu Actuum 4. Nota ibidem textum, quia dicit : Quotquot enim. Nota : universaliter loquitur, possessores agrorum aut domorum erant vendentes, afferebant precia eorum que vendebant et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout unicuique opus erat. Ergo si ex liberali misericordia homo meretur regnum celorum, quid dicemus de beato Luca? Dignus operarius, etc. — Moraliter hic dico vobis quod tenemini ad hoc, quod si in domo vel in bursa vestra habetis aliquid de malo justo, distribuatis restituendo, alias corrumpetis quicquid habetis, ut pomum corruptum corrumpit alia, ita florenus corruptus. Sicut projicitur ergo pomum, projiciatis restituendo, et sic conservantur bona. Si habetis aliquid de mortuis, de hospitalibus, vel de ecclesia, et de servitoribus, de laboribus, de usuris, et furtis, reddatis ne corrumpant alia : « Reddite omnibus debita. » (Rom. 13.)

Dico tertio, etc. Divina sapientia est scire gubernare personam suam juxta Dei voluntatem in virtutibus et bonis operibus, et ultra hoc attrahere bonis modis alios ad Deum. Sicut si rex committeret unum castrum uni militi dicens : Scias bene defendere istud castrum ab inimicis. Si iste miles sit strenuus, et valens, et non solum custodit illud castrum fideliter, sed etiam faciendo pugnas inimicis regis acquirit regi x vel xv aut xxx castra, nunquid tunc meretur regis salarium ? Imo. Ita de nobis, quilibet nostrum habet unum castrum sibi commissum, sc. semetipsum, a rege Christo, qui plus diligit unum castrum de istis, quam rex regnum, dicens in instrumento commissionis : « Custodi temetipsum et animam tuam sollicite. » (Deut. 4.) In fine quando dicit regi Christo : Ecce, Domine, animam quam conservavi, etc., meretur salarium, etc. Sed quando non solum custodit castrum per vitam, sed ultra hoc lucratur de castris inimicorum per bonam vitam seu doctrinam. Castra inimicorum sunt persone male et peccatores. Persona superba est castrum possessum a diabolo Leviathan, et sic de aliis septem. Et expugnantur per

Digitized by Google

sanctam vitam, et doctrinam bonam predicando, quando convertitur superbus, et humiliatus subjicitur Christo, et sic de aliis. Unde quot peccatores convertit unus predicator, tot castra acquirit, talis magnum salarium meretur. Autoritas, et fuit dictum victorioso Abrahe in persona predicatoris : « Noli timere Abraham, id est predicator, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. » (Gen. 15.) Nota : noli timere, quia predicator multos habet inimicos. Primo demones. Secundo detractores, invidos, etc. « Seminanti justitiam merces fidelis. » (Prov. 11.) Seminator justitie in agris conscientie est predicator. Istam sapientiam et virtutem habuit beatus Lucas excellenter, qui XXXVII annis predicavit per mundum cum beato Paulo, socius suus fuit, ibat de villa in villam, etc. O quot castra acquisivit Christo ! Non recedebat ab apostolo, intantum quod dicitt apostolus : « Omnes me dereliquerunt, Lucas est mecum solus. » (1 Tim. 4.)

Imo etiam hodie quolibet die bellat, et acquirit castra ex suo devoto et magis completo evangelio quam aliorum, et cum actibus apostolorum. Multa enim dicit que alii tacuerunt, sicut de conceptione et nativitate Joannis Baptiste, de annunciatione virginis. Lucas hoc dicit. Item de nativitate Christi in porticu, et de angelis cantantibus, solus Lucas de hoc dicit. Item de pastoribus adorantibus, solus Lucas dicit. Item de circuncisione et templi presentatione. Item de vita Christi a XII annis usque ad XXX solus dicit Lucas : « Erat subditus illis ». Dicit Lyra quod juvabat Joseph, etc. Et beatus Lucas ista habuit a virgine Maria, que multum eum diligebat, quia erat virgo, et ipse etiam diligebat virginem, ideo eam depinxit, et fecit Veronicam. Veniebat enim ad virginem dicens : Virgo benedicta, etc. Mattheus et Marcus non dicunt aliquid de annunciatione et nativitate, ideo, etc. Item de passione dixit : Benedicta ! Alii evangeliste nihil ponunt nec dicunt nisi quod dixit : Hely, hely ! Dicatis mihi que alia verba dixit. Et virgo Maria incepit flere dicens : O Luca ! hoc esset renovare dolorem. Et Lucas : Et, virgo gloriosa, bonum est quod Christiani sciant propter devotionem. Ideo virgo Maria, etc. Ad quem ait virgo : In die veneris sancta quando Joannes venit ad me dicens quod filius meus ducebatur ad crucifigendum, exivi domum, et obviavi filio meo, etc. Vidi mulieres flentes post eum, et filius meus vertens se ad eas dixit : « Filie Hierusalem, nolite flere super me, sed super vosmetipsas flete, et super filios vestros. » Et virgo Maria et Lucas ambo flebant. Solus Lucas scripsit hoc verbum, sicut habuit a virgine Maria. Item alia die Lucas quesivit a virgine : Utrum quando fuit in cruce dixit aliquod verbum : O ! dixit virgo Maria, et tam magnus dolor, etc. « Pater dimitte illis », etc. Item quesivit de ultimo verbo, etc. « In manus tuas », etc. Ita quod evangelium Luce est magis completum, intantum quod beata Martha ex his devotionibus

Digitized by Google

in suo obitu solum istud evangelium Luce voluit ut sibi legeretur. A principio legebatur per omnes ecclesias. « Misimus fratrem nostrum. Glosa : Lucam, cujus laus est in evangelio per omnes ecclesias », etc. (II Corinth. 8.) Fiat ergo ratio, si ex divina sapientia aliquis meretur salarium glorie, et beatus Lucas, etc.

Dico quarto, etc. Penitentia virtualis est jejunare, disciplinare se, vel portare cilicium, etc. Ut faciebant sancti, Dominicus, Franciscus, Benedictus, etc., ex his meretur salarium glorie. Autoritas : « Beati qui nunc esuritis, ecce jejunia, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Sequitur : Gaudete et exultate, ecce merces vestra multa est in celo. » (Luc. 6.) — Diceret hic aliquis ignorans : Quid oportet facere aliud ? nam Christus quando respondit querenti : Domine, quid boni faciam ut habeam vitam eternam ? Dixit Christus : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata Dei, et non dixit : Fac penitentiam, igitur. — Respondeo, quod ad servandum bonam vitam in futurum sufficit servare mandata, sc. decem precepta, nam pro peccatis preteritis est penitentia. Et Christus hoc precepit dicens : « Penitentiam agite, appropinquavit enim regnum celorum. » (Matth. 4.) Et nisi hoc faciant, ecce quid dicit : « Dico vobis quod nisi penitentiam habueritis, omnes simul peribitis. » (Luc. 18.) Istam fecit beatus Lucas, qui XXXVII annis laboravit eum Paulo inter infideles, ut fuisset martyr, sed nullus voluit eum occidere, sed ipse seipsum mortificavit, juxta consilium apostoli : « Mortificate membra vestra que sunt super terram ». (Ad Cor. 3.) Mortificat corpus suum qui penitentiam virtualem facit. Ideo ecclesia in collecta sua dicit : Domine, sanctus tuus Lucas evangelista, qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro tui nominis amore portavit, etc.

Deo gratias.

Digitized by Google

Die apostolorum Simonis et Jude

(Canevas autographe)

Predestinavit conformes fieri ymaginis Filii sui.
(Rom. 8.)

Apostoli isti duo fuerunt Christo conformes :
In corpore carnali ;
In opere virtuali ;
In anima rationali ;
In vita spirituali ;
In doctrina evangelicali ;
In morte temporali.

De primo : Fuerunt consanguinei germani ipsius Christi, filii, sc. Marie Cleophe que fuit propria soror beate Virginis. Ideo Mat. 13 : « Nonne mater ejus... et fratres ejus Simon et Judas », etc. — Moraliter juxta illud : « Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore », etc. (Rom. 6.)

De secundo : Opus Christi patet 1 Joan. 3 : « In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera dyaboli », etc. — Nota de extirpatione Zara et Arfaxat incantatoris. — Moraliter juxta illud Lev. 20 : « Sive vir sive mulier in quibus fuerit pithonicus », etc.

De tertio : Anima Christi fuit prescia futurorum. Ps. 138 : « Ecce, Domine, tu cognovisti omnia », etc. — Nota de prenunciatione pacis Indorum. — Moraliter juxta illud Deut. 32 : « Utinam saperent », etc.

De quarto : Christus vixit in paupertate. Cor. 8 : « Scitis gratiam Domini », etc. — Nota quomodo respuerunt thesauros pontificum sibi oblatos. — Moraliter juxta illud Mat. 6 : « Nolite thesaurizare », etc.

De quinto : Doctrina Christi fuit evangelica. Marc. 1 : « Venit Jhesus predicans », etc. — Nota hic de liberatione dyaconi innocentis et occultatione hominis nocentis. — Moraliter juxta illud Mat. 18 : « Non est voluntas ante patrem vestrum », etc.

De sexto : Christus mori voluit ut homines ad Deum traheret. 1 Pet. 3 : « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est », etc. — Nota martyrium eorum quia reprobabant adorationem solis. — Moraliter juxta illud Deut. 4 : « Ne oculis elevatis ad celum videas solem et lunam. »

Digitized by Google

De sanctis Symone et Juda, apostolis

(Recueil imprimé)

Conformes imaginis filii Dei.
(Rom. 8.)

Tota festivitas, solennitas, et officium hodiernum est duorum sanctorum apostolorum Symonis et Jude, non illius proditoris, quia de illo Christiani non faciunt festum, sed demones in inferno. Sed iste dicitur Judas Thaddeus, sanctus, bonus, et apostolus Jesu Christi. De his etiam erit sermo noster. Si placet Deo, de eorum vita et sanctitate recipiemus instructionem vite. Salutetur virgo Maria.

Istud verbum dicitur in epistola hodierna, loquens enim de his duobus apostolis dicit quod isti duo apostoli fuerunt conformes, id est, similes imaginis filii Dei. Pro cujus intellectu oportet declarare quid est imago filii Dei. Pro quo sciendum quod imago propria filii Dei est vita sancta, benedicta, et perfecta Christi. Ratio, quia qui stricte vult cogitare vitam sanctissimam Christi, sc. ejus incarnationem, nativitatem, conversationem, passionem, resurrectionem, et ejus ascensionem, inveniet quod erat propria imago filii Dei, et non filii virginis. Sicut enim imago alicujus sancti, ut virginis, vel beati Petri, etc., representat sanctum vel sanctam, ita vita Christi devote contemplata representat nobis quod est filius Dei eterni. Primo in ejus incarnatione, quia sine homine in matre virgine fuit conceptus. Item quia natus de matre virgine sine dolore pariente.

Item de noctis claritate, quia de corpore Christi procedebat claritas plusquam a sole. Item de angelis cantantibus, et tripudiantibus, etc., cantilenam cantantibus : Gloria in excelsis Deo, etc. Item quia a bove et asino in presepio adoratus, et etiam a pastoribus. Item de stella orientis et tribus regibus. Item miracula que fecit in vita. Item in baptismo celum fuit apertum, et Spiritus Sanctus in specie columbe visus est, et vox patris intonuit dicens : Hic est filius meus dilectus, etc. Item resurrectio et ascensio. Omnia ista ostendebant Jesum Christum esse filium Dei eternum. Patet ergo quod vita Christi est imago propria filii Dei. Ideo dicit apostolus in persona Christianorum bone vite : « Nos omnes revelata facie, non cooperta facie ut Judei, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur. » (II Cor. 3.) Nota : transformamur. Sicut enim pictores quando volunt extrahere aliquam imaginem ponunt illam coram se, et illam contemplando depingunt. Ita sancti coram se ponebant imaginem filii Dei, id est vitam Christi, ad cujus similitudinem ordinabant suam vitam. Primo respiciendo vitam Christi, sc. incarnationem, in qua ostendit infinitam humilitatem, quia voluit de illo palatio descendere ad carcerem hujus mundi, et dicebant ;

Digitized by Google

O quantum ego debeo humiliari qui sum vermis putridus, etc. Item cum esset Dominus omnium, voluit fieri pauper. Ideo vitabant avaritiam. Item potuit eligere aliam matrem, sed noluit nisi virginem. Ideo vitabant luxuriam. Item cum nullum haberet peccatum, voluit facere tantam abstinentiam, quod XL diebus et noctibus jejunavit nihil comedens, nunquam fuit talis quadragesima, tota enim alia vita Christi erat quadragesima, non comedebat nisi semel in die. Ex isto sancti depingebant vitam suam vitando gulam. Item habuit maximam patientiam. Ideo sancti non portabant malam voluntatem, nec volebant de injuriis vindictam. Item Christus habuit magnam diligentiam, quasi per totam noctem pernoctabat orando. Cogitate quod cum lachrymis et genibus flexis, totum hoc pro nobis fecit, quia pro se non indigebat, ibat cum labore predicando, etc. Ab ista imagine, sc. vita Christi, Christiani debent recipere exemplare, eorum vitam depingendo in bonis operibus. Ecce quare dicit : Nos revelata facie speculantes, etc. Patet ergo quod imago filii Dei est vita Christi. Modo thema est clarum, cum dicit de his duobus sanctis apostolis. Conformes, id est, similes imaginis filii Dei, id est, vite Christi.

Modo videamus in quibus fuerunt similes vite Christi. Et invenio quod in sex fuerunt similes, sc.:

Primo in corpore materiali ;
Secundo in anima rationali ;
Tertio in opere virtuali ;
Quarto in conversatione spirituali ;
Quinto in predicatione evangelicali ;
Sexto in passione martyriali.

In his sex fuerunt Christo similes. Ideo dicit thema : Conformes imaginis, etc.

Dico primo, etc., in corpore materiali. Sed quare magis isti duo quam alii ? Quia isti fuerunt filii Marie Cleophe sororis virginis secundo genite. Dicatur quomodo beata Anna mater virginis Marie nunquam habuit filios, sed habuit tres filias. Prima fuit virgo Maria genitrix Dei. Secunda Maria Cleophe mater istorum apostolorum, Simonis et Jude. Tertia Maria fuit Salome, mater Joannis evangeliste, et Jacobi majoris. Propinquiores erant isti duo, Simon et Judas, Christo quia filii secunde genite. O qualis honor est iste ! sicut si rex vestiret se de capite optime pecie panni, et diceret duobus militibus : Induatis vos de fine. Magnum honorem et majorem dilectionem ostenderet illis qui de medio induerentur pecie panni. Ista pretiosa scarlata fuit beata Anna mater virginis. De ista pecia caput fuit virgo Maria, de qua Christus indutus est veste humanitatis. Media enim fuit Maria Cleophe, de qua induti fuerunt isti duo. Finis pecie fuit Maria Salome, de qua induti fuerunt Joannes et

Digitized by Google

Jacobus. Ecce quomodo fuerunt conformes Christo in corpore materiali. Ex ista conformitate non solum scriptura dicit ipsos consanguineos Christi, sed fratres propter proximitatem : « Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Simon et Judas? » (Matth. 13.) Conformes imagines filii Dei, sc. in corpore materiali.

Moraliter istam vel similem conformitatem possumus nos habere cum Christo in corpore virtualiter, et erit melior quam istorum duorum. Ista enim fuit carnalis, sed nostra erit virtualis, que est melior. Ista est penitentia de qua Christus erat indutus, intantum quod cum fuisset XXX annorum, videbatur XL vel L. (Joan. 8.) Dicit glosa quod ex jejuniis, et laboribus, et afflictionibus videbatur L annorum. Si ergo volumus esse conformes, non curemus quod non sumus filii Marie Cleophe, sed alterius sororis virginis Marie, que prior erat quam Maria Cleophe, sc. penitentia, quia quando virgo Maria fuit trium annorum, incepit penitentiam facere, sc. in templo, etc. Istius ergo simus filii, quia licet Simon et Judas fuissent filii Marie Cleophe, et consanguinei, germani Christi, nisi fuissent filii penitentie per bonam vitam, damnati fuissent. Magis sunt sancti et salvati, quia sunt filii penitentie, quam quia sunt filii Marie Cleophe. Ita est de nobis si facimus penitentiam, de quibus dicit apostolus : « Non confunditur fratres eos vocare, sc. illos qui faciunt penitentiam. » (Hebr. 2.) Aliqui valde fugiunt istam parentelam Christi, elongantes se a penitentia. Primo a jejuniis vigiliarum et quadragesime, nolunt audire missam jejunii. Si enim aliquis habet loqui regi vel pape, cavet sibi ne habeat anhelitum fetidum, sic quando oratio fit in jejunio, est quasi incensum, et potest dicere : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo », etc. Alii jejunant per totam diem, et in collatione frangunt jejunium, comedentes panem contra ordinationem ecclesie, et volendo se excusare dicunt : Majorem confortationem dant confectiones quas comedunt prelati, etc. Dicatur similitudo de duobus, quorum unus in quadragesima comedit bonum piscem et cum bono salsamento, et alter de pane, et unum modicum fructum cum caseo antiquo, quis istorum fregit jejunium vel quadragesimam? Non qui comedit piscem, licet daret majorem confortationem, quia non fecit contra determinationem ecclesie. Dicunt doctores, specialiter Petrus de Palude, quod nihil debemus comedere in collatione de quo fiat cibus in prandio vel cena ; olive licet sint confecte, non debent comedi in collatione, quia loco cibi sumuntur in prandio ; dactyli, pepones, avellane, amygdala, coriandrum, et omnia similia frangunt jejunia, nisi sint confecta. Assimilemur ergo Christo per penitentiam. Ideo apostolus : « Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro conferentes. » (II Cor. 4.)

Dico secundo, etc., in anima rationali, hoc est plus. Modo videamus. Nam Christus habebat corpus, animam, et divinitatem. Anima autem in

Digitized by Google

principio creationis sue habuit tantam scientiam, quod scivit omnia preterita, presentia, et futura. Ideo David loquens Christo dicit : « Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua. » (Psal. 138.) In hoc isti duo apostoli fuerunt similes Christo, qui fuerunt multum illuminati, scientes, non solum preterita, sed etiam futura multa. Dicatur quomodo post pentecostem iverunt ad predicandum in Persidem, et rex Persidis, et rex Indie habebant guerram. Dicatur quomodo rex Persidis mittebat unum ducem capitaneum contra regem Indie ad bellandum, quia ab idolis suis nullum potuit habere responsum quid esset de bello. Dicatur historia, et quomodo apostoli denunciaverunt duci de pace futura, etc. Moraliter bellum paratur nobis fortius in hoc mundo, sc. de anima cum diabolo, et in judicio, ubi mille demones eam invadunt et accusant, quia anima antequam intret paradisum, quantuncumque sancta vel mala venit ad judicium. Et dicunt demones si sit mala : Domine, fiat justitia. Tu, Domine, damnasti nos pro uno peccato irrevocabiliter, et ista anima fecit hoc per superbiam, avaritiam, etc. Quid tunc dicetis ? Remedium est ergo confiteri peccata confessori, qui est medius inter Deum est animam. Et tunc anima sic portat instrumentum absolutionis in fronte scriptum, et respondet Christo dicens : Feci judicium, sc. in confessione, et justitiam in penitentia, non tradas me, etc. Ideo Moyses ait : « Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent. » (Deut. 32.)

Dico tertio, etc. Opus Christi patet prima Joan. 3 : « In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli », que sunt peccata, tentationes, guerre, divisiones, etc., et ista dissolvit Christus. In hoc fuerunt similes Christo isti duo sancti apostoli. Dicatur quomodo invenerunt in Perside duos incantatores, Zaroen et Arphaxat, ad quos omnes gentes recurrebant pro sanitate obtinenda, vel pro re perdita invenienda, vel pro filiis, etc, et quando invocabant demones dicendo : Faciatis hoc vel hoc, quandoque permissione divina fuit factum. Nam ipsi demones neminem possunt curare nisi a lesione cessando, ac si ego essem invisibilis, et cum acu vel alias infligerem vobis dolorem in naribus, vel dentibus, etc. Ita faciunt demones, qui ex peccato possunt dare dolores peccatori, Deo non contradicente, ut recurrant ad eos pro sanitate, et dent fidem in eis, ut tandem damnentur. Sed apostoli coram rege infideli cum istis habuerunt magnum conflictum. Dicatur de serpentibus, etc., et de conversione regis ex miraculis. Ergo fuerunt conformes imaginis, etc. — Moraliter hodie fiunt in mundo opera diaboli, et multi non credunt facere. Certum est quod Deus fecit nos, et non ipsi nos. Modo opus diaboli est, quando homo vult adaptare illud quod Deus bene fecit, ut faciunt mulieres pingendo se, etc. Scitis qualis injuria fit Deo ? ac si melior pictor mundi fecisset unam pulchram imaginem, et tu qui nescis

Digitized by Google

depingere, velles illam adaptare ? Ita de Deo. Cogita quod Deus scivit depingere, etc., quare ergo vos vultis aliter facere vos ? Nam Deus dedit vobis mulieribus ubera grossa, quare contra vos : ita constringitis ea ? Idem de oculis : Deus dedit vobis oculos parvos, et vos facitis, etc. Idem si fecit capillos nigros, et vos vultis rubeos de cauda bovis, etc. Ideo quando oratis, Christi abscondit faciem suam a vobis, quia habetis faciem diaboli, et non suam. — Si dicatur : Domine, ego sumcreatura vestra, etc. Respondit : Mentiris. Dicatur quomodo mulier maritata potest se lavare, et mundam tenere, ne sit turpis, et vir habeat displicentiam. Item camisiam suam potest tenere mundam, ne vir sentiat malum odorem, ne habeat fastidium. Nec viri debent eis consentire ut depingant se, sed debent dicere : Quia vel hoc facitis pro me, vel pro alio ? Non pro me, quia non in domo, sed quando vaditis extra, etc. Ideo dicit scriptura viris et etiam parentibus : « Nolite communicare operibus infructuosis », sc. picturis uxorum « tenebrarum, magis autem redarguite ». (Ephes. 5.)

Dico quarto, etc., Christus autem pauperrime voluit conversari in hoc mundo amore vestri. « Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. » (II Cor. 8.) In hoc isti duo sancti apostoli fuerunt sibi conformes, quia postquam converterunt regem Persidis et Babylonie, et tot milia Christianorum, ibant pauperrime induti. O ! dixit rex, tales homines non debent sic incedere ; obtulit eis magna donaria, seu dona thesauri, etc. Apostoli autem ut stercora despicientes dixerunt : Nihil terrenum vel carnale, sed solum volumus Dei honorem, et animarum salvationem ; et de illis pecuniis edificaverunt ecclesias, hospitalia, etc. Ecce quomodo in conversatione fuerunt Christo similes. — Moraliter hoc tangit religiosos, clericos, et etiam laicos. Religiosi enim debent habere solam strictam necessitatem vite, nihil amplius recipere, etiam si vellent dare, quia hoc destruxit ordines, qui a principio inceperunt cum tanta paupertate, quod beatus Bernardus de foliis fagi comedebat, etc., sed post reges et principes philocapti de eis, edificaverunt eis magna monasteria, dantes eis villas et castra, etc., intantum quod tota religio perdita, non sunt nisi porci grossi. Propter hoc beatus Dominicus et Franciscus instituerunt suos ordines sine redditibus, ut essemus mendicantes, et incepit devotio gentium, et edificaverunt magnas domos eis, etc., etiam totum est perditum. Idem de heremitis, qui incipiunt stricte, sed post edificant, etc. Paupertas apostolicalis est ista custodienda, sicut puella suam servat virginitatem, quia multi philocapti mittunt sibi jocalia, si recipit erit putana. Idem de religiosis. Sed sicut mulier que vult caste vivere, non vult recipere dona, si est pauper et mittitur sibi eleemosyna, illam potest recipere pro necessitate. Ideo

Digitized by Google

serviamus bene Deo, quia nihil deficiet nobis de necessariis. Idem de clericis, caveant a simonia, et dicant bene et devote suum officium, quia Deus providebit eis. Item laici caveant ne recipiant aliquid per usuram, nec alias qualitercunque injuste. Si non potestis servare tantam paupertatem quantam apostoli, ad minus nihil recipiatis injuste, nec etiam fructus. « Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat », etc. (Eph. 4.)

Dico quinto, etc., Christus predicabat gentibus penitentiam. Postquam dixerat aliqua secreta theologie de alio mundo, statim reducebat se ad moralitates. Venit Jesus predicans evangelium regni Dei dicens : « Penitemini et credite evangelio. » (Marc. 1.) In hoc apostoli fuerunt sibi similes. Dicatur quomodo postquam converterunt multas gentes, quedam puella philocapta fuit de quodam, qui paulatim venerunt de verbis ad tactus, etc. Ab isto fuit impregnata, et ipsa cooperuit, sed in partu clamando, etc., fuit discooperta, et volens celare illum juvenem quem diligebat, diffamavit unum diaconum discipulum istorum apostolorum, virginem, sanctum, et devotum. Dicatur quomodo fuit liberatus a sanctis apostolis miraculose per loquelam pueri noviter nati, et voluerunt perdere nocentem, ut patet in legenda, etc. Patet quomodo fuerunt similes Christo, predicando evangelium, et penitentiam, nolentes perdere illum, ut posset penitentiam facere, quia « nolo mortem peccatoris, sed ut magis vivat et convertatur ». (Ezechielis 18.) — Moraliter habemus hic duas doctrinas. Prima pro puellis, ut caveant a carnali amore. Dicatur contra consuetudinem puellarum non euntium ad missam, quia tunc fit totum malum. Secunda doctrina est non diffamare aliquem, ut illa que, credo, est damnata, quia non revocavit ; sicut est necessarium restituere ablatum, magis est necessaria restitutio fame, cum sit majus furtum. Proverbiorum 22 : « Melius est nomen bonum, quam divitie multe », etc. August. : « Non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta unde facta sunt vulnera. »

Dico sexto, etc., Christus mori voluit, ut homines ad eum traheret. « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo. » (1 Pet. 3.) Ita isti apostoli per predicationes, et trahendo gentes de errore, mortui sunt in civitate Samyr, ubi adorabatur sol, cui fecerant idolum, dicendo quod nihil pulchrius nec clarius in mundo, quia illuminabat, calefaciebat, et faciebat fructificare, et illud idolum adorabant. Cum autem apostoli predicarent contra illum errorem, clare ostendendo quod nec sol, nec luna, nec stelle sunt adorande. Ratio, quia licet habeamus lumen et calorem a sole seu astris, nec grates eis nec gratias agere debemus, sed Christo, quia non cereo ardenti regratiandum est, sed ipsum illuminanti, ut si rex daret vobis monetam in cypho argenteo, non esset regratiandum cypho, sed regi danti. Ideo

Digitized by Google

magnum peccatum facit qui soli vel lune facit reverentiam seu orationem, quia erroneum est et hereticum. Dicatur contra illos qui quando vident lunam novam, dicunt lune : O domina luna ! etc., vel amovent caputium, etc. Et quia apostoli predicabant contra illum errorem, fuerunt capti, etc., ducti ad templum solis ut adorarent idolum solis, etc. In quo diabolus loquebatur dans responsa, etc.

Dicatur eorum martyrium.— Dicatur moraliter ne adorent solem, nisi illum de quo dicitur etiam virgini Marie : « Ex te ortus est sol justitie Christus Deus noster », etc., nec lunam, nisi virginem, de qua dicit David : Sicut luna perfecta in eternum. De hoc dixit Moyses Deuter. 4 : « Cave ne forte oculis elevatis ad celum videas solem et lunam, et omnia astra celi, er errore deceptus adores ea, et colas que creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus que sub celo sunt. »

Digitized by Google

Die omnium Sanctorum

(Canevas autographe)

Laudate Dominum in sanctis ejus.
(Ps. 150.)

Unusquisque magister sive artifex communiter laudatur quando facit opus omnibus mirabile aut valde utile ; et si utrumque adsit in opere suo, tunc est excellenter laudabilis. V. gr. de magistro qui faceret naves que postquam sunt plenissime honuste [*sic*], subito transirent mare securissime, et inde post honerationem subito revenirent. Hujusmodi sunt anime sanctorum. Ps. 67 : « Mirabilis in sanctis suis. » — Nota juxta illud quod sequitur decem gradus sanctorum.

Primo : « Laudate eum in firmamento virtutis ejus. » Ecce beata Virgo. Eccl. 43 : « Altitudinis fundamentum », etc. 1 Thim. 3 : « Columpna est », etc.

Secundo : « Laudate eum in virtutibus ejus. » Ecce angeli. Luc. 21 : « Virtutes celorum », etc.

Tertio : « Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus. » Ecce patriarche. Eccl. 44 : « Laudemus viros gloriosos », etc.

Quarto : « Laudate eum in sono tube. » Ecce prophete. Isa. 56 : « Clama, ne cesses ; quasi tuba », etc.

Quinto : « Laudate eum in psalterio et cithara. » Ecce apostoli. Ps. 32 : « Confitemini Domino in cithara. »

Sexto : « Laudate eum in tympano et choro. » Ecce martyres. II Cor. 4 : « Maledicimur et benedicimus. »

Septimo : « Laudate eum in cordis et organo. » Ecce doctores. In proleg. Eccl. : « Non solum ipsos loquentes », etc.

Octavo : « Laudate eum in cimbalis bene sonantibus. » Ecce confessores. Mat. 13 : « Omnis scriba doctus in regno celorum », etc.

Nono : « Laudate eum in cimbalis jubilationis. » Ecce virgines. I Cor. 9 : « Ego quidem sic pugno non quasi », etc.

Decimo : « Omnis spiritus laudet Dominum. » Ecce ceteri electi. Ps. 83 : « Beati qui habitant in domo tua », etc.

Digitized by Google

De omnibus Sanctis

(Recueil imprimé)

Laudate Dominum in sanctis ejus.
(Ps. 150.)

Hodie per totum mundum inter Christianos fit festum et solennitas de omnibus sanctis in generali. Intra annum facimus festum in particulari, modo de uno, modo de alio, tamen tot sunt sancti in paradiso, quot non sufficerent dies, imo dicit Hieronymus qui ista computavit multum bene, quod solum de martyribus, non computando patriarchas, nec prophetas, nec apostolos, etc., non sufficerent dies, etiam si quolibet die fieret festum de quinque millibus. Ideo sancta mater ecclesia hodie facit festum de omnibus. Et est magna ratio. Ex quo ipsi faciunt festum de nobis in celis, quando tenemus bonam vitam et devotam, ratio est ut nos faciamus festum in terris de eorum gloria. Ideo sicut totum officium hodiernum est de omnibus sanctis, ita erit et sermo. Salutetur virgo Maria.

Istud verbum, sc. laudate, etc., recte precipit nobis festum hodiernum quasi diceret : licet infra annum festivetis modo de uno, modo de alio, modo tamen insimul laudate Dominum, etc. Ratio hujus verbi est, quando aliquis magister operis facit aliquod opus multum mirabile in oculis omnium, ex illo opere multum laudatur ille magister, de sapientia, subtilitate, et ingenio dicendo : Ecce quid fecit, et quale opus est illud, etc. Sed si ille magister faceret opus non solum mirabile, sed etiam utile, tunc talis magister laudaretur non solum de subtilitate, sed etiam de bonitate dicendo : O benedicatur ipse, qui tam utile opus operatus est nobis ! Declaretur hoc per casum de magistro faciente navem, que sine periculo navigasset, in qua non oportet timere ventum, aquam, nec inimicos, et quando est onerata, per se sine nautis et sine provisione ciborum iret ad portum ultra mare, et rediret, bene opus mirabile esset. O ! si aliquis magister sciret facere talem navem, et quomodo laudaretur et commendaretur dicendo : O qualis magister, qui fecit opus tam mirabile et tam utile ! et sine expensis et sine periculis navis vadit. Dico quod talis magister est Christus in suis sanctis. Navis trium cooperturarum est quelibet anima cujuslibet sancti. Anima enim a solo Deo creatur, in qua sunt tres potentie, quasi tres cooperture, sc. memoria preteritorum, intelligentia presentium, et voluntas futurorum. O qualis magister ! Et in instanti fit ista navis anime. Et quando est onerata de mercibus preciosis virtutum sanctorum operum, et meritorum, misericordie, et devotionis, patientie, etc., in morte recedit de parte hujus mundi, et sine nautis navigat usque ad portum paradisi, et ibi exoneratur, hoc ostenditur per opera que facit. Et licet Christus jam

Digitized by Google

sciat, tamen interrogat unde venit, etc. Respondebit : Domine, de tali monasterio, villa, vel civitate, etc. Deinde honoratur honore glorie, fruitionis, jocunditatis, et letitie, et post redibit, sc. in judicio generali, quando resurgent, ad recipiendum quilibet suum corpus proprium clarius sole cum quatuor dotibus, et post cum Christo redient in celum. Ecce quomodo Jesus Christus est bonus magister. Ideo laudandus est de opere tam mirabili, de sapientia, subtilitate, bonitate, et utilitate nostra. Ideo David psal. 67 tangens istam rationem dicit : « Mirabilis Deus in sanctis suis. » Hic laudatur de bonitate. « Deus Israel ipse dabit virtutem », ecce onus navis, « et fortitudinem plebi sue », contra pericula maris et inimicorum. Benedictus Deus, qui sc. tale opus fecit. Ideo sicut David de hoc laudabat Deum, dicit nobis quod etiam de hoc laudemus eum, dicens : Laudate Dominum in sanctis ejus. Patet thema. — Sed diceret aliquis : Ex quo vos, David, dicitis quod laudemus Deum, ostendatis nobis quomodo est laudandus in sanctis. Propter hoc David in dicto psal. ostendit modum declarando particulariter dicens : « Laudate eum in firmamento virtutis ejus », etc., usque in finem, ubi ponit decem gradus sanctorum in quibus laudandus est Deus.

In primo gradu et altiori est virgo Maria, de qua dicit : « Laudate Dominum in firmamento virtutis ejus. »

Secundus est sanctorum angelorum secundum ordinem temporis, de isto dicitur : « Laudate eum in virtutibus ejus. »

Tertius est patriarcharum, et sic de aliis.

Primus ergo gradus est virginis Marie. Firmamentum virtutis Dei est virgo Maria, quia ita fuit confirmata a Deo in sua sanctificatione, quia antequam nasceretur, jam erat sancta, intantum quod nunquam peccavit, nec corde cogitando, nec ore loquendo, nec opere operando mortaliter nec venialiter. Nunquam fuit sanctus nec sancta quin mortaliter vel venialiter peccaret, nisi virgo Maria et Christus Jesus filius ejus. Firmamentum fuit virtutis, sc. sanctificationis. David : « Sanctificavit tabernaculum suum altissimus », sc. virginem Mariam, quia sicut miles qui vadit ad bellum habet clypeum, sic Christus quando debuit intrare campum hujus mundi ad bellandum pro nobis, posuit clypeum suum, sc. virginem Mariam, per incarnationem. « Deus in medio ejus non commovebitur. » Non dicit : prosternetur per peccatum mortale, sed non commovebitur per peccatum veniale. Nunquam sanctus fuit vel sancta qui non fuit motus per veniale, vel prostratus per mortale, excepta virgine Maria, ideo columna est, et firmamentum virtutis. (1 Tim. 3.) Ideo laudate Dominum singulariter hodie in firmamento virtutis ejus. O ! quomodo istud firmamentum fuit forte in Christi passione, quando magna castra, et turres, sive montane, sc. apostoli, ceciderunt fidem perdendo. Ideo laudemus Deum non solum ore

Digitized by Google

dicendo, sed opere faciendo. Quod si incepimus bonam vitam et sanctam in quovis statu, firmare quilibet se debet in illo, cum tamen dicunt aliqui inconstantes : O melius esset sic vel sic. Dicatur quod antequam homo eligat statum vivendi, homo debet petere consilium a spiritualibus personis, sed post electionem status confirmare se, quasi dicendo cum David : « Hec requies mea, sc. iste modus vel status vivendi in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. » Sed aliqui cum vento incipiunt, et cum vento dimittunt. Sed quando homo stat firmiter, tunc laudatur virgo Maria, firmamentum virtutis, non solum corde cogitando, vel ore laudando, sed etiam opere se firmando.

Secundus gradus est sanctorum angelorum, de quibus dicit : « Laudate eum in virtutibus ejus.» Sancti angeli dicuntur virtutes Dei. Ratio est ista philosophie, quia virtus est media inter substantiam et actum, per quam res producit suam operationem. V. gr. de sole. Substantia enim solis habet multas operationes in hoc mundo, et tamen substantia solis non descendit huc, sed ad istas operationes seu actus venit per lumen ad illuminandum, calefaciandum, et fructificandum, ideo virtus lucis est caliditas media inter substantiam solis et operationem. Idem de igne qui habet multas operationes, et calor est virtus media inter substantiam ignis, et operationem. Modo videamus Deus per quas creaturas operatur in hoc mundo, quia ille dicuntur ejus virtutes, quia mediantibus angelis sanctis dicitur quod Deus movet celum, et verum est, quia movetur ab angelo, qui a philosophis vocatur intelligentia. Idem de de motu solis, lune et stellarum. Quelibet enim stella habet suum angelum, et quilibet homo. Alie autem creature non habent angelum. Unus enim angelus curat de bobus, alius de equis, alius de asinis, etc., alius ut det abundantiam, alius siccitatem, alius pluviam. Omnia enim opera corporalia que facit Deus, facit per angelos. Greg.: « In hoc mundo visibili nihil nisi per creaturam invisibilem, id est angelum, disponit Deus. » Si ergo virtus dicitur illud per quod res exit in operationem, et Deus per angelos operatur, ergo angeli proprie dicuntur virtutes Dei. Autoritas Christi loquentis de signis futuris ante diem judicii dicit : « Erunt signa in sole, etc. Et sequitur : virtutes celorum movebuntur. » (Luc. 21.) Dicit hic Greg.: Quid Dominus virtutes celorum nisi angelos et archangelos appellat? Ergo laudate Deum in virtutibus ejus, nec tradantur oblivioni. — Moraliter laudandus est Deus, non solum cogitando, vel loquendo, sed imitando, quia sicut angeli faciunt officium Deo, etc., ita faciamus nos clerici in officio, et vos laici in audiendo, et interessendo in dominica et festis, audiendo missam completam cum silentio. Sic laudatur Deus in angelis, et Deus et angeli curabunt de negotiis nostris, de agris, vineis, gregibus, et aliis. Dicatur contra consuetudinem puellarum non venientium ad ecclesiam, etc.

Digitized by Google

Tertius gradus est sanctorum patriarcharum secundum ordinem temporis. Postquam Adam peccavit, Deus noluit totaliter deserere mundum, sed misit aliquas sanctas personas, sc. patriarchas, a patre, et *archos* quod est princeps, id est princeps patrum. De istis dicit David : « Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus. » Magnitudo Dei dicitur ejus misericordia, tam magna quod dicit David : « Misericordia Domini ab eterno, et usque in eternum. » Patriarche autem fuerunt valde misericordes, intantum quod exibant hora prandii ad vias si viderent pauperes, peregrinos, ut ducerent ad domos suas, sperantes salarium a Deo. Idem faciebant de sero, hora qua gentes veniunt ad hospitia, et lavabant eorum pedes, etc. Creditis quod in vanum habuerunt paradisum ? — Dabant eis cibum et potum, et in crastinum pro expensis per viam. Ecce multitudo misericordie ejus : « Laudemus viros gloriosos », etc. (Eccl. 44.) — Moraliter laudandi sunt non solum cogitatione et locutione, ut modo ego laudo, sed etiam operatione seu imitatione in operibus misericordie, libere communicando pauperibus bona vestra, et Deus abundanter dabit vobis omnia. Patet hic quomodo est magnum peccatum illorum qui non solum non dant, imo furantur. Dicatur contra furtum fructuum, vel de hortis, etc., dicendo : Non est peccatum, etc. Nunquam intrabitis paradisum, nisi restituatis, quia nunquam dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Ideo apostolus : « Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret », etc. (Eph. 4.)

Quartus gradus est prophetarum, qui fuerunt filii patriarcharum, quos misit Deus prophetizare, quia propheta, id est proculfans, quia fidem quam modo tenemus ipsi prophetaverunt, denunciantes Christi incarnationem, nativitatem, predicationem, passionem, et resurrectionem, etc. De istis dicit David : Laudate Dominum in sono tube. Predicatio enim prophetarum dicitur sonus tube triplici ratione. Primo quia tuba non est recta, sed curva, et est una in se, et tamen triplex. Item predicatio prophetarum erat de uno Deo in essentia, sed trino in personis. Item de Christo una persona, sed aliquoties de divinitate, aliquoties de ejus humanitate predicabant. Secunda ratio est quia tuba est stricta circa sonantem, sed est lata circa aliud caput. Ita predicatio prophetarum arcta erat circa eos per penitentiam, et ita illuminabantur revelationibus, aliis autem erat lata et clara. Tertia ratio est, quia tuba non est ut fistula parva, quia oportet quod tuba manibus tangatur sonando. Talis erat predicatio prophetarum, prius tangebant, sc. faciendo opere, quod aliis predicabant faciendum. Non sic modo, quia predicamus aliis, et nos nihil servamus. Si enim prophete predicabant contra superbiam, ipsi erant humiles, et sic de aliis. Ecce quare eorum predicatio dicitur tuba. Autoritas : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam », etc. (Esa. 58.) Ideo dicitur : Laudate Dominum in sono tube.

Digitized by Google

— Moraliter laudetur Deus in prophetis, non solum corde et ore, sed etiam opere imitando. Laudando Deum cavere debemus a falsis juramentis et blasphemiis, etc., maledicta est domus et villa ubi hec sunt. Vis cognoscere quod peccatum est? ac si contra regem ense evaginato ires, etc. Ex isto peccato venit totum malum, et si non esset nisi unus blasphemus, tota villa pateretur. Si dicatur : Et in quo demeruerunt alii ? Dicatur quod sicut contra lupum intrantem villam omnes clamarent, ita et fortius clamandum est quando Deus blasphematur, et benedictus est qui potest dicere cum David : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo », etc.

Quintus gradus est apostolorum, qui licet sint majores, computantur tamen secundum ordinem, de quibus dicit : « Laudate eum in psalterio et cythara. » Apostoli dicuntur psalterium et cythara. Ratio est, quia psalterium est sonus camere, qui fit cum decem chordis, cythara enim habet vocem arctam et acutam. Apostoli autem ex bona, et sancta vita, et observantia decem preceptorum Dei dicuntur psalterium. Dicuntur etiam cythara ex eorum predicatione altissima et acutissima, quia in omnem terram exivit sonus eorum, ratione predicationis. Et psalterium dicuntur ex vita, cythara ex doctrina. Ideo laudate Deum in psalterio et cythara. — Moraliter non sufficit solo corde vel ore laudare, sed etiam imitatione, servantes x precepta. Et in doctrina scire Credo, etc. Hic dicatur contra ludum taxillorum, in quo Deus blasphematur, et anime interficiuntur. « Confitemini Domino in cythara, et psalterio decem chordarum psallite illi. » (Psal. 32.)

Sextus gradus est martyrum, de quibus dicit : « Laudate eum in tympano et choro. » Tympanum signat in vulgari *labourin*. Chorus autem in vulgari signat parvam fistulam, et signat martyres, qui percutiebantur in martyrio variis cruciatibus, sicut tympanum, et clamabant ut fistula parva dicendo : Christianus sum ; et in quolibet ictu confitebantur Jesum esse filium Dei, et redemptorem mundi, nolentes fidem abnegare. Ergo dicit Paulus : « Sancti, id est martyres per fidem vicerunt regna. » (Heb. 11.) Et angeli tripudiabant ad istum sonum. Ecce quare dicit : Laudate eum in tympano, etc. Dicebant enim : « Maledicimur, et benedicimus. (1 Cor. 4.) — Moraliter non solum ore, vel corde, sed opere imitando, laudandus est Deus in martyribus per patientiam in adversitatibus, etc., juxta illud apostoli : « Patientia vobis necessaria est. » (Heb. 10.)

Septimus gradus est sanctorum doctorum, ut Remigii, Cyrilli, Hylarii, Hieronymi, et etiam aliorum, de quibus David : « Laudate eum in chordis et organo. » Ecce vita doctorum, qui non solum predicant seu predicabant, sed etiam libros scribebant. Ideo dicuntur instrumentum chordarum, et organum. Instrumentum enim chordarum, ut

Digitized by Google

cithara, est de ligno arido cum chordis tractis clavicula. Ita eorum vita erat arida per penitentiam. Chorde sunt autoritates tracte clavicula intellectus, ut facerent melodiam et concordantiam cum articulis fidei, cum determinatione ecclesie, et cum textu anteriori et posteriori. Dicuntur etiam organum propter eorum predicationem. Dicatur de ordinatione organi, et quomodo cum vento pulsatur, et sunt ibi multe, et diverse voces. Ita de predicatione doctorum, que cum vento aeris loquendo fiebat, et cum vocibus diversis. Prelatis charitatem et diligentiam ad animas dabat. Religiosos ad observantiam regule et votorum animabat. Dabat insuper clericis honestatem et castitatem. Mercatoribus veritatem, divitibus liberalitatem, quod sine usura mutuent, etc. Mulieribus ad viros fidelitatem. Ecce quare dicit : « Laudate eum in chordis et organo. » — Moraliter imitemur predicando gentibus penitentiam exemplo eorum. Ideo Christus ait : « Dico vobis quod nisi penitentiam egeritis, omnes simul peribitis. » (Luc. 13.)

Octavus gradus est sanctorum confessorum, qui non scripserunt libros, ut beatus Dominicus, Franciscus, Antonius, Paulus primus eremita. Ideo non dicuntur doctores. De istis dicit David : « Laudate eum in cymbalis bene sonantibus. » Duo cymbala sunt vetus et novum testamentum. Inferius est vetus testamentum, promittens solum temporalia terrena, et non celestia. Superius est novum testamentum, promittens celestia. Et tanguntur ad invicem, quando exponitur et declaratur autoritas veteris testamenti. Ideo Christus : « Omnis scriba doctus in regno celorum, sc. scriptura sacra, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. » (Mat. 13.) — Moraliter, quando nos tangimus cymbala predicationis, debemus ordinare vitam nostram. Dicatur ordinatio cujuslibet diei, sc. orare devote mane et sero, qualibet hebdomada audire missam completam cum silentio in dominica, quolibet mense confiteri, et quolibet anno communicare in pascha, alias dixit Christus : « Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis ». (Joan. 6.)

Nonus gradus est virginum, que nunquam in corde desiderando, nec ore loquendo, nec opere curarunt de carnalitate, sed conservaverunt se in puritate virginali. De istis dicit : « Laudate eum in cymbalis jubilationis. » Nota hic differentiam inter cymbala bene sonantia, et cymbalum jubilationis. Cymbala bene sonantia sunt vetus et novum testamentum ut dixi. Sed cymbalum jubilationis quod est secretum sunt caro et anima. Qui enim vult salvare virginitatem, oportet animam castigare et carnem. Et sic tanguntur ista cymbala. Dicit apostolus de se : « Ego autem sic pugno, castigo corpus meum », etc. (1 Cor. 9.) Ita faciebant virgines, virtute, sanctitate, et abstinentia subjugando carnem anime. Ideo, laudate eum in cymbalis, etc. — Moraliter imitemur, si non sumus

Digitized by Google

virgines, quia solum pueri modo sunt virgines, quia de adultis dicit David : « Corrupti sunt... usque ad unum », sc. de adultis. (Psal. 52.) Ergo, ad minus servemus castitatem, quilibet in suo statu. « Honorabile connubium est, sc. servando modum in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores et adulteros judicabit Deus. » (Hebr. ult.)

Decimus gradus est omnium aliorum electorum, ut innocentium, penitentium, continentium, et abstinentium. De quibus dicit David : Omnis spiritus laudet Dominum. In hoc mundo sunt multa officia, in celo solum est unum officium. De quo David in Psal. 83 dicit : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. » — Diceret aliquis : Ergo tedium debent habere, quia hic clerici quando diu cantant, attediantur. — Responsio : Verum est in hoc mundo, licet in paradiso non attediantur, imo sicut famelicus quando comedit delectatur, etc., magis incomparabiliter delectantur sancti in laude divina. — Moraliter assimiletur. In celo non solum magni sancti, sed etiam minores laudant Deum. Ita debet esse in hoc mundo, magni et parvi debent Deum laudare. Majores debent taliter nutrire pueros, ut quolibet die quando petunt panem, dicant : *Ave Maria,* etc. Item quando sunt quinque vel sex annorum quod confiteantur, quia dicit sanctus Gregorius quod puer quinque annorum fuit damnatus, quia sicut audiebat jurare jurabat. Nam tota illa etas plena est delictis, etc. Item quod ducatis eos ad missam. Quolibet anno in pascha debent communicare, quando erunt decem vel undecim annorum, quia illa est etas discretionis. Dicit beatus Thomas : Quando aliqua signa devotionis in eis apparuerunt. Licet aliqui clerici ex ignorantia dicant quod non debent communicare, quousque sunt viginti annorum. Dicatur quomodo curatus debet scribere qui confitentur et communicant. Ideo apostolus : « Nolite ad iracundiam, supple Dei, provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina. » (Ephes. 6.) Sic ergo si hic Deum laudaverimus in sanctis suis, ipse largietur nobis hic gratiam, et in futuro gloriam.

De omnibus Sanctis

(Recueil imprimé)

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.
(Apoc. 7.)

Presens solennitas est omnium sanctorum. Rationem vide in priori sermone. Secundum quod invenitur in sancta scriptura, singulariter in libro revelationum, sc. Apocal. Joannes semel existens in oratione, subito fuit

Digitized by Google

raptus. Cui Deus ostendit totam gloriam paradisi, sicut amicus amico domum quam edificavit. Et finita revelatione, ac si fuisset interrogatus quid vidit in paradiso, respondit : Vidi turbam magnam, etc. (Apoc. 7.) Nota quod tenebant palmas, in signum victorie de diabolo per humilitatem, de carne per castitatem, et de mundo per paupertatem. De tota ista revelatione epistole hodierne, ego solum recipi pro themate : « Vidi turbam magnam », etc. De ista magnitudine seu quantitate sanctorum volo modo declarare duo puncta :

Primo enim declarabo eorum magnitudinem seu quantitatem innumerabilem.

Secundo magnitudinem seu quantitatem virtualem.

Pro primo dicit Jo. in thema : « Vidi turbam », etc. Sed statim arguo contra hoc. Nam Christus loquens de predestinatis dicit : « Multi sunt vocati, pauci vero electi. » (Mar. 20.) Modo est questio. Cum Joannes dicat eos esse innumerabiles, Christus vero dicit : Pauci vero electi, mentitur Joannes? Responsio : Nota quia verba sunt Christi revelata Joanni, nec Christus potest mentiri nec falli. Concordatur hec difficultas theologica, quoniam de sanctis possumus loqui dupliciter, sc. absolute, et respective, seu comparative. Primo modo sunt multi et quasi innumerabiles nobis, et secundum istum modum loquitur Joannes dicens : « Vidi turbam », etc. Secundo modo sunt pauci, et secundum istum modum loquitur Christus. Dicatur similitudo de arena in littore maris, et de illa quam teneo in manu. Si enim queratur utrum teneo multa grana arene in manu : Respondeo absolute : infinita sunt, sed respective comparando ad illa que sunt in littore maris, pauca grana sunt in manu, ita est de sanctis. Si loquimur de eis absolute : sunt innumerabiles. Istud maxime patebit in judicio generali, quando ad dexteram recipientur boni, erit magna turba, et quasi innumerabilis, sed comparando eos damnatis qui erunt ad sinistram, pauci erunt salvati. V. gr.: Ante Christi adventum transierunt quasi quinque millia annorum, et illo tempore nullus salvabatur, demptis paucis de Abraam, qui in limbo reservabantur usqne ad Christi adventum, qui debebat collocare eos in paradiso, omnes autem alii damnabantur. Ex quo autem venit Christus, et lex evangelica per apostolos fuit per mundum publicata, nullus potest salvus fieri, nisi Christiani. Ideo omnes Judei, Agareni, Tartari, et Turci, Cavarii, Pigmei, heretici, et mali Christiani schismatici, inobedientes, et qui moriuntur in peccato mortali, omnes isti damnantur, quia nullus salvatur nisi qui tenet legem Christi, et moriuntur sine peccato mortali, et isti sunt valde pauci. Ideo Christus : Multi sunt vocati, pauci vero electi, comparative. Unde de ista materia dicit Esaias unam comparationem vel similitudinem. « Quomodo si pauce olive... cum glorificatus fuerit Dominus. » (Esa. 24.) Item alia similitudo, quia

Digitized by Google

multi sunt lapides pretiosi in mundo absolute, sed prospective comparando ad alios lapides, pauci sunt. Ita de sanctis, absolute multi sunt. Quis posset computare quot fuerunt patriarche? licet tres fuerint principales, sc. Abraam, Isaac, et Jacob, tamen omnes sancti qui fuerunt ante prophetas dicuntur patriarche. Item quot fuerunt prophete? quot sancti sacerdotes? quot reges? quot penitentes sunt in novo testamento? quot tenuerunt vitam apostolicam? quis posset computare? Item quot martyres? qui pro Christo passi fuerunt, et jam fit festum innumerabilium martyrum. Quot doctores? quot confessores devote celebrando, et sacramenta sine simonia ministrando? quot virgines que cum abstinentiis se conservaverunt? quot innocentés? quot penitentes? quot continentes? quot de matrimonio sibi mutuo fidem servantes? quot devoti clerici? religiosi? heremite? Patet quod sancti absolute multi sunt. Ideo Joannes ait: « Vidi turbam magnam », etc. Patet prima pars, etc.

Quantum ad secundum punctum, oportet declarare de magnitudine seu quantitate sanctorum virtuali, que in tribus consistit:

In potentia excellenti;

In scientia relucenti;

In clemencia diligenti.

Dico quod prima conclusio est theologie, quod omnis sanctus, magnus vel parvus est omnipotens sue voluntatis. Nam quilibet est potens facere quicquid vult. Deus enim simpliciter et sine restrictione est omnipotens, sed sancti sunt omnipotentes sue voluntatis sub Deo, quia in paradiso nulla est tristitia. Ideo si aliquis sanctus vellet aliquid quod non posset facere, vel habere, tristitiam haberet, et tristaretur. Sed quia ibi nulla est tristitia, nec potest esse, ideo quicquid vult habet et facit. Erat enim potens Sampson. Dicantur aliqua de sua potentia, et principaliter de diruptione templi, tamen potentia ipsius nihil est, respectu potentie sanctorum, quia anima minimi sancti paradisi si vellet diruere unum magnum montem, et projicere in mare, posset. Item potens esset rex cum mille millibus virorum armorum, tamen potentior est una anima beata, que si vellet, posset regem et alios mille millia hominum armorum occidere. Istam potentiam habent sancti, partim ex gratia, et partim ex merito, quia licet in hoc mundo habuissent liberum arbitrium boni et mali, tamen suam voluntatem restringebant cum divina voluntate, nihil faciendo nisi quod Deus volebat, ideo modo habent potestatem faciendi quicquid volunt. Dum enim hic viverent, habebant ita liberum arbitrium sicut et nos, faciendi superbias, pompas et vanitates, etc., sed restringebant, se gubernando secundum Dei voluntatem, et non secundum suam inclinationem dicendo: Domine, nolo facere hoc quod possum, sed volo facere secundum vestram voluntatem. Idem de

Digitized by Google

avaritia, luxuria, et sic de aliis. Ideo sunt omnipotentes sue voluntatis. Sicut enim Christus omnipotens noluit in hoc mundo conversando uti omnipotentia sua, sed humiliavit se ad passionem, habuit tamen omnipotentiam super omnes creaturas. De hoc figura Genes. 48. Nota historiam de Jacob, quando debuit mori, benedixit filiis Joseph, sc. Manasses et Effraim. Isti duo significabant duos populos. Manasses. id est oblivio, figurabat populum Judeorum, qui fuit antequam populus Christianus. De ista oblivione Hier. 2 : « Et populus meus oblitus est mei diebus innumeris. » Effraim, id est augmentum, figurabat populum Christianum, quia non fuerunt tot Judei quot Christiani.

Secundo de scientia sanctorum est notandum. Et hec est magna consolatio rusticorum bene viventium. Nam in puncto in quo anima sapientis, vel rustici, sive pueri intrat paradisum, Deus aperit sibi unum librum, solum habens duas chartas, et subito habent notitiam omnium artium, scientes naturas, et virtutes, et proprietates omnium rerum. Iste liber est Christus. Prima charta est divinitas. Secunda est humanitas. Plus scit tunc unus rusticus beatus, quam sciverint hic omnes apostoli, et virgo Maria, que pre omnibus fuit illuminata. Hoc tangit Gregorius : « Quid est, ait, quod non videant qui videntem omnia vident ? » Ideo in paradiso non sunt magistri, nec predicatores docentes alios, quia tunc completur prophetia Hier. 31 : « Ecce dies veniunt... Omnes enim cognoscent me. » Sed in hoc mundo indigemus magistris. Ideo teneatis bonam vitam, et studeatis modo in libro charitatis et dilectionis, quia tunc scietis omnia, etc.

De tertia nota, quod quantitas sive magnitudo sanctorum virtualis est clementia diligens, quia gloriam quam ipsi habent, desiderant nos habere, rogando pro nobis ut ad illam gloriam perveniamus, parentes enim, amici, et filii quos ibi habemus orant pro nobis. Dicatur quomodo in cathedris sunt scripta nomina existentium in gratia secundum premia eis correspondentia : « Gaudete et exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in celis. » (Luc. 10.) Cogitate quando amici nostri vident ibi nomina scripta, et letantur, et rogant Deum ut conservemur in gratia, etc. Sed quando homo peccat mortaliter, deletur nomen, et scribitur in inferno. Autoritas : « Qui autem peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. » (Exod. 32.) Cogitate quomodo amici nostri, cum jam non vident ibi nomina nostra scripta, si posset ibi esse tristitia quomodo tristarentur, tunc orant Deum ut convertamur de peccatis, et faciamus penitentiam, etc. Ecce clementia sanctorum. Autoritas Cypriani : « Patriam nostram paradisum computamus, parentes patriarchas et prophetas jam habere cepimus. Ut quid non properamus ? ut quid non curamus, ut patriam nostram videre, et parentes nostros visitare possimus ? Magnus illic charorum numerus nos expectat, turba filiorum, parentum, et ami-

Digitized by Google

corum, qui jam sunt de sua salute securi, adhuc de nostra salute solliciti sunt. »

De omnibus Sanctis

(Recueil imprimé)

Merces vestra copiosa est in celis.
(Mat. 5.)

Volumus nunc vobis predicare de omnibus sanctis Dei, de quorum beatitudine hodie per totum mundum fit solennitas. Ideo ut sermo noster dicatur a me, et audiatur a vobis in laudem et reverentiam Dei principaliter, et omnium sanctorum, presentemus virgini illud jocale quod ipsa tantum diligit, sc. salutationem angelicam, etc. — Hoc verbum est Christi in evangelio hodierno dicentis omnibus sanctis paradisi : Merces vestra, id est, gloria et beatitudo quam habetis, est in celis copiosa.

Modo de beatitudine sanctorum secundum motivum thematis, et secundum quod festum requirit volo tria puncta declarare :

Primo de loco et gloria excellenti ;

Secundo de numero sanctorum transcendendi ;

Tertio de statu sanctorum convenienti.

Istis declaratis credo quod intelligetis gloriam paradisi.

Quantum ad primum, de loco et de gloria excellenti dicit thema : In celis, non in terris, quia in hoc mundo non habuerunt magnam gloriam, sed labores, tedia, et miserias, sed in celis habent gloriam. Ideo apostolus in persona omnium sanctorum dicit : « Nostra conversatio in celis est », etc. (Philip. 3.) Questio est hic theologicalis et physicalis : Certum est hoc quod gloria sanctorum est in celo empyreo immobili et impermutabili. Cum ergo celum empyreale non sit nisi unum, quare Christus dicit in themate : « Merces vestra copiosa est in celis » pluraliter? maxime quia Lucas recitans hoc verbum dicit : « Ecce merces vestra multa est in celo. » (Luc. 6.) Respondeo quod de celo empyreo possemus loqui dupliciter, sc. communiter vel distincte. Communiter autem loquendo, tota portio que est supra primum mobile, vel celum crystallinum, vel aque, dicitur celum empyreale, et sic non est nisi unum celum empyreale. Et isto modo loquitur Lucas in predicta autoritate. Si autem volumus loqui de celo empyreo distincte secundum quod est distinctum et ordinatum in novem ordinibus angelorum, quorum quilibet est major tota terra, isto modo sunt multi celi.

Primum celum ut sic, est sanctorum angelorum, qui simpliciter dicuntur angeli, qui descendunt ad custodiendum nos, et adjuvandum.

Digitized by Google

In isto ordine habitant persone penitentes, que in hoc mundo affligunt carnem suam aliquo modo. Ibi enim fit magnum festum de eis : « Dico vobis quod gaudium erit in celo coram angelis Dei, non dicit coram archangelis, super uno peccatore penitentiam agente. » (Luc. 15.) Secundum majus est archangelorum, qui sunt substantie spirituales. In isto scribuntur persone, que cum afflictione penitentiali habent simul devotionem spiritualem, non solum affligunt et tormentant carnem per afflictionem, sed etiam confortant spiritum per devotionem, orando, legendo, contemplando, et missas et sermones audiendo. Ideo David ait : « Mihi autem adherere Deo per devotionem spiritualem bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. » (Psal. 73.) Tertium et excellentius est principatuum. In hoc habitant anime sanctarum personarum, que ultra afflictionem penitentialem, et devotionem spiritualem, dederunt se ad miserationem fraternalem, non avare aut parce, sed copiose, et abundanter, quoniam magis delectantur in eleemosynas dando, quam avarus in congregando : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. » (Matth. 5.) Quartum majus est potestatum. In hoc stant patientes, qui ultra afflictionem, devotionem, et miserationem habuerunt patientiam virtualem, tales enim dum hic vivunt ex nulla tribulatione seu adversitate recipiunt amaritudinem cordis contra Deum, sed dulciter se conformant divine voluntati, non murmurant, sed Deum laudant. Ideo ait apostolus : « Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. » (Ad Hebr. 10.) Quintum est virtutum. In hoc stant persone, que ultra predicta habent concordantiam proximalem, ex nulla injuria recipiunt desiderium vindicte, nec auferunt verbum bonum ; que sui ex vindicta neminem oderunt. Ideo dicit scriptura : « Cum omnibus hominibus pacem habentes », etc. (Rom. 12.) Sextum est dominationum. majus et nobilius. Ibi collocantur qui habent presidentiam humanalem, sc. imperatores, reges, duces, et comites, etc., et populorum rectores, qui habent dominium justum, et bono titulo, et servant justitiam, non faciunt rapinam, nec alicui faciunt injuriam, sunt contenti de suis redditibus, ministrant justitiam tam parvis quam magnis secundum ordinem juris, et consuetudinem. Idem de prelatis, qui intrant per portam, et quando sunt intus, bene gubernant se. De redditibus faciunt tres partes, unam dant ecclesiis et hospitalibus, aliam pauperibus, tertiam detinent sibi, magis curant de animabus quam de redditibus, tales quando moriuntur, cum magno honore in isto sexto ordine collocantur. Quando transeunt per ordines angelorum, archangelorum, etc., in quolibet ordine fit eis magnum festum. Dicunt angeli : Faciamus magnum festum, quia tot anni sunt quod nullus huc venit de istis. Ideo dicit scriptura : « Si delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum

Digitized by Google

regnetis. » (Sap. 6.) Septimum est thronorum, qui quiescunt in contemplatione glorie. In hoc vadunt illi qui in hoc mundo tenuerunt paupertatem apostolicalem, dimittentes pro Christo omnia habita et habenda, et etiam desiderium habendi, ut habeant cor liberum, sed tamen divites sunt virtutibus. Talibus dicit Christus : Amen dico vobis quod vos qui reliquistis omnia » (Matth. 19), et Luc. 12 dicitur : « Sedebitis super thronos ». Octavum est Cherubinorum, id est, plenitudo sapientie. In isto stabunt illi qui dant se ad scientiam divinalem, studendo et contemplando, habent tantam claritatem intellectus quod alios etiam illuminant. De istis dicit scriptura : « Qui docti fuerunt fulgebunt quasi splendor firmamenti. » (Dan. 12.) Nonum est seraphinorum, qui sunt majores et excellentiores omnibus aliis. In isto sunt persone de charitate supernali, quia « major horum est charitas » (1 Cor. 13) ; quia sicut lucerna statim ad ignem liquescit, sic tales sunt ita ardentes in amore Dei, quod statim quando cogitant de eo, liquefiunt lachrymis, sustinent omnes labores pro Deo. Tales quando moriuntur, collocantur in isto ordine cum magna solennitate, sicut sponsa ducitur cum honore, et collocatur a Christo. Ideo dicit apostolus : « Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. » (Colos. 3.) Ex ista declaratione patet quod licet celum empyreale non sit nisi unum, loquendo communiter, sed tamen distincte in novem ordinibus sunt plures celi. Et secundum hoc dicit Christus omnibus sanctis : Merces vestra copiosa est in celis, quia non omnes sancti sunt in uno ordine, sed aliqui cum angelis, aliqui cum archangelis, etc. Sic ergo patet de eorum gloria excellenti, quia in celis.

Quantum ad secundum, videndum est de numero sanctorum transcendentium, an sint multi, quia de multitudine sanctorum dicit thema : Copiosa est, intantum quod beatus Joannes evangelista, cui Deus ostendit gloriam, ut amicus ostendit amico domum suam, vidit beatitudinem multorum, de qua dicit in epistola hodierna : « Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat. » (Apoc. 7.) Sed est hic questio bona et intricata : Diceret aliquis : Mirum est quod Joannes dicat esse turbam quasi innumerabilem. Et nunquid dicit Christus : Multi sunt vocati, pauci vero electi ? Hec difficultas theologica concordatur sic : quia de sanctis possumus loqui dupliciter, sc. absolute vel respective. Primo modo sancti multi sunt, quasi innumerabiles a nobis ; et secundum istum modum loquitur Joannes quando dicit : Vidi turbam magnam. Secundo modo loquendo sunt pauci electi, et secundum illum modum loquitur Christus : Multi sunt vocati, pauci vero electi.— Nota similitudinem de pugillo arene absolute loquendo, in quo sunt infinita grana ; sed comparative loquendo, respectu montanee arene, pauca grana sunt. Ita etiam natura humana est quedam montanea arene. « Multiplicabo semen tuum sicut stellas celi, et velut arenam que est in

Digitized by Google

littore maris. » (Gen. 22.) Hoc fuit dictum Abrahe, sed multomagis potuit dici Ade ; de ista montanea arene, sc. humane nature recipit Deus manum plenam. « Justorum anime in manu Dei sunt. » (Sap. 3). De ista materia vide in illo sermone omnium sanctorum : « Vidi turbam magnam », etc.

Quantum ad tertium, de statu sanctorum convenienti. Ex quo vidimus de gloria sanctorum excellenti, et de numero sanctorum transcendenti, nunc videndum est de statu sanctorum convenienti, de quo dicit : Merces vestra. Salarium est quod sc. habuerunt ex bonis operibus que hic fecerunt. Gloriam istam sanctorum possum vobis declarare tripliciter, sc.:

Primo per potentiam excellentem ;

Secundo per scientiam resplendentem ;

Tertio per benevolentiam diligentem.

De ista materia vide in sermone superiori, sc. : « Vidi turbam magnam » [*sic*], etc.

Digitized by Google

De Mortuis

(Canevas autographe)

Est cogitatio pro defunctis exorare.
(II Mach. 12.)

Qualibet die lune, nisi festum impediat, fit officium pro defunctis. Ratio est : Ex quo die dominico celebravimus gloriam Christi resurgentis quam habet in se et in beatis, recte die sequenti immediate celebramus pro defunctis illam gloriam expectantibus juxta illud : « Sabbatum egerunt, et sequenti die venit... ut corpora prostratorum tolleret », etc. (II Mach. 12.) Ideo hodie in Ecclesia est cogitatio pro defunctis exorare. — Nota quod dicitur « pro defunctis » indefinite, et non universaliter pro omnibus defunctis. Nam defuncti sunt in triplici gradu vel differentia :

Quidam *als quals non fa mester ;*
Quidam *als quals non pot valer ;*
Quidam *als quals es gran plaer.*

De primo : Hii sunt beati qui jam attigerunt gradum sue glorie essentialis, ultra quem non est ascensus, quamvis multum gaudeant de operibus nostris propter Dei honorem et propter utilitatem nostram. Similitudo de augmento hominis in altitudine corporali, qui communiter terminatur in tertio septenario, quamvis etiam ulterius delectabilibus valeat pinguedine dilatari. Job. 14 : « Constituisti terminos ejus », etc. Et Luc. 15 : « Dico vobis quod gaudium », etc.

De secundo : Hii dampnati in inferno quibus tanquam membris mortuis et a corpore Ecclesie totaliter precisis, vitalia cibaria Ecclesie, sc. opera meritoria non prosunt in aliquo. Isa. 38 : « Quia infernus non confitebitur tibi neque mors laudabit te », etc. — Nota : Dampnati non confitentur peccata sua Deo utiliter, sed sibimet plangendo inutiliter. Sap. 5 : « Videntes turbabuntur », etc. Item nec laudant Deum, sed potius blasphemant. Apoc. 16 : « Estuaverunt homines », etc. Item non expectant habere veritatem divine promissionis sed potius desperant. Prov. 11 : « Mortuo homini impio », etc.

De tertio : Hii sunt qui in purgatorio detinentur, quibus tanquam membris vivis et corpori Ecclesie conjunctis in uno vivifico spiritu prosunt nutrimenta spiritualia Ecclesie. Ecclesie ergo est cogitatio pro defunctis (istis) exorare. — Nota hic aliquod miraculum concludendo juxta illud II Mach. 12 : « Sancta ergo et salubris », etc.

Digitized by Google

In die Animarum

(Recueil imprimé)

Est cogitatio pro defunctis exorare.
(II Mach. 12.)

Tota solennitas et officium presentis diei est pro defunctis exorare, omnium fidelium defunctorum. Sicut sancta mater ecclesia heri fecit festum de sanctis animabus, que jam sunt in paradiso, que ibidem sunt cum certitudine, sic hodie fit de animabus que sunt in purgatorio, sperantes ad paradisum pervenire, propter hoc etiam orat ecclesia ut cito ad gloriam introducantur. Ideo volens me ordinationi ecclesie conformare, volo nunc vobis predicare de animabus purgatorii. Sed prius salutetur virgo Maria, etc.

Pro fundamento sciendum quod quando Deus creavit mundum, magnam differentiam fecit inter creationem creaturarum corporalium vitam habentium, et hominem. Quia de creaturis corporalibus vitam habentibus, alique habent solum animam vegetativam, ut plante, que possunt augmentari, alique autem habent animam vegetativam et sensitivam, ut animalia irrationabilia. Sed homo habet animam vegetativam, sensitivam, et intellectivam. Et est talis differentia inter creaturas corporales et hominem, quia in creaturis vitam habentibus anima vegetativa et sensitiva educitur de potentia materie. Et quando creatura moritur, anima vegetiva et sensitiva moritur, et desinit esse, non sic de anima intellectiva hominis, quia non educitur de potentia materie, nec habet fundamentum. nec aliquod sustentamentum active, imo ipsa sustinet corpus, et totum esse corporis est ab anima, et ipsa a solo Deo creatur in utero matris. Ideo mortuo homine remanet in suo esse, quia nihil habet a corpore. Ideo dicit Deus : « Omnes anime mee sunt, ut anima patris, ita et anima filii mea est. » (Ezech. 18.) « Anima que peccaverit ipsa morietur. » (Ibidem.) Quando homo peccat mortaliter, moritur anima, quia perdit divinam gratiam, sed non perdit esse essentiale. Ideo mortuo corpore anima intellectiva remanet in suo essentiali esse et perpetuali. Ideo dixit Deus a principio : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram », etc. (Gen. 1.) Nota ad imaginem et similitudinem nostram, quia sicut unus Deus est in toto mundo, et in qualibet ejus parte, et regit et gubernat mundum, tamen nihil recipit, sed dat sibi esse. Et si mundus corrumperetur, ex hoc non corrumperetur Deus, quia nihil habet ab eo. Ita de anima intellectiva, una in toto corpore, et in qualibet ejus parte, etc. Ideo corrupto corpore non corrumpitur anima. In ista excellentia homo presidet piscibus maris, universeque creature, quia in illis anima totum esse habet a corpore, et ipsis corruptis

Digitized by Google

corrumpitur anima. Nota hic errorem Saduceorum qui credebant quod sicut in aliis creaturis corrumpitur simul corpus et anima, etiam sic in homine, quibus dicit Christus: « Erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei. De mortuis autem nunquid legistis in libro Moysi quando dixit illi Deus: Ego sum Deus Abraam, Deus Isaac, et Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium. » Vos ergo multum erratis. Nota Erratis, nescientes scripturas, que dicunt oppositum. Neque virtutem Dei, qui creat animam de nihilo. Vos ergo multum erratis quia error qui maxime et multum nocet homini, est non credere anime perpetuitatem, quia ex hoc statim perdit spem glorie quam non desiderat, et perdit timorem penarum inferni quas non vitat. His amotis omnia peccata veniunt sibi in promptu, quia non timet divinum judicium. Propter hoc diabolus subtilis singulariter tentat gentes de isto errore, quo admisso gentes faciliter peccant. Talibus accidit ut asino, qui oculis clausis circuit tumbam. Sic a diabolo clausis gentium oculis anime, sc. spei et timoris, circumeunt bona temporalia, et in fine inveniunt se deceptos. Ideo dixit Christus: Multum erratis. Contra hunc errorem sancta mater ecclesia fecit heri solennitatem de sanctis animabus que vivunt in paradiso, et hodie de illis que vivunt in purgatorio. Ideo dicit thema: Est cogitatio, sc. ecclesie universalis pro defunctis, sc. qui sunt in purgatorio, exorare. Patet thema.

Nota: Pro defunctis, non dicit pro omnibus universaliter, sed pro defunctis particulariter seu indefinite. Nam defuncti sunt in triplici gradu seu differentia, secundum Augustinum:

Quidam sunt ita boni et perfecti, quod nostris orationibus non indigent.

Quidam sunt ita mali et perversi quod orationes et suffragia nihil eis proficiunt.

Quidam sunt mediocres, qui de nostris orationibus et suffragiis magnum profectum sentiunt.

Quantum ad primum, sicut sunt illi qui jam sunt beati in paradiso, qui non indigent nostro suffragio, imo nos indigemus eorum. Ratio, quia in instanti in quo anima innocentis vel condigne penitentis intrat paradisum, statim recipit salarium simul totum de omnibus bonis que fecit, sive corde cogitando, seu ore loquendo, vel opere faciendo, sc. dando aquam frigidam, si non potest dare aliud, pro illo habebit salarium in paradiso. Autoritas: « Quicunque potum dederit uni ex minimis istis », etc. (Mat, 10.) Quanto ergo magis ex magnis operibus! Nam servat Deus modum aliquorum dominorum, qui servitoribus suis non solvunt modicum, sed simul, intantum quod gradus glorie essentialis nunquam post augmentantur. Ideo dicit Job: « Constituisti terminos ejus, sc. glorie essentialis, qui preteriri non poterunt. » Dicunt philo-

Digitized by Google

In die Animarum

(Recueil imprimé)

Est cogitatio pro defunctis exorare.
(II Mach. 12.)

Tota solennitas et officium presentis diei est pro defunctis exorare, omnium fidelium defunctorum. Sicut sancta mater ecclesia heri fecit festum de sanctis animabus, que jam sunt in paradiso, que ibidem sunt cum certitudine, sic hodie fit de animabus que sunt in purgatorio, sperantes ad paradisum pervenire, propter hoc etiam orat ecclesia ut cito ad gloriam introducantur. Ideo volens me ordinationi ecclesie conformare, volo nunc vobis predicare de animabus purgatorii. Sed prius salutetur virgo Maria, etc.

Pro fundamento sciendum quod quando Deus creavit mundum, magnam differentiam fecit inter creationem creaturarum corporalium vitam habentium, et hominem. Quia de creaturis corporalibus vitam habentibus, alique habent solum animam vegetativam, ut plante, que possunt augmentari, alique autem habent animam vegetativam et sensitivam, ut animalia irrationabilia. Sed homo habet animam vegetativam, sensitivam, et intellectivam. Et est talis differentia inter creaturas corporales et hominem, quia in creaturis vitam habentibus anima vegetativa et sensitiva educitur de potentia materie. Et quando creatura moritur, anima vegetiva et sensitiva moritur, et desinit esse, non sic de anima intellectiva hominis, quia non educitur de potentia materie, nec habet fundamentum. nec aliquod sustentamentum active, imo ipsa sustinet corpus, et totum esse corporis est ab anima, et ipsa a solo Deo creatur in utero matris. Ideo mortuo homine remanet in suo esse, quia nihil habet a corpore. Ideo dicit Deus : « Omnes anime mee sunt, ut anima patris, ita et anima filii mea est. » (Ezech. 18.) « Anima que peccaverit ipsa morietur. » (Ibidem.) Quando homo peccat mortaliter, moritur anima, quia perdit divinam gratiam, sed non perdit esse essentiale. Ideo mortuo corpore anima intellectiva remanet in suo essentiali esse et perpetuali. Ideo dixit Deus a principio : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram », etc. (Gen. 1.) Nota ad imaginem et similitudinem nostram, quia sicut unus Deus est in toto mundo, et in qualibet ejus parte, et regit et gubernat mundum, tamen nihil recipit, sed dat sibi esse. Et si mundus corrumperetur, ex hoc non corrumperetur Deus, quia nihil habet ab eo. Ita de anima intellectiva, una in toto corpore, et in qualibet ejus parte, etc. Ideo corrupto corpore non corrumpitur anima. In ista excellentia homo presidet piscibus maris, universeque creature, quia in illis anima totum esse habet a corpore, et ipsis corruptis

Digitized by Google

corrumpitur anima. Nota hic errorem Saduceorum qui credebant quod sicut in aliis creaturis corrumpitur simul corpus et anima, etiam sic in homine, quibus dicit Christus: « Erratis, nescientes scripturas neque virtutem Dei. De mortuis autem nunquid legistis in libro Moysi quando dixit illi Deus: Ego sum Deus Abraam, Deus Isaac, et Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium. » Vos ergo multum erratis. Nota Erratis, nescientes scripturas, que dicunt oppositum. Neque virtutem Dei, qui creat animam de nihilo. Vos ergo multum erratis quia error qui maxime et multum nocet homini, est non credere anime perpetuitatem, quia ex hoc statim perdit spem glorie quam non desiderat, et perdit timorem penarum inferni quas non vitat. His amotis omnia peccata veniunt sibi in promptu, quia non timet divinum judicium. Propter hoc diabolus subtilis singulariter tentat gentes de isto errore, quo admisso gentes faciliter peccant. Talibus accidit ut asino, qui oculis clausis circuit tumbam. Sic a diabolo clausis gentium oculis anime, sc. spei et timoris, circumeunt bona temporalia, et in fine inveniunt se deceptos. Ideo dixit Christus: Multum erratis. Contra hunc errorem sancta mater ecclesia fecit heri solennitatem de sanctis animabus que vivunt in paradiso, et hodie de illis que vivunt in purgatorio. Ideo dicit thema: Est cogitatio, sc. ecclesie universalis pro defunctis, sc. qui sunt in purgatorio, exorare. Patet thema.

Nota: Pro defunctis, non dicit pro omnibus universaliter, sed pro defunctis particulariter seu indefinite. Nam defuncti sunt in triplici gradu seu differentia, secundum Augustinum:

Quidam sunt ita boni et perfecti, quod nostris orationibus non indigent.

Quidam sunt ita mali et perversi quod orationes et suffragia nihil eis proficiunt.

Quidam sunt mediocres, qui de nostris orationibus et suffragiis magnum profectum sentiunt.

Quantum ad primum, sicut sunt illi qui jam sunt beati in paradiso, qui non indigent nostro suffragio, imo nos indigemus eorum. Ratio, quia in instanti in quo anima innocentis vel condigne penitentis intrat paradisum, statim recipit salarium simul totum de omnibus bonis que fecit, sive corde cogitando, seu ore loquendo, vel opere faciendo, sc. dando aquam frigidam, si non potest dare aliud, pro illo habebit salarium in paradiso. Autoritas: « Quicunque potum dederit uni ex minimis istis », etc. (Mat, 10.) Quanto ergo magis ex magnis operibus! Nam servat Deus modum aliquorum dominorum, qui servitoribus suis non solvunt modicum, sed simul, intantum quod gradus glorie essentialis nunquam post augmentantur. Ideo dicit Job: « Constituisti terminos ejus, sc. glorie essentialis, qui preteriri non poterunt. » Dicunt philo-

Digitized by Google

sophi, et signanter medici, quod augmentum essentiale hominis communiter terminatur in tertio septenario, quamvis etiam ulterius delectationibus valeat et pinguedine dilatari. Ita etiam de anima, quando intrat paradisum, statim attingit ad ultimum gradum sue glorie essentialis, ultra quem non est ascensus, dilatatur tamen, quia gaudet de bonis operibus que fiunt propter Dei honorem, et propter utilitatem nostram, et hec vocatur gloria accidentalis. Sed gloria essentialis, que est visio, dilectio, et fruitio, non augmentatur. Ecce quare dicit : Constituisti terminos ejus, sc. hominis, sc. augmenti corporalis, et glorie essentialis, qui preteriri non poterunt. Ideo non oramus pro istis ut eorum gloria augmentetur, sed oramus eos ut ipsi orent pro nobis dicentes : « Orate pro nobis, omnes sancti Dei, ut digni efficiamur promissionibus Christi. »

Quantum ad secundum : quidam sunt ita mali et perversi, sic quod nostre orationes non possunt eis valere, sicut sunt peccatores qui sciunt se stare et vivere in peccatis et mala vita, et non convertuntur. Deus ordinavit viam humilitatis ad paradisum, et ipsi volunt ire per viam superbie, et sic de aliis, nec confitentur nisi propter verecundiam mundi, et tunc ficte. Tales quando moriuntur, statim descendunt ad infernum : « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. » (Job. 22.) Nota : in puncto, sc. onere peccatorum, ut si mola caderet de aere subito in mare. Hoc declaravit Joannes, qui vidit angelum cum magno lapide molari. Ad quem Joannes : Quid est hoc ? Respondit angelus : Hoc impetu mittetur Babylon, id est confusio, sicut sunt illi qui nullum ordinem servant in vita sua, mittentur in profundum inferni. (Apoc. 18.) Istis autem non proficiunt orationes, nec suffragia. Ratio, quia sicut membro abcisso et mortuo vitalia cibaria non proficiunt, nec medicine, sic nec damnatis in inferno, quibus tanquam membris mortuis a corpore ecclesie totaliter abscissis totalia cibaria ecclesie, sc. corpus et sanguis Jesu Christi, et orationes, et bona opera nihil proficiunt, intantum quod si omnes misse dicerentur pro una anima damnata, non proficerent sibi in quocunque, nec etiam medicine ecclesie, nec sacramenta eis possunt perficere, nec confortatio sanctarum doctrinarum. « Mortuo homine impio nulla erit ultra spes. » (Prov. 1.) Nota : mortuo impio, non dicit homine peccatore, quia pejor est homo impius, quia impius est peccator impenitens. Ecce qualem impietatem facit, ac si haberet filiam pulchram et gratam, que caderet in puteo, et nollet eam inde extrahere, vel in ignem, seu in lutum, vel aquam. Sic quilibet peccator habet unam filiam legitimam, pulchram, et gratam, sc. animam, et videns quod cadit in lutum superbie, et tu posses eam retinere per humilitatem, et non curas. Item in ignem avaritie dimittis cadere. Dicit : Pro certo ego congregabo pecunias ; et tu posses eam extrahere per restitutionem, et non curas. Item cadit in flumen per decursum luxurie, et posses eam retinere

Digitized by Google

per castitatem, et per abstinentiam, quia venter et ille partes vicine sunt, etc.; talis dicitur impius, quia non curat de sua filia, imo verius de filia Christi. Ideo dicitur : Mortuo homine impio nulla erit ultra spes, nec alleviandi, nec deponendi onus penarum inferni, nec exeundi. Ex hoc extirpatur error aliquorum dicentium, quod licet suffragia non possent eos extrahere de inferno, tamen dant eis aliquam alleviationem et consolationem, hoc est error. Et dant exemplum de famulo, qui portat onus, cui datur ad comedendum et bibendum, licet non deponat onus penarum, quia licet non possunt onus deponere, tamen sentiunt refrigerium, etc.; error est, imo augmentatur eis pena, quando homo orat pro aliquo qui est damnatus, quamvis hoc nesciatur ; non solum tamen non valet ad exeundum, sed etiam sibi penam auget. Declaratur per similitudinem de milite captivo in Barbaria, cui mittitur precium perditum, non solum non exit de captivitate, nec refrigeratur, imo cruciatur, quando scit quod precium est perditum. Sic etiam precium de animabus, et suffragium, misse, et orationes, etc., que quando vident quod non possunt eis proficere, cruciantur, et maledicunt se et diem nativitatis. Ideo pro eis non oramus, quia licet indigeant suffragiis, non tamen possunt eis proficere nec valere. Aug. dicit : Si scirem animam patris mei in inferno, conscientiam haberem orare pro illo. Ideo orat ecclesia : « Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei, Deus, et salva me. »

Quantum ad tertium : quidam sunt mediocres, qui de nostris suffragiis et orationibus habent magnum placitum, sicut sunt anime peccatorum, que licet fecerint multa peccata, tamen pro tempore convertuntur ad Deum, et confitentur, sed non cum tanta contritione ut Maria Magdalena, cui Deus remisit peccata quantum ad culpam et penam. Tales quando decedunt vadunt ad purgatorium, quia licet culpe remittuntur in confessione, tamen adhuc remanent sive restant pene ad solvendum, vel hic, vel in purgatorio in quo est ignis clarus. Secus de illo in inferno qui est obscurus. Ille autem ignis est instrumentum divine justitie, quia alias flamma corporalis non posset agere in animam spiritualem. Sicut verba corporalia sacerdotis non possunt transsubstantiare, nisi inquantum sunt instrumentum Dei. Ita de illo igne in quo aliqui stant solum per momentum, et subito transeunt ut sagitta, aliqui stant per horam, aliqui per diem, etc., aliqui usque ad diem judicii, secundum quod Deo placet. Et quantuncunque ibi parum stant, videntur eis stetisse per centum annos, ita pena est dura et aspera. Qui purificati, per bonum angelum inde extrahuntur, et ad paradisum deducuntur. Sicut enim bonus argentarius, qui vult facere pulchrum opus auri vel argenti, non ponit aurum vel argentum in opere, quousque in furnello est purificatum. Ita Christus optimus argentarius purificavit animas que dicuntur aurum

Digitized by Google

ex charitativa conscientia, et argentum ex clara credentia, in inferno purgatorii. Autoritas: « In igne probatur, id est purgatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. » (Eccl. 2.)

Sed ecce hic consolatio, quia tempus eis a Deo taxatum per suffragia orationum, eleemosynarum, missarum, jejuniorum, et hujusmodi, potest minui, quia jam in tali conditione Deus taxavit eis tempus dicens : Tu stabis hic per diem, vel horam vel annum, tamen tam bonum adjutorium posses habere, etc., Et pro istis oramus. Est cogitatio, sc. ecclesie universalis, pro defunctis exorare. Ratio, quia sicut rex si teneret militem incarceratum sub terra pro aliquo crimine in pane et aqua, nec aliquis posset loqui cum eo, talis non potest se juvare, sed oportet eum ibi complere tempus a rege taxatum, nisi amici sui et servitores regis juvent eum, qui congregati vadunt ad regem dicendo : Domine, talis amicus noster est captus, et bene meretur ipse, sed ecce, Domine, nos sumus servitores vestri, etc., presentamus vobis istam cupam auri vel mille florenos. Deinde vadunt ad reginam, rogantes eam ut intercedat pro illo apud regem, cui presentant centum perlas de preciosis. Deinde ad consiliarios, et secretarios regis, et usque ad stabularios dant dona.

Quando regina et omnes rogant pro illo, et rex scit de muneribus factis, dicit : Modo ipse debebat stare per quinque vel sex annos, volo quod non stet nisi per mensem, et quod detur sibi ad comedendum, etc., vel exeat statim. Ita fit hodie de amicis nostris, de quibus cogitamus quod sint in purgatorio in illa dura captione, propter hoc hodie congregati vadimus ad regem Christum in domo sua, sc. ecclesia, supplicando communiter et generaliter pro omnibus, licet enim simus peccatores, tamen servi sumus, et presentamus sibi cupam auri, sc. hostiam consecratam, in qua est Christus verus Deus et verus homo, ut fuit in utero virginis Marie, que plus placet sibi quam si regi presentarentur mille millia florenorum, si clericus sit bonus, quia aliter dicit Gregorius : Cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Deinde ad reginam virginem Mariam, presentando sibi *Ave Maria*, genibus flexis dicendo : *Ave Maria*, et : virgo Maria, orate pro patre meo, vel matre mea, etc. Plus placet sibi quam margarite unquam placuerint regine. Deinde ad consiliarios, sc. patriarchas, presentando eis florenos, sc. *Pater noster*, etc., usque ad stabularios, sc. pauperes, qui vadunt per terram. Et facto opere, debet Deo offerri. Et tunc rex Christus pius et benignus, qui non mutat intentionem offerentis, alleviat penam, vel extrahit de purgatorio. O si posset videri processio que hodie exit de purgatorio sanctarum animarum ! « Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. » (Mach. 12.) Nota sancta, quia placet Deo, et salubris, quia liberat animas a penis purgatorii, et proficit amicis offerentibus.

Digitized by Google

Die Mortuorum

(Canevas autographe)

Omnes qui in monumento sunt audient vocem filii Dei.
(Joan. 5.)

Hoc thema loquitur de voce Christi suscitante mortuos in fine mundi. Sed occurrit duplex questio.

Prima : Quid de mortuis qui nunquam fuerunt sepulti in monumentis, ut de comestis a bestiis, de submersis in aqua, de suspensis in aere, de combustis in igne, et hujusmodi? — Responsio quod monumenta generalia mortuorum sunt quatuor elementa. Ps. 48 : « Sepulcrum eorum, domus illorum in eternum. »

Secunda : Quomodo corpora mortuorum incinerata in monumentis audire poterunt vocem filii Dei ? — Responsio : loquitur de animabus seu spiritibus defunctorum quorum etiam sunt quatuor monumenta generalia :

Infernus dampnatorum ;
Lymbus parvulorum ;
Locus purgandorum ;
Celum beatorum.

Et quod de hiis monumentis potest intelligi per illud Math. 24 : « Mittet angelos suos... et congregabunt electos ejus a quatuor ventis celi », etc.

In primo sepeliuntur persone impenitentes. Patet de divite epulone et delicato. Luc. 16 : « Mortuus est dives et sepultus est in inferno. » Pro istis non oramus, quia nullum remedium habere possunt ; ut ibidem patet de gutta aque quam non potuit obtinere. Eccl. 14 : « Ante obitum tuum operare. »

In secundo sepeliuntur parvuli sine baptismate decedentes, sive sint filii Christianorum, sive infidelium, cum eadem sit ratio utrorumque, sc. infectio culpe originalis. Apoc. 21 : « Non intrabit in ea aliquid coinquinatum », etc. Isa. 22 : « Quid tu hic, aut quasi quis hic ? quia », etc. — Pro hiis etiam non oramus propter impossibilitatem salutis eorum. Joan. 3 : « Amen, amen dico tibi : nisi quis renatus fuerit », etc.

In tertio persone penitentes, sed non sufficientes, nam aurum et argentum purificandum prius ponitur in camino antequam in fabrica. Eccl. 2 : « In igne probatur aurum », etc. « Emerunt ex illo agrum figuli in sepulturam peregrinorum. » (Mat. 27.) Pro hiis solum oramus, sicut homines pro amico incarcerato apud temporalem Dominum intercedunt. III Mach. 11 : « Sancta ergo et salubris », etc. Job. 3 : « Quasi effodientes thesaurum », etc.

Digitized by Google

In quarto persone sancte et munde ad plenum. Luc. 16 : « Factum est ut moreretur mendicus et portaretur », etc. Pro hiis etiam non oramus, quia non indigent orationibus nostris, sed nos potius eorum orationibus indigemus. « Voca ergo si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctum convertere. » (Job. 5.)

In die Animarum

(Recueil imprimé)

Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei.
(Joan. 5.)

Sicut heri fecimus memoriam et solemnitatem omnium sanctorum qui jam sunt in paradiso in gloria celesti, ita hodie fit officium de animabus que sunt in purgatorio. Et convenit multum bene, quia nos non sumus sufficientes extrahere animas de purgatorio, jungimus nobis omnes sanctos. Ideo modo volo predicare de statu et conditionibus animarum. Materia est de qua nullus quasi predicat, et est tamen materia utilis et necessaria. Salutetur prius virgo Maria, etc.

Notandum est igitur quod articulus est fidei Christiane, et veritas clara, quod in fine mundi omnes gentes, sc. boni et mali, magni, parvi, fideles et infideles, habent resurgere in judicio, et in adventu Christi ad judicium. Et hoc dicit sanctus Thomas. Et ratio est, quia anima separata a corpore est quasi imperfecta. Ideo ut ultimam perfectionem habeat, iterum anima corpori conjungetur, ut dicit idem doctor, et hoc fiet in resurrectione. Et tamen etiam alia ratio ad hoc, quia certum est quod bona vel mala que fecimus non solum fecimus cum anima, sed simul cum anima et corpore. Primo enim fiunt ab anima cogitando, deliberando, desiderando, et ordinando, sed in executione corpus associatur anime. Et ex ista ratione Deus prius dat animabus gloriam vel penam, quam corporibus. Anime enim sanctorum jam sunt in gloria, et corpora eorum adhuc sunt in terra. Et ergo vult Deus quod anima que prius habuit meritum, etiam habeat gloriam. Sed quia finaliter in executione operis corpus operatum est partem suam, vult Deus ut corpora resurgant, et simul cum animabus habeant gloriam. Idem de malis operibus, prius anima ordinando, cogitando, etc., habuit suum peccatum sic desiderando et ordinando, sed in executione corpus operatur. Corpus enim cum anima facit homicidium ex vindicta, vel furatur, vel luxuriatur. Ideo Deus primo dat penam animabus. Ubi sunt modo

Digitized by Google

anime Jude, et Machometi? In inferno, quia prius demeruerunt; ergo plus puniuntur anime quam corpora. Et quia corpora in executione cooperata sunt, ideo vult Deus ut suscitentur in judicio, ut simul cum animabus habeant damnationem. Ista est ratio quare boni et mali resurgent, ut corpora simul cum animabus recipiant gloriam vel penam. De hoc est autoritas Athanasii, qui dicit in symbolo: « Ad cujus adventum omnes resurgere habent », etc. Ita resurrectio non fiet per posse nature, vel alicujus creature, ut dicit sanctus Thomas quod simpliciter loquendo resurrectio est miraculosa, non naturalis, nisi secundum quid, quia licet creature possunt occidere vivos, non tamen possunt suscitare mortuos. Solus enim creator qui de nihilo, solo verbo cuncta creavit, non ut magister ascia laborando, etc., sed verbo, dicendo : Fiat celum, fiant luminaria, etc.; et statim : « ipse dixit, et facta sunt », ut ait David. Tanta est virtus ejus verbi, quod quas de nihilo fecit, creaturas resuscitabit verbi sui imperio. Quid est plus creare de nihilo, an restituere illud quod jam fuit? Certum est quod plus est creare, quod est de nihilo aliquid facere, quam illud quod est facere aliquid ex presupposito, quia argentarius de pulveribus argenti facit cyphum, ut erat prius, qui tamen de nihilo non posset facere cyphum argenteum. Non est ergo mirum si summus argentarius Deus ex pulveribus corporum restituat integra corpora, quando in judicio precipiet venire omnes mortuos dicens: Surgite, mortui, etc. De ista voce loquitur thema dicens: Omnes qui in monumentis sunt, etc. De ista voce dicit David: « Ecce dabit voci sue vocem virtutis.» Glosa, suscitandi mortuos. Patet thema.

Sunt hic due questiones subtiles :

Prima super primam clausulam thematis, sc.: « Omnes qui in monumentis sunt » ;

Secunda super secundam, cum dixit : « Audient vocem filii Dei. »

In prima clausula Christus respondet tacite questioni, quasi esset sibi dictum : Qui suscitabuntur in judicio? Respondet : Omnes qui in monumentis sunt. Est hic igitur questio : Quid erit de illis qui non sunt nec unquam fuerunt sepulti in monumentis, sicut sunt illi qui moriuntur in desertis, et comeduntur a bestiis? Item de submersis, qui comeduntur a piscibus. Item de suspensis in aere, qui comeduntur ab avibus. Item de combustis et fiunt cineres, et sic de similibus, qui nunquam habuerunt monumentum, vel sepulchrum, quid ergo erit de istis? Nota pro illo dubio duas responsiones. Prima est literalis. Secunda moralis. Pro prima literali dico quod impossibile est aliquem mori quomodocunque, quin sepeliatur in monumento. Et hoc declaratur sic: Nam Deus fecit quatuor monumenta generalia pro omnium hominum corporibus, et nullus est quin in aliquo istorum sepeliatur : Et ista monumenta sunt quatuor elementa, terra, aqua, aer, et ignis. Terra est monumen-

Digitized by Google

tum commune, licet aqua nobilius monumentum sit quam terra. Sed quia non est consuetum, ideo raro ibidem sepeliuntur homines, nisi pro delictis puniantur, et isti comeduntur a piscibus, sed qui sepeliuntur in terra, a vermibus et serpentibus. Nobilius autem est comedi a piscibus, quam a serpentibus vel vermibus. Tertium monumentum, sc. aer est nobilius, in quo sepeliuntur suspensi, sed et comeduntur ab avibus. Alii sepeliuntur in igne, sc. illi qui comburuntur. Non enim aliquod est corpus hominis, nec fuit, nec erit quin in aliquo istorum monumentorum sit sepultum, vel in omnibus, quia sicut corpus est mixtum et compositum ex quatuor elementis, et in illa resolvitur, ergo quomodocunque vadat, in monumentis sepelitur. Ideo dicit Christus: Omnes qui in monumentis sunt, etc. Quod autem elementa dicantur necessario sepulchra vel monumenta, hoc patet ex scriptura David psal. 48 : « Sepulchra eorum' sc. hominum, domus illorum, sc. corporum in eternum. » Modo nec monumenta pape, nec regum, nec Christi, durabunt in eternum, quia ignis conflagrationis destruet, etiam aurum et argentum, quia purgabit totum mundum, et removebit omnem imperfectionem ex culpa relictam, et impuritatem commixtionis, et erit dispositio ad glorie perfectionem, ut dicit sanctus Thomas. Et etiam totus mundus innovabitur. Ergo necessario autoritas intelligitur de elementis, quia nihil elementatum remanebit, et de elementis intelligitur cum dicit thema: « Omnes qui in monumentis sunt », etc.

Secunda responsio est moralis ad bonam instructionem nostram. Invenitur in sacra scriptura quod persone male vite dicuntur sepulchra. Et ad hoc est ratio, et autoritas. Ratio est, quia communiter monumenta maxime divitum de foris sunt ornata et picta, sed intus plena corruptionibus cadaverum. Tales sunt persone male vite, et peccatores, que extra sunt ornate, et picte, sed intus sunt plene peccatis. V. gr.: Quando videtis regem coram quo portatur ensis, qui representat justitiam, quam ipse facere deberet omnibus, et tamen forte contingit quod ipse erit injustus, talis sepulchrum est, etc. Idem de malo prelato, papa, vel cardinale, episcopo, etc. Jam videtis extra quomodo sunt ornati, etc., sed si sint male vite, porcus per luxuriam, simoniacus, etc., pulchrum monumentum est ad extra, sed intus cave ab eo, quia plenus peccatis. Idem de predicatore, qui ad extra portat habitum nigrum, qui significat honestatem, ut albus puritatem, sed si sit male vite, etc. Idem de clerico, qui jam portat coronam regalem, et pulchrum superpellicium, sed si intus sit corruptus, sepulchrum est. Idem de vicariis et de balivis, qui extra portant baculum, sed si intus sunt repleti criminibus, et delictis, sepulchra dicuntur. Idem de mulieribus, que communiter incedunt ornate et picte, sed intus secrete erit putana, plena odiis, et malis voluntatibus, et desideriis, sepulchra sunt. Ex ista ratione scriptura

Digitized by Google

vocat malas personas sepulchra. Talibus dicebat Christus : « Ve vobis scribe et pharisei hypocrite », etc. (Mat. 23.) Ecce quare male persone dicuntur monumenta.

Cum ergo dicit Christus in themate : « Omnes qui in monumentis sunt », etc., quasi dicat : non solum boni de quibus nunquam fuit dubium, quia ex quo hic non habebant remunerationem, alibi habuerunt in celo. Nam ratio dictat ut illic remunerentur. De malis autem fuit dubium ex illo verbo David : « Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. » Ex hoc opinati sunt aliqui quod peccatores non resurgent, sed dicit imo, quia omnes qui in monumentis sunt, etc. Non solum loquitur de bonis, sed etiam de malis, ut patet ex dictis. Ad autoritatem David dicitur quod in judicio boni non resurgent ut judicentur, sed ut judicent, maxime illi qui tenuerunt vitam apostolicam, quia dicit sanctus Thomas quod judiciaria potestas paupertati debetur propter tria : Prima ratio est, quia propter Deum omnia derelinquunt, et soli Christo inherent, et ideo non est eis aliquid quod eorum judicium a justicia deflectat. Unde et idonei ad judicandum redduntur. — Secunda ratio est propter humilitatem, cui correspondet exaltatio, sed nihil ita despectum facit hominem in hoc muudo ut paupertas, ergo merito exaltantur ut alios judicent. — Tertia ratlo, quia paupertas est dispositio ad predictam potestatem, ut declarat ibidem. Et ergo non omnibus pauperibus repromittitur, sed illis qui relinquentes omnia sequuntur Christum secundum perfectionem vite.

In illa ergo die virgo Maria, et apostoli, et alii sancti de vita apostolica erunt conjudicantes cum Christo, et totus mundus erit subtus inferius a dextris et a sinistris, et Christus dicet virgini : Mater mea, quid vobis videtur ? non quod Christus indigeat consilio, sed propter honorem virginis et sanctorum. Sed peccatores non sic resurgent ut judicent, sed ut judicentur. Neque peccatores in consilio. id est congregatione justorum seu sanctorum, sed inferius erunt a sinistris. Ideo Christus contra dubium illorum dicit : « Omnes qui in monumentis sunt. » Patet ergo quod clara est prima questio.

Secunda questio est super clausulam secundam, sc. audient vocem filii Dei. Contra est hic questio, quia certum est quod in monumentis, quocunque modo sumatur, in eis non sunt nisi corpora putrida et resoluta. Talia enim corpora non possunt audire, quia non est ibi anima, quare ergo dicit : « Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei, si non habent aures, et animam ? — Responsio est, quod sicut Deus ordinavit quatuor monumenta corporibus, ita etiam quatuor animabus, et non est aliqua anima bona sive mala, quin in aliquo istorum quatuor collocetur, et ista monumenta dicuntur receptacula, que con-

Digitized by Google

tum commune, licet aqua nobilius monumentum sit quam terra. Sed quia non est consuetum, ideo raro ibidem sepeliuntur homines, nisi pro delictis puniantur, et isti comeduntur a piscibus, sed qui sepeliuntur in terra, a vermibus et serpentibus. Nobilius autem est comedi a piscibus, quam a serpentibus vel vermibus. Tertium monumentum, sc. aer est nobilius, in quo sepeliuntur suspensi, sed et comeduntur ab avibus. Alii sepeliuntur in igne, sc. illi qui comburuntur. Non enim aliquod est corpus hominis, nec fuit, nec erit quin in aliquo istorum monumentorum sit sepultum, vel in omnibus, quia sicut corpus est mixtum et compositum ex quatuor elementis, et in illa resolvitur, ergo quomodocunque vadat, in monumentis sepelitur. Ideo dicit Christus: Omnes qui in monumentis sunt, etc. Quod autem elementa dicantur necessario sepulchra vel monumenta, hoc patet ex scriptura David psal. 48 : « Sepulchra eorum' sc. hominum, domus illorum, sc. corporum in eternum. » Modo nec monumenta pape, nec regum, nec Christi, durabunt in eternum, quia ignis conflagrationis destruet, etiam aurum et argentum, quia purgabit totum mundum, et removebit omnem imperfectionem ex culpa relictam, et impuritatem commixtionis, et erit dispositio ad glorie perfectionem, ut dicit sanctus Thomas. Et etiam totus mundus innovabitur. Ergo necessario autoritas intelligitur de elementis, quia nihil elementatum remanebit, et de elementis intelligitur cum dicit thema: « Omnes qui in monumentis sunt », etc.

Secunda responsio est moralis ad bonam instructionem nostram. Invenitur in sacra scriptura quod persone male vite dicuntur sepulchra. Et ad hoc est ratio, et autoritas. Ratio est, quia communiter monumenta maxime divitum de foris sunt ornata et picta, sed intus plena corruptionibus cadaverum. Tales sunt persone male vite, et peccatores, que extra sunt ornate, et picte, sed intus sunt plene peccatis. V. gr.: Quando videtis regem coram quo portatur ensis, qui representat justitiam, quam ipse facere deberet omnibus, et tamen forte contingit quod ipse erit injustus, talis sepulchrum est, etc. Idem de malo prelato, papa, vel cardinale, episcopo, etc. Jam videtis extra quomodo sunt ornati, etc., sed si sint male vite, porcus per luxuriam, simoniacus, etc., pulchrum monumentum est ad extra, sed intus cave ab eo, quia plenus peccatis. Idem de predicatore, qui ad extra portat habitum nigrum, qui significat honestatem, ut albus puritatem, sed si sit male vite, etc. Idem de clerico, qui jam portat coronam regalem, et pulchrum superpellicium, sed si intus sit corruptus, sepulchrum est. Idem de vicariis et de balivis, qui extra portant baculum, sed si intus sunt repleti criminibus, et delictis, sepulchra dicuntur. Idem de mulieribus, que communiter incedunt ornate et picte, sed intus secrete erit putana, plena odiis, et malis voluntatibus, et desideriis, sepulchra sunt. Ex ista ratione scriptura

Digitized by Google

vocat malas personas sepulchra. Talibus dicebat Christus : « Ve vobis scribe et pharisei hypocrite », etc. (Mat. 23.) Ecce quare male persone dicuntur monumenta.

Cum ergo dicit Christus in themate : « Omnes qui in monumentis sunt », etc., quasi dicat : non solum boni de quibus nunquam fuit dubium, quia ex quo hic non habebant remunerationem, alibi habuerunt in celo. Nam ratio dictat ut illic remunerentur. De malis autem fuit dubium ex illo verbo David : « Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. » Ex hoc opinati sunt aliqui quod peccatores non resurgent, sed dicit imo, quia omnes qui in monumentis sunt, etc. Non solum loquitur de bonis, sed etiam de malis, ut patet ex dictis. Ad autoritatem David dicitur quod in judicio boni non resurgent ut judicentur, sed ut judicent, maxime illi qui tenuerunt vitam apostolicam, quia dicit sanctus Thomas quod judiciaria potestas paupertati debetur propter tria : Prima ratio est, quia propter Deum omnia derelinquunt, et soli Christo inherent, et ideo non est eis aliquid quod eorum judicium a justicia deflectat. Unde et idonei ad judicandum redduntur. — Secunda ratio est propter humilitatem, cui correspondet exaltatio, sed nihil ita despectum facit hominem in hoc muudo ut paupertas, ergo merito exaltantur ut alios judicent. — Tertia ratlo, quia paupertas est dispositio ad predictam potestatem, ut declarat ibidem. Et ergo non omnibus pauperibus repromittitur, sed illis qui relinquentes omnia sequuntur Christum secundum perfectionem vite.

In illa ergo die virgo Maria, et apostoli, et alii sancti de vita apostolica erunt conjudicantes cum Christo, et totus mundus erit subtus inferius a dextris et a sinistris, et Christus dicet virgini : Mater mea, quid vobis videtur ? non quod Christus indigeat consilio, sed propter honorem virginis et sanctorum. Sed peccatores non sic resurgent ut judicent, sed ut judicentur. Neque peccatores in consilio. id est congregatione justorum seu sanctorum, sed inferius erunt a sinistris. Ideo Christus contra dubium illorum dicit : « Omnes qui in monumentis sunt. » Patet ergo quod clara est prima questio.

Secunda questio est super clausulam secundam, sc. audient vocem filii Dei. Contra est hic questio, quia certum est quod in monumentis, quocunque modo sumatur, in eis non sunt nisi corpora putrida et resoluta. Talia enim corpora non possunt audire, quia non est ibi anima, quare ergo dicit : « Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei, si non habent aures, et animam ? — Responsio est, quod sicut Deus ordinavit quatuor monumenta corporibus, ita etiam quatuor animabus, et non est aliqua anima bona sive mala, quin in aliquo istorum quatuor collocetur, et ista monumenta dicuntur receptacula, que con-

Digitized by Google

venienter animabus post mortem assignantur, et in illis anime collocantur ut in monumentis. Monumentum igitur

Primum est inferius damnatorum ;
Secundum est limbus puerorum ;
Tertium est locus purgandorum ;
Quartum est locus beatorum.

Omnes anime vadunt in aliquem istorum quatuor locorum, sicut corpora in aliquem. Quando ergo dicit Christus : Omnes qui in monumentis sunt, intelligitur de animabus, quando ad quatuor partes mundi clamabitur : Surgite, mortui, etc. Ista vox audietur in inferno damnatorum, in limbo puerorum, in purgatorio, et in celo, et statim quelibet anima virtute Dei inveniet suum corpus, quod cognoscet sicut tu de mane surgis de lecto, et cognoscis tunicam, qua expoliatus fuisti in sero. De istis monumentis potest intelligi illud Mat. 24 : « Mittet angelos suos cum tuba », etc. Nota, a summis celorum, sc. novem ordinibus angelorum, in quibus anime sanctorum sunt collocate, et omnes audient illam vocem usque ad terminos eorum. Terminus est illud quod plus distat, quia omnes qui sunt ibi, audient etiam illam vocem tube. Non intelligatis quod sit ibi tuba materialis, sed quia illa est vox Christi resurrectionem imperantis et dicentis : Surgite mortui, venite ad judicium. Vel est vox angeli, que erit terribilis, ergo comparatur voci tube, que est vox terroris. In primo monumento, sc. in inferno damnatorum ibi est ignis, quasi flamma de sulphure, quia dicit sanctus Thomas : locus inferni talis erit ut competat miserie damnatorum. Unde secundum hoc sunt ibi lux et tenebre, prout maxime spectat ad miseriam damnatorum. Ipsa autem visio est delectabilis secundum se, ut habetur in principio Metaphysice. Sensus oculorum est maxime diligibilis, eo quod per ipsum plura cognoscimus, sed per accidens contingit visionem esse afflictivam, inquantum videmus aliqua nobis nociva vel repugnantia voluntati. Et ideo in inferno hoc modo debet esse locus dispositus, ad videndum secundum lucem et tenebras, quod ibi nihil perspicue videatur, sed solum illa sub quadam umbrositate videantur, que afflictionem cordi ingerere possunt. Unde simpliciter loquendo locus est tenebrosus, sed tamen etiam divina dispositione est ibi aliquid luminis, quantum sufficit ad videndum illa que torquere possunt. Et ad hoc satis facit naturalis situs loci, quia in medio terre ubi infernus ponitur, ibi non potest esse nisi ignis feculentus et turbidus, et quasi fumosus. Non tamen sunt ibi necessaria ligna, quia durat per divinam voluntatem. Ibi sepeliuntur anime illorum qui tenent hic malam vitam, ut religiosi, clerici, et alii, et nolunt corrigi, nec facere penitentiam ; quando tales moriuntur, anime sepeliuntur in inferno. Autoritas Christi de quodam luxurioso divite guloso, pomposo, etc.: « Mortuus est dives, et sepultus est in inferno. »

Digitized by Google

Et loquitur de anima, quia corpus in terra fuit sepultum. (Luc. 16.) Ergo infernus dicitur sepultura sive monumentum. Et pro istis non est intentio eeclesie facere aliquod bonum, quia eis non prodesset, eo quod sunt damnati. Si omnia bona que hodie fiunt in mundo, et unquam fuerunt, facta essent pro una anima damnata, non extraherent eam de inferno, quia ibi nulla est redemptio, nec exeundi, nec penarum alleviandi. Quod ostenditur de illo divite, qui quando fuit in tormentis, et in illo igne, elevatis oculis in celum dixit : « Pater Abraham, et continue petiit unam guttam aque », nec unquam obtinuit, nec obtinebit, et hoc signat quod nullum refrigerium possunt habere. Autoritas de hoc : « Mortuo homine impio nulla erit ultra spes de eo. » (Prov. 11.) Ideo modo avisemus nos, faciamus penitentiam. Si una anima de illis posset exire, et facere penitentiam, o qualem penitentiam faceret ! et nos miseri non curamus, sed procrastinamus, ac si essemus certi de vita et proposito diu vivendi. Ideo dicit scriptura : « Ante obitum tuum operare justitiam, id est penitentiam », etc. (Eccl. 14.) Ergo non eligamus ibi sepulturam vel monumentum.

In secundo loco, sc. limbo puerorum, ibi sepeliuntur pueri non baptizati. Iste locus est circa infernum damnatorum, sed non est ibi ignis, non sunt ibi demones, nec tormenta, nec dolores, sed non habent lumen gratie, nec claritatem glorie, licet habeant plus de scientia naturali quam habuerint in hoc mundo philosophi et apostoli, licet hic non habuerint scientiam aliquam, quia caro impedit, sicut si ego tenerem crystallum absconditum sub cappa, sed extra cappam ad lucem solis resplenderet, ita de anima illorum puerorum. Ibi sunt filii Christianorum, Judeorum, Agarenorum, et aliorum infidelium, in solo originali decedentes, disputant, letantur, et gaudent adinvicem, sed nunquam videbunt Deum ; et ille locus dicitur eorum monumentum, de quibus dicitur in scriptura : « Quid tu hic, aut quasi quis hic ? quia excidisti tibi hic sepulchrum. » (Esa. 22.) Et loquitur puero in originali decedenti. Ter dicitur, hic, nam de tribus locis fecit mentionem. Primo de utero matris, in quo fuit conceptus dicit : Quid tu hic, supple contraxisti, quod non habes paradisum ? Et respondere potest : Nihil feci, nisi tantum contraxi originale. Secundo de mundo in quo est natus dicit : Aut quasi quis hic, quasi dicat : Fecisti peccatum ? Et respondere potest : Non. Tertio de limbo dicit : Quia excidisti tibi hic, sc. in limbo, sepulchrum. Sed quia nunquam fecerunt aliquod peccatum in mundo, ideo non habent tormentum, sed sunt immundi ex illa carnali generatione, a qua non possunt lavari nisi per baptismum, ideo remittuntur ad limbum, de quo dicit Christus : « Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. » (Joan. 3.) Nec pro istis oramus, quia non possunt inde exire.

Digitized by Google

Tertius locus est purgatorii, et est in corde terre circa locum puerorum, et ibi est ignis, qui durabit usque ad diem judicii solum ; est ibi in magna latitudine et profunditate, ibi enim sunt anime penitentium, qui hic non perfecerunt penitentiam, nec de peccatis habuerunt tantam contritionem quantam habuit Magdalena, sed tenuerunt penitentiam datam a confessore, nil addendo, cum proposito non redeundi ad peccata. Tales quando moriuntur, non vadunt ad infernum, nec statim ad paradisum, quia oportet complere penitentiam. Sed ad purgatorium, ubi stant secundum tempus a Deo ordinatum, aliqui per diem, aliqui per mensem, annum, vel annos, vel circa, juxta peccata purganda, etc. Iste locus dicitur etiam sepulchrum animarum. Autoritas allegorice : « Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. » (Mat. 27.) Nota : emerunt, sc. penitentia eis data a confessore, agrum, non carcerem inferni, sed purgatorium, ubi sunt flores, ut in agro gratiarum et orationum, licet non meritorum, dicentes : Domine, ponatis in corde filii mei, vel amicorum, et manumissorum, ut impleant voluntatem tuam, etc.; quando vero sunt negligentes, nec curant adimplere, petunt a Deo justitiam contra illos. Ideo avisentur manumissores et heredes, quia Deus faciet illis justitiam, qui sunt in majori pena, quam si hic cum corpore et anima comburerentur, quia ille ignis est majoris activitatis. De hoc dicit scriptura : « Nunquid Deus faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se ? » (Luc. 18.) Et quia multi sunt in purgatorio, qui non fecerunt testamentum, vel non habebant unde, vel quia subito mortui sunt, vel si fecerunt, non completur, ideo ecclesia ordinavit pro omnibus istis hodie orare.

Sunt tamen inter omnia tria precipua que defunctis plus prosunt, sc. oratio, sacrificium altaris, et eleemosyna. Suffragia vivorum prosunt defunctis, secundum quod uniuntur viventibus charitate, et secundum quod intentio vivorum refertur in mortuos, et ideo illa opera precipue nata sunt mortuis suffragari, que maxime ad conjunctionem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem sacramentum eucharistie precipue pertinet, cum sit sacramentum ecclesiastice unionis, continens illum in quo tota ecclesia unitur et consolidatur, sc. Christum. Unde eucharistia est quasi charitatis origo sive vinculum. Sed inter charitatis effectus precipuum est eleemosynarum opus, et ita ista duo ex parte charitatis precipue mortuis suffragantur, sc. sacrificium ecclesie, et eleemosyne. Sed ex parte intentionis directe in mortuos precipue valet oratio, quia oratio secundum rationem non solum dicit respectum ad orantem, sicut et cetera opera, sed directius ad id pro quo oratur, et ideo ista tria ponuntur quasi precipua mortuorum subsidia, quamvis quecunque alia bona que ex charitate fiant pro defunctis eis valere credenda sint. O ! si haberetis oculos claros, videretis

Digitized by Google

quomodo anime hodie exeunt de purgatorio, et processionaliter intrant ad nuptias paradisi. Jam paratur prandium modo pro eis de illis incorruptibilibus, que non possunt declarari, de quibus dixit Christus : « Ego dispono vobis. » (Luc. 22.) O quot mense sunt jam ibi parate pro refectione animarum que jejunaverunt in purgatorio ! Ideo dicuntur tot orationes, fiunt tot eleemosyne. Ideo faciatis bene ut consuevistis.

Quartus locus est beatorum in celo empyreo. In illud sanctissimum sepulchrum vadunt homines et mulieres, qui in hoc mundo tenuerunt vitam perfectam, qui licet peccaverunt, tamen pro tempore converterunt se ad Deum, conterendo, proponendo decetero abstinere a peccatis, fecerunt condignam penitentiam, intantum quod bona excedunt peccata que fecerunt ; tales quando moriuntur, statim ab angelis portantur coram Christo, quibus dicit Christus : Laborastis, ideo modo quiescite, jejunastis, ideo modo comedite. De hoc dicit Christus : « Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahe », (Luc. 16), quia jam habuerat hic purgatorium per penitentiam et patientiam. De isto monumento autoritas anagogice. « Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum. » (Job. 3.) Dicatur quomodo illi fodiunt pro inveniendo thesaurum, gaudent quando invenerint, licet laboraverint fodiendo. Ita quis delectatur faciendo penitentiam, quia expectat thesaurum paradisi. Et pro istis non oramus, quia nihil indigent a nobis, licet gaudeant de bonis que facimus, Respiciunt enim nos per fenestras gaudentes. « Dico vobis quod gaudium est angelis in celis », etc. (Luc. 15.) Ideo heri festivavimus de omnibus sanctis ut nos juvent, hodie de mortuis in purgatorio existentibus, ut habeant gloriam.

Ainsi que le Saint l'a dit dans un des canevas précédents, la plupart des lundis *(feria secunda)* sont consacrés aux morts : c'est un usage qui s'est perdu. Nous donnons ici, à titre de spécimen, le sermon du lundi après le dernier dimanche de l'année ecclésiastique (25e après la Trinité) :

De Mortuis

(Canevas autographe)

Faciet judicium et justitiam in terra.
(Jer. 23, et in epistola.)

Questio est apud doctores theologie ubi est purgatorium animarum post mortem. — Responsio : Locus communis et ordinarius purgatorii

Digitized by Google

est in visceribus terre juxta infernum ; sed locus specialis extraordinarius conceditur divinitus alicui in hoc mundo, per magnam gratiam, in loco ubi peccavit, in domo sua, aut inter amicos. Et hoc fit ad expiationem ipsorum defunctorum faciliorem, et commonitionem vivorum ; quasi dicat mortuus vivo : « Memor esto judicii mei. » (Eccl. 38.) Simile de carcere civitatis communi et ordinario, et de speciali extraordinario alicui concesso ex gratia speciali. « Cum venissemus Romam, permissum est Paulo », etc. Est ergo intellectus thematis de loco et ordinantia purgatorii, quod de animabus purgandis Christus « faciet judicium et justitiam in terra », sc. intus juxta infernum. In verbis istis circa animas purgandas ostenduntur duo :

Diffinitio justa ibi : Faciet judicium.

Exequtio dura ibi : Et justitiam.

De primo : Quilibet justus judex prius judicialiter diffinit circa reum qualiter puniendus sit antequam justitie penalis exequtio impleatur. Sic Christus facit juxta animam purgandam. Isa. 27 : « In mensura contra mensuram... judicabit eam. » — Nota : ista commiseratio non est intelligenda secundum equalitatem quantitatis in duratione, sed secundum equalitatem proportionis in gravitate ; et hoc propter permaximam acerbitatem pene purgatorie. — Exemplum de illo cui divinitus fuit data optio, aut sustinere gravissimam infirmitatem in hoc mundo per tres annos, aut tribus diebus stare in purgatorio. Is. 28 : « Ponam in pondere judicium et justitiam in mensura. »

De secundo : Diffinito judicialiter de pena rei, postea traditur ministro reus in exequtionem justitie. Sic de anima purganda. Mat. 5 : « Judex tradet te ministro », etc. — Sed nunquid demon est minister hujus exequtionis ? — Certe non, sed bonus angelus. « Que enim participatio justitie cum iniquitate ? » (II Cor. 6.) — Secus de injustis dampnandis. Isa. 14 : « Infernus subtus conturbatus est. »

Immédiatement après, non sans évidente intention, suit un canevas sur la prochaine destruction du monde :

(Canevas autographe)

Nota quinque signa finalis destructionis hujus mundi, ad instar hominis cito morituri :

Temporalis decrepitas ;

Totalis frigiditas ;

Generalis infirmitas ;

Sensitive obteritas ;

Alimenti respuitas.

De primo : Quando animalis diu vixit in ultima etate, sc. decrepitate,

Digitized by Google

non est dubium quin cito moriatur. Hebr. 8 : « Omne quod antiquatur », etc. — Nota hic quomodo mundus a tempore apostolorum est in ultima sui etate, I Cor. 10 : « Nos sumus in quos fines seculorum », etc. Joan. 2 : « Filioli mei, novissima hora est », etc.

De secundo : Deficiente calore naturali et vitali in homine, non est dubium de propinqua morte ipsius ; unde de David morte propinquo dicitur III Reg. 1 : « Et rex David senuerat », etc. — Nota hic de infrigidatione caritatis Dei et Christi, juxta illud Mat. 24 : « Quoniam habundabit iniquitas », etc. ; et subditur : « Et tunc veniet consummatio.»

De tertio : Quando qui sic infirmatur generaliter quod « A planta pedis », etc. (Is. 1), pro certo creditur propinquitas mortis ejus. — Nota hic de omnium statuum mundi generali defectu. Ps. 52 : « Deus de celo respexit super filios hominum : omnes declinaverunt », etc.

De quarto : Insensibilitas est signum manifestum mortis propinque. Unde dicit Berzellay : « Nunquid vigent sensus mei ? » etc. Subditur : « Revertar servus tuus et moriar », etc. (II Reg. 19.) — Nota quomodo parvissima nocumenta seu offendimenta corporis sentiuntur ; sed grandissima vulnera animarum et offendimenta Dei minime perspiciuntur. Prov. 23 : « Verberaverunt me, etc. »

De quinto : Ps. 106 : « Omnem escam abhominata est », etc. — Nota hic de maxima negligentia recipiendi cibum illum, de quo Joan. 10 : « Panis quem ego dabo », etc.

Digitized by Google

Digitized by Google

PANÉGYRIQUES DIVERS

Dans les canevas autographes, la série chronologique des saints ne va pas jusqu'à la fin du recueil. Plusieurs se présentent sans ordre. Comme nous tenons à publier en entier ce précieux recueil, nous les donnons ici sous le titre de Panégyriques divers. — De même, trois sermons ou fragments de sermons appartenant, l'un au ms de Valence, l'autre au ms de Toulouse, ne se sont pas trouvés à leur place : nous les ajoutons également, et le lecteur aura ainsi une dernière vue d'ensemble des sources principales où nous avons puisé cette publication, en dehors des recueils imprimés.

Die beati Gregorii

(Canevas autographe)

Beatus ille servus.
(Mat. 24.)

Nota tria servitia Dei in hoc mundo, quibus correspondet beatitudo glorie in futuro :

Servitium vite active ;

Servitium vite contemplative ;

Servitium vite prelative.

Pro quolibet horum dicitur : « Beatus ille servus. »

De primo : servitium vite active est erga proximum utilia operari ex respectu Dei : quod quidem beatis premium meretur. Similitudo de illo qui, respectu nobilissimi et optimi viri peregre profecti, providet ejus prolibus degentibus et afflictis, usque dum redeat. Luc. 12 : « Beati servi illi quos cum venerit Dominus », etc. — Hic nota quomodo beatus Gregorius opulentissimam hereditatem patris distribuit in eleemosynas, edificando insuper septem monasteria.

De secundo : Servitium vite contemplative est erga Deum spiritualia amplexari ex motu divine caritatis : quod precipuum habet premium beatitudinis celi. Sicut alicujus principis cubicularii plus premiantur quam servitores in exterioribus occupati. III Reg. 10 : « Beati viri tui et

Digitized by Google

Digitized by Google

PANÉGYRIQUES DIVERS

Dans les canevas autographes, la série chronologique des saints ne va pas jusqu'à la fin du recueil. Plusieurs se présentent sans ordre. Comme nous tenons à publier en entier ce précieux recueil, nous les donnons ici sous le titre de Panégyriques divers. — De même, trois sermons ou fragments de sermons appartenant, l'un au ms de Valence, l'autre au ms de Toulouse, ne se sont pas trouvés à leur place : nous les ajoutons également, et le lecteur aura ainsi une dernière vue d'ensemble des sources principales où nous avons puisé cette publication, en dehors des recueils imprimés.

Die beati Gregorii

(Canevas autographe)

Beatus ille servus.
(Mat. 24.)

Nota tria servitia Dei in hoc mundo, quibus correspondet beatitudo glorie in futuro :

Servitium vite active ;

Servitium vite contemplative ;

Servitium vite prelative.

Pro quolibet horum dicitur : « Beatus ille servus. »

De primo : servitium vite active est erga proximum utilia operari ex respectu Dei : quod quidem beatis premium meretur. Similitudo de illo qui, respectu nobilissimi et optimi viri peregre profecti, providet ejus prolibus degentibus et afflictis, usque dum redeat. Luc. 12 : « Beati servi illi quos cum venerit Dominus », etc. — Hic nota quomodo beatus Gregorius opulentissimam hereditatem patris distribuit in eleemosynas, edificando insuper septem monasteria.

De secundo : Servitium vite contemplative est erga Deum spiritualia amplexari ex motu divine caritatis : quod precipuum habet premium beatitudinis celi. Sicut alicujus principis cubicularii plus premiantur quam servitores in exterioribus occupati. III Reg. 10 : « Beati viri tui et

Digitized by Google

Digitized by Google

PANÉGYRIQUES DIVERS

Dans les canevas autographes, la série chronologique des saints ne va pas jusqu'à la fin du recueil. Plusieurs se présentent sans ordre. Comme nous tenons à publier en entier ce précieux recueil, nous les donnons ici sous le titre de Panégyriques divers. — De même, trois sermons ou fragments de sermons appartenant, l'un au ms de Valence, l'autre au ms de Toulouse, ne se sont pas trouvés à leur place : nous les ajoutons également, et le lecteur aura ainsi une dernière vue d'ensemble des sources principales où nous avons puisé cette publication, en dehors des recueils imprimés.

Die beati Gregorii

(Canevas autographe)

Beatus ille servus.
(Mat. 24.)

Nota tria servitia Dei in hoc mundo, quibus correspondet beatitudo glorie in futuro :

Servitium vite active ;

Servitium vite contemplative ;

Servitium vite prelative.

Pro quolibet horum dicitur : « Beatus ille servus. »

De primo : servitium vite active est erga proximum utilia operari ex respectu Dei : quod quidem beatis premium meretur. Similitudo de illo qui, respectu nobilissimi et optimi viri peregre profecti, providet ejus prolibus degentibus et afflictis, usque dum redeat. Luc. 12 : « Beati servi illi quos cum venerit Dominus », etc. — Hic nota quomodo beatus Gregorius opulentissimam hereditatem patris distribuit in eleemosynas, edificando insuper septem monasteria.

De secundo : Servitium vite contemplative est erga Deum spiritualia amplexari ex motu divine caritatis : quod precipuum habet premium beatitudinis celi. Sicut alicujus principis cubicularii plus premiantur quam servitores in exterioribus occupati. III Reg. 10 : « Beati viri tui et

Digitized by Google

beati servi tui », etc. — Hic nota de ingressu beati Gregorii in monasterium, et de vita ejus spirituali.

De tertio : Servitium vite prelative complectitur utrumque precedens, sicut homo complectitur corpus et animam. Mat. 24 : « Quis putas est fidelis servus et prudens », etc. — Hic nota assumptionem beati Gregorii ad papatum et de hiis que gessit, prout oportebit, juxta audientium qualitates.

.....

Die Annunciationis beate Marie

(Canevas autographe)

Ecce ! ecce ! ecce !

(Ex evangelio festi quod originaliter habetur Luc. 1, colligitur istud thema demonstrativum)

Immense benignitatis divine ;
Perfecte utilitatis humane ;
Profunde humilitatis virginee.

De primo : In hoc fuit benignitas immensa Dei in incarnatione quod amore mundi Deus factus est homo, creator creatura, etc. Et hic per divinam revelationem oportuit demonstrari. Isa. 7 : « Ecce Virgo concipiet », etc. — Nota hic juxta revelationes sancte Elisabeth, qualiter beata Virgine contemplante mysterium Incarnationis per dictam prophetiam, angelus adveniens eam salutavit, et ipsum mysterium per articulos nuntiavit ei dicens : « Ecce concipies in utero », etc.

De secundo : Perfecta et plena utilitas divine Incarnationis est adjutorium gratie in presenti, et collatio glorie in futuro. — Nota de filio regis humiliante se ad juvandum laboratores in vinea regis propter lucrandum mercedem. Hec demonstratur ps. 52 : « Ecce enim Deus adjuvat me », etc. — Nota ad hoc mysterium illud Evangelii : « Ecce Elisabeth cognata tua », etc. Elisabeth interpretatur *Dei mei septima* (hebraice : *Hinné, hinné, hinné*). Hec est natura humana que post quatuor elementa et quintam essentiam, et naturam angelicam formata, quasi septima Dei creatura dici potest ; que in sua senectute, sc. septima etate, cum prius esset sterilis, concepit meritum gratie pro gloria obtinenda. Is. 26 : « A facie tua, Domine, concepimus », etc. Is. 12 : « Ecce Deus salvator meus : fiducialiter », etc.

De tertio : Profundissima humilitas virginis Marie demonstratur evidenter in hoc quod dixit respondens ad angelum : « Ecce ancilla Domini », etc. Humilitas ancille fuit in ore diu tacendo, in corde, votum frangere nolendo ; in opere humiliter consentiendo. — Nota

Digitized by Google

allegorice ad hoc verbum Abigayl, quando respondit David volenti sibi eam desponsare: « Ecce famula tua sit in ancillam ut lavet pedes servorum Domini mei. » (1 Reg. 25.) Abigayl interpretatur « patris mei exultatio ». Non modica materia exultationis fuit primo parenti revelatio hujus virginis in maledictione serpentis. Gen. 3 : « Inimicitias ponam inter te et mulierem. » Ipsa etiam lavat, id est affectiones nostras ab immunditiis peccatorum, vel pedes, id est ultimas partes corporis, sc. nos in quos fines seculorum devenerunt. (1 Cor. 10.)

Die beati Ambrosii

(Canevas autographe)

Inextinguibile est lumen illius.
(Sap. 7.)

Nota quinque spiritualia lumina in beato Ambrosio :
Lumen celestis devotionis ;
Lumen intellectualis cognitionis ;
Lumen spiritualis prelationis ;
Lumen judicialis correctionis ;
Lumen integralis perfectionis.
Et de quolibet istorum verificatur thema.

De primo : Vera devotio nichil aliud est nisi quedam celestis illustratio in corde hominis qua dulciter afficitur ad divina. Nam aspectus rei dilecte movet affectum. Joan. 8 : « Ego sum lux mundi. » — Nota hic de examine apum os ejus dormientis implente.

De secundo : Cognitio naturalis partim est sensualis, sc. quantum ad principium, et partim intellectualis, sc. quantum ad finem. « Nichil est in intellectu nisi prius fuerit in sensu. » Sed cognitio supernaturalis tota est intellectualis, ut pote a fonte divini luminis procedens. Ps. 35 : « Apud te est fons vite. » — Nota hic de precognitione sue future dignitatis, quando adolescens offerebat manum ad osculum.

De tertio : Spiritualis prelatus Ecclesie est quasi lucerna super candelabrum ardens et lucens. Luc. 11 : « Nemo lucernam accendit », etc. — Nota hic de ejus assumptione ad episcopatum, et optima gubernatione.

De quarto : Juxta illud Eph. 5 : « Omnia que arguuntur », etc. — Nota hic de correctione secreta peccatorum in confessione, et de manifesta correctione imperatoris et reprehentione.

De quinto : Lumen sancte vite tunc integraliter perficitur cum usque in finem indesinenter continuatur, juxta illud Prov. 4 : « Justorum semita », etc. « Vide ergo ne lumen quod in te est tenebre sint. » (Luc. 11.) — Nota hic finem ejus.

Digitized by Google

De Inventione sancte Crucis

(Canevas autographe)

Evacuatum est scandalum crucis.
(Gal. 5.)

Invenitur triplex scandalum contra crucem :
Scandalum discipulorum ;
Scandalum malefactorum ;
Scandalum incredulorum.

Primum est evacuatum per gloriosam Christi resurrectionem ; secundum est evacuatum per luminosam celi apparitionem ; tertium est evacuatum per miraculosam crucis inventionem.

De primo : Ante Christi passionem et resurrectionem valde scandalizabantur omnes discipuli de cruce Christi, in tantum quippe ut non possent patienter audire. Patet singulariter Mat. 16 : « Exinde cepit Jhesus... sed que hominum. » Notanda hic causa hujus scandali « quia non sapis ». Patet etiam de omnibus aliis discipulis generaliter Mat. 26 : « Omnes vos scandalum patiemini in me. » — Sed hoc scandalum evacuatum fuit per gloriosam Christi resurrectionem, cognito fructu arboris in glorificatione Christi, in liberatione patrum de inferno, in redemptione humani generis, et in apertione janue paradisi. Unde crucem quam die veneris sancto et sabbato scandalizati maledicebant in monte Calvarie fixam, die resurrectionis illuminati suppliciter adorabant dicentes : « Tuam crucem adoramus, Domine. »

De secundo : Antiquitus crux erat supplicium et patibulum malefactorum, unde nimirum ipsi scandalizabantur. De quo scandalo ps. 118 : « Pax multa diligentibus legem tuam », etc. Sed hoc fuit evacuatum per celestem aparitionem ostensam Constantino imperatori contra inimicos pugnaturo. — Nota de hystoria. Tunc enim ordinavit ut nequaquam amplius crux esset patibulum, sed confugium malefactorum, quia secundum Augustinum, « crux que erat supplicium latronum, jam transiit ad frontes imperatorum ». — Nota hic moraliter de confidentia nostra contra pericula in cruce ponenda.

De tertio : Increduli, ut Judei et pagani, nimis scandalizabantur audientes quod Deus fuisset in cruce suspensus. 1 Cor. 1 : « Nos predicamus Christum crucifixum », etc. — Sed hoc scandalum fuit evacuatum per miraculosam crucis inventionem. — Nota de hystoria. Inde enim quamplures Judei et pagani, videntes tantam crucis efficaciam in sanatione infirmorum conversi sunt ad Christum dicentes : « Nos autem gloriari oportet in cruce Domini Nostri Jesu Christi. — Nota moraliter de medicina crucis adhibenda contra infirmitates.

Digitized by Google

Die Corone Domini

(Canevas autographe)

Coronam de spinis imposuerunt capiti ejus.
(Joan. 19.)

Juxta illud Apoc. 19: « Et in capite ejus diademata multa », nota tres coronas Christi ad modum imperatoris vel pape :

Coronam sapientie divinalis ;

Coronam penitentie corporalis ;

Coronam presidentie generalis.

De secunda istarum loquitur thema.

De prima : Sapientia recte dicitur corona, quia ad instar corone in capite residet, tribulis caret, quibusdam floribus, sc. quatuor eminet. Prov. 3 : « Sapientia dabit capiti », etc. Hec corona fuit imposita Christo homini in utero virginis, quando data est sibi plenissima cognitio de creatore, de creaturis, de salvandis et dampnandis. Cant. 3 : « Egredimini, filie Sion. »

De secunda : Sicut Christus voluit in cruce suspendi ut sibi credentes et obedientes liberarentur a suspendio infernalis patibuli, ita etiam voluit corona spinea coronari ut illis corona regni celestis daretur. Ecclesia « Coronat regem omnium corona contumelie », etc. De hoc Joan. 19 : « Exivit ergo Jhesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum », etc. Vestimentum Christi tunc fuit purpureum, id est guttis sanguinis ex corona distillantibus rubricatum. — Moraliter, quadruplici genere spinarum debemus hic memoriter coronari : anterius peccatis que commisimus, vel bonis que omisimus ; posterius penis quos meruimus ; dextrorsum divinis offensionibus, premiis que perdidimus ; sinistrorsum proximorum oppressionibus, penis quas incurrimus. Cant. 8 : « Sicut lilium inter spinas », etc.

De tertia : Christus Dominus per suam passionem non solum nobis, sed etiam sibi meruit presidentie universalis coronam, et hoc maxime apparebit in judicio. Ps. 8 et Heb. 2 : « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum... semitas maris. »

Digitized by Google

Die Expectationis beate Virginis Marie

(Canevas autographe)

Expectabo Deum salvatorem meum.
(Mich. 5.)

Nota quod virgo benedicta cum magno desiderio expectabat videre in suo partu quatuor de filio suo, etc.:

Nativitat gaudiosa ;
Majestat virtuosa ;
Dignitat copiosa ;
Potestat gloriosa.

De primo : Ipsa concepit Filium die vigesima quinta martii, eadem sc. die qua Adam fuit de terra virgine formatus. 1 Cor. 15 : « Primus homo de terra », etc. — Computando autem menses lunares a vigesima quinta martii, cras erunt completi novem menses. Ideo virgo hodie expectabat ardenter illam gaudiosam nativitatem videre, preparando utique necessaria. Ps. 9 : « Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. » — Nota hoc verbum : « Et intendit mihi », id est intensive desiderium accendit mihi ; in hoc sc. quia de mense decimo voluit accipere sex dies. Sap. 7 : « In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore. » Hujus ratio moralis ad ostendendum necessitatem decem preceptorum legis, et sex operum misericordie, de quibus Mat. 25. Ideo Mat. 19 : « Si vis vitam ingredi, serva mandata. »

De secundo : Ex quo Deus promisit Filium suum nasciturum in mundo, vehementer fuit desiderata illa majestas. Nota de Abraham Joan. 8 : « Abraham pater vester », etc. Item Moyses Ex. 33 : « Si inveni gratiam », etc. Item David ps. 41 : « Quemadmodum desiderat », etc. Item Isaias 64 : « Utinam dirumperes celos », etc. Item Tobias 13 : « Beatus ero si fuerint reliquie », etc. Item omnes alii sancti secundum Ambrosium : « Et tamen defuncti sunt isti non acceptis repromissionibus », etc. (Heb. 11.) Nec mirum de tali desiderio antiquorum ad Christum cum ipse sit in quem desiderant « angeli prospicere » (1 Pet. 1). Cogita ergo cum quanto desiderio expectabat virgo benedicta videre illam majestatem filii, et singula membra ejus virtuosa. Isa. 8 : « Expectabo Dominum qui abscondit », etc. — Nota moraliter de negligentia nostra in desiderando videre ipsum in gloria. Ideo ps. 79 : « Domine, Deus virtutum, converte nos. »

De tertio : Persone spirituales et sancte non contentantur de incoatione gratiarum in ipsis, sed ad earum perfectionem anelant. Phil. 3 : « Non quod jam acceperim », etc. Ideo Heb. 6 : « Intermittentes incoationis », etc. Propterea beata virgo tante dignitatis in ea incoate

Digitized by Google

in conceptu virginali, et continuate in portando absque miseriis mulieribus, perfectionum vehementer desiderando expectabat in partu etiam virginali. Sciebat enim illud Is. 7 : « Ecce virgo concipiet et pariet filium », etc. Ideo ps. 54 : « Expectabam eum qui salvum me fecit », etc. — Moraliter, secus de nobis, juxta illud Is. 26 : « Sicut que concepit », etc.

De quarto : In operibus miraculosis ostenditur potestas Dei in ejus gloriam. Unde propter futuram et miraculosam suscitationem Lazari dicit Christus : « Infirmitas hec non est ad mortem, sed pro gloria Dei », etc. In partu autem virginis multa mirabilia debebant contingere in gloriam Dei, juxta illud Is. 9 : « Parvulus natus est nobis... Et vocabitur nomen ejus admirabilis », etc. Hoc ergo sciens beata virgo vehementer expectabat singula videre. Gen. 49 : « Veniet qui mittendus est ; et ipse erit expectatio gentium », etc.— Moraliter, sic nos desiderando expectare debemus, ut in exitu anime ex corpore quasi in partu nostro videamus Dei mirabilia. Ps. 41 : « Hec recordatus sum », etc.

[Nota quod hec solennitas apud diversos nominatur diversimode, sc. *Expectation de la vergen Maria. — Sancta Maria de la Esperança. — Sancta Maria de la O.*]

Saint Nicolas

(Manuscrit de Toulouse)

Le manuscrit de Toulouse est en général inférieur à l'imprimé. Quelques détails cependant, empruntés à la légende du Saint, peuvent être conservés. Et d'abord la distinction des jours expliquée :

Dies artificialis est sicut quanto sol est super terram ; et dicitur artificialis a defectu, majores sunt aliqui dies anni, sicut in estate quam in hyeme. Isto modo dicit scriptura : « Cui ortus est sol et usque ad vesperam. » — Alio modo dies accipitur moraliter pro virtutibus, quando in intellectu persone non est error sed vera credentia, et in voluntate et in memoria, etc. O ! tam pulchri dies sunt ! Et sic est totus plenus virtutibus, humilitate, castitate, etc.

Moraliter, nos dirigamus opera nostra per intentionem... Ex. de vitis patrum, de illo qui quando interrogabatur etiam de sanctis operibus non respondebat per unam moram, quia si dicebatur sibi : Vultis ire ad missam ? Stabat modicum, postea respondebat : Eamus. Et interrogatus quare non cito respondebat, dixit quod intentio precedens judicat opus sequens, et intentio non judicat opus precedens... Quando alii ibant ad ludos, ipse ibat ad ecclesiam ; et licet alii trupharentur, non curabat.

Digitized by Google

Die Expectationis beate Virginis Marie

(Canevas autographe)

Expectabo Deum salvatorem meum.
(Mich. 5.)

Nota quod virgo benedicta cum magno desiderio expectabat videre in suo partu quatuor de filio suo, etc.:

Nativitat gaudiosa ;
Majestat virtuosa ;
Dignitat copiosa ;
Potestat gloriosa.

De primo : Ipsa concepit Filium die vigesima quinta martii, eadem sc. die qua Adam fuit de terra virgine formatus. 1 Cor. 15 : « Primus homo de terra », etc. — Computando autem menses lunares a vigesima quinta martii, cras erunt completi novem menses. Ideo virgo hodie expectabat ardenter illam gaudiosam nativitatem videre, preparando utique necessaria. Ps. 9 : « Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. » — Nota hoc verbum : « Et intendit mihi », id est intensive desiderium accendit mihi ; in hoc sc. quia de mense decimo voluit accipere sex dies. Sap. 7 : « In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore. » Hujus ratio moralis ad ostendendum necessitatem decem preceptorum legis, et sex operum misericordie, de quibus Mat. 25. Ideo Mat. 19 : « Si vis vitam ingredi, serva mandata. »

De secundo : Ex quo Deus promisit Filium suum nasciturum in mundo, vehementer fuit desiderata illa majestas. Nota de Abraham Joan. 8 : « Abraham pater vester », etc. Item Moyses Ex. 33 : « Si inveni gratiam », etc. Item David ps. 41 : « Quemadmodum desiderat », etc. Item Isaias 64 : « Utinam dirumperes celos », etc. Item Tobias 13 : « Beatus ero si fuerint reliquie », etc. Item omnes alii sancti secundum Ambrosium : « Et tamen defuncti sunt isti non acceptis repromissionibus », etc. (Heb. 11.) Nec mirum de tali desiderio antiquorum ad Christum cum ipse sit in quem desiderant « angeli prospicere » (1 Pet. 1). Cogita ergo cum quanto desiderio expectabat virgo benedicta videre illam majestatem filii, et singula membra ejus virtuosa. Isa. 8 : « Expectabo Dominum qui abscondit », etc. — Nota moraliter de negligentia nostra in desiderando videre ipsum in gloria. Ideo ps. 79 : « Domine, Deus virtutum, converte nos. »

De tertio : Persone spirituales et sancte non contentantur de incoatione gratiarum in ipsis, sed ad earum perfectionem anelant. Phil. 3 : « Non quod jam acceperim », etc. Ideo Heb. 6 : « Intermittentes incoationis », etc. Propterea beata virgo tante dignitatis in ea incoate

Digitized by Google

in conceptu virginali, et continuate in portando absque miseriis mulieribus, perfectionum vehementer desiderando expectabat in partu etiam virginali. Sciebat enim illud Is. 7 : « Ecce virgo concipiet et pariet filium », etc. Ideo ps. 54 : « Expectabam eum qui salvum me fecit », etc. — Moraliter, secus de nobis, juxta illud Is. 26 : « Sicut que concepit »,etc.

De quarto : In operibus miraculosis ostenditur potestas Dei in ejus gloriam. Unde propter futuram et miraculosam suscitationem Lazari dicit Christus : « Infirmitas hec non est ad mortem, sed pro gloria Dei », etc. In partu autem virginis multa mirabilia debebant contingere in gloriam Dei, juxta illud Is. 9 : « Parvulus natus est nobis... Et vocabitur nomen ejus admirabilis », etc. Hoc ergo sciens beata virgo vehementer expectabat singula videre. Gen. 49 : « Veniet qui mittendus est ; et ipse erit expectatio gentium », etc.— Moraliter, sic nos desiderando expectare debemus, ut in exitu anime ex corpore quasi in partu nostro videamus Dei mirabilia. Ps. 41 : « Hec recordatus sum », etc.

[Nota quod hec solennitas apud diversos nominatur diversimode, sc. *Expectation de la vergen Maria. — Sancta Maria de la Esperança. — Sancta Maria de la O.*]

Saint Nicolas

(Manuscrit de Toulouse)

Le manuscrit de Toulouse est en général inférieur à l'imprimé. Quelques détails cependant, empruntés à la légende du Saint, peuvent être conservés. Et d'abord la distinction des jours expliquée :

Dies artificialis est sicut quanto sol est super terram ; et dicitur artificialis a defectu, majores sunt aliqui dies anni, sicut in estate quam in hyeme. Isto modo dicit scriptura : « Cui ortus est sol et usque ad vesperam. » — Alio modo dies accipitur moraliter pro virtutibus, quando in intellectu persone non est error sed vera credentia, et in voluntate et in memoria, etc. O ! tam pulchri dies sunt ! Et sic est totus plenus virtutibus, humilitate, castitate, etc.

Moraliter, nos dirigamus opera nostra per intentionem... Ex. de vitis patrum, de illo qui quando interrogabatur etiam de sanctis operibus non respondebat per unam moram, quia si dicebatur sibi : Vultis ire ad missam ? Stabat modicum, postea respondebat : Eamus. Et interrogatus quare non cito respondebat, dixit quod intentio precedens judicat opus sequens, et intentio non judicat opus precedens... Quando alii ibant ad ludos, ipse ibat ad ecclesiam ; et licet alii trupharentur, non curabat.

Digitized by Google

... Dic de nautis in mari naufragantibus clamantibus : O sancte Nycholae, adjuva nos. — Et apparuit eis in mari et juvit eos. — Aliud miraculum quando imperator Constantinus qui subjecit Romam Christianitati, quatuor milites injuste diffamatos condempnavit ad mortem, et illi orabant sanctum Nycholaum ut intercederet pro eis : qui apparuit imperatori dicens quod illi erant innocentes, et quod illos liberaret, quod et fecit. — Aliud miraculum de tribus scolaribus receptis in domo cujusdam carnificis ; et dum dormirent, dixit carnifex uxori : Audivi quod carnes hominis salse sunt optime, ideo occidamus istos. — Placet, dixit illa. — Et occidit eos, et posuit in sale. Et sanctus Nycholaus hoc sciens per spiritum, venit ad domum illius dicens : Habetis carnes salsas ? — Ita, et recentes. — Cui sanctus : O miser ! occidisti illos ! Et fecit signum crucis. Et statim surrexerunt. Tunc carnifex et uxor petierunt veniam, et fecerunt penitentiam.

En général plus court et plus vif.

Festum Sancte Crucis

(Manuscrit de Valence)

Mihi absit gloriari nisi in cruce,
(Gal. 6.)

Due magne solemnitates et festa sunt hodie : Sancte Crucis, et de ista facit sancta mater Eclesia hodie totum officium, et similiter erit noster sermo ; alia solemnitas est de die dominica (tertia post Pascha) qui est magnum festum, et Ecclesia *solemnissat* eum propter resurreccionem Christi qui resurrexit tali die, sc. die dominica. Et de ista solemnitate predicabit post prandium unus ex sociis nostris, sc. frater Mora. Et ideo quia ego habeo predicare de festo sancte Crucis, ut noster sermo sit ad laudem et gloriam et honorem Dei, et ad utilitatem et salvationem nostrarum animarum, dicemus devote : *Ave Maria.*

In isto festo sancte Crucis ego tenebo modum quem tenent edificatores domorum qui primo ponunt fundamentum. Et secundo edificant camaras. Et ponam pro fundamento historiam sancte Crucis, quomodo fuit adimpleta per beatam Elenam, nam de hoc fit festum hodie. Et post ordinabo camaras et edificabo : ex quibus poterimus recipere bonas doctrinas. Et ideo ponamus fundamentum historie sancte Crucis.

Et sciatis quod post mortem Christi gentes Christiane multe

Digitized by Google

habentes tantam devocionem in passione Christi et cruce, quod accedebant de longinquis terris ad Hierusalem ubi erat crux in qua fuit crucifixus Christus. Et Judei videntes quod tantum honorem faciebant illi cruci in qua crucifixerunt Christum, propter invidiam et maliciam posuerunt eam sub terra, taliter ut non possit inveniri et dictus honor fieri ; sed post modum fuit adinventa. Et ecce quomodo, nam de hoc hodie sancta mater Ecclesia facit festum, sc. de inventione ejus. Nam cum Constantinus imperator deberet preliare contra inimicos, et staret in cubili imaginando, habuit timorem ne vinceretur ; et cum staret respiciendo in celum, vidit unum signum crucis lucens et ibi erat scriptum : Constantinus *(sic)*, si vis habere victoriam de inimicis tuis, recipe hoc signum. Et recepit, et posuit in armis suis et suarum gentium ; et cum magna constancia preliavit contra inimicos, confidendo in signo crucis ; et vincit eos quia fugiebant a signo crucis. Et cum reversus fuisset de *batalla* vincens, ipse dixit Christianis : Dicatis quis Deus fecit hoc signum ? Nam tum plures Deos adorabant, sc. idolos. Et responderunt Christiani quod Christus qui fuit crucifixus per Judeos in Hierusalem, si nunquam audierat ? Et ipse conversus ad fidem, quia non poterat dimittere imperium, rogavit matrem suam Elenam ut accederet Hierosolimam ; et ubi esset crux Christi faceret edificare ecclesiam. Et cum accessisset non invenit, quia 200 anni erant elapsi quibus erat *soterrata* subtus terram. Et ita fecit congregare ante se Judeos magnos ut ipsi dicerent ubi erat crux Christi, et ipsi responderunt ipsi quid poterant scire de tot annis elapsis quibus Christus fuerat crucifixus et plus ? Et ipsa sub periculo mortis precepit ut ei dicerent, et viderent libros patrum suorum. Et ipsi dixerunt : si aliquis est qui possit scive, est unus Judeus qui vocatur Judas, et est antiquissimus. Et interrogatus per vim, dixit quod audierat a patre suo et invenerat in quodam libro quod in tali loco debebat esse, ut in historia Ecclesia cantat : « Nos autem gloriari oportet in cruce », etc. Et sic ecce hic positum fundamentum, sc. adinventio sancte crucis.

Et ideo edificemus camaras. Et sciatis quod Christus quinque vicibus fuit in periculo mortis, et tamen sibi non mori placuit nisi una. Et primo fuit in periculo mori *acuchillado* [*poignardé*] ; secundo *spenado* [*précipité*] ; tertio *apedriado* [*lapidé*] ; quarto *enverinado* [*empoisonné*] ; quinto *crucificado*. Et ista morte placuit sibi mori in cruce, et de ista quinta loquitur thema : « Mihi absit gloriari », etc. Et ideo declaremus istas camaras et vices quibus Christus fuit periculosus mori.

Ad primum, de camara periculi mortis *acuchillado*. Et fuit hoc periculum cum Herodes rex in minore etate voluit eum occidere, sciens quod debebat regnare ut erat fama ; et ideo una cum magnis judeis tractaverunt ut occiderent eum. Et cum non invenisset eum in Nazareth

Digitized by Google

quia angelus in somnis dixit Joseph, etc., fecit occidere tunc innocentes, etc.

Le reste n'est qu'indiqué sommairement.

Ce sermon est un de ceux qu'on peut invoquer comme preuve de l'authenticité du ms de Valence.

Sermo de Conceptione beate Marie

(Manuscrit de Toulouse)

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.
(Eccl. 24.)

Pro declaratione hujus verbi juxta intellectum quem tractare volo et introductione sermonis, est sciendum quod Christus volens ostendere suam excellentiam, et virtutem, quam fecit ad salvandum nos, dicit Joan. 15 : « Ego sum vitis... fructum multum. » Nos enim manemus in Christo per veram credentiam et obedientiam, et sic facimus fructum operum justitie, misericordie et pietatis, penitentie, humilitatis et patientie; sed scinduntur et ab ipso removentur mortaliter peccantes, in fide dubitantes, gladio erroris et false opinionis, et tunc nichil valent tales, nisi ad fornellum. Quia ut dixit Christus omnibus : « Sine me nichil potestis facere », supple meritorie. Hec autem excellentia patet.

Isti autem excellentie Christi similis est beata Maria, non tamen equalis. Ideo si volumus facere fructus bonorum operum maneamus in ea per devotionem et amorem, quoniam ipsa dicit de se : « Flores mei fructus honoris et honestatis », sc. producunt in hoc mundo et in alio. Sicut ergo Christus fructificat in sibi credentibus et obedientibus, sic virgo Maria. Ideo dicit : « Ego quasi vitis fructificavi ». Non dicit equalitatem vel equiparantiam, sed conformitatem et similitudinem. Appropriando ergo istud thema conceptioni Virginis, invenio quatuor similitudines vel conformitates virginis, similes conceptioni Jesu Christi filii sui : Quia sicut conceptio Christi filii sui fuit : primo desiderata *longament ;* secundo fuit revelata *autament ;* tertio fuit completa *dignament ;* quarto fuit confirmata *santament,* sic et conceptio virginis Marie. Ideo de seipsa dicit : « Ego quasi vitis », etc.; quasi dicat : Sicut filius meus qui est vitis vera habuit quatuor excellencias, sic ego cum habeam eum fructum benedictum, non ei equaliter, sed quasi in utero matris mee, in conceptione fructificavi cum illis quatuor conditionibus vitis vere.

Dico primo quod conceptio Christi fuit desiderata *longament.*

Digitized by Google

Diu enim fuit desiderata *longament* per prophetas, per patriarchas, et a multis personis, et per multos annos, scientes quod usque ad illius adventum paradisi porta esset clausa et porta inferni esset aperta; scientes se esse in ira Dei, et in tenebris erroris: ideo ejus conceptionem desiderabant; et devote orabant dicendo: Quando veniet? Quando nascetur? In tantum quod Isaias in parte sui et aliorum sanctorum dicebat: « O utinam disrumperes celos et venires! »

Sic etiam conceptio beate Marie fuit desiderata *longament*, non solum a patriarchis, a prophetis, scientibus salvatorem nasciturum de virgine Maria, sed etiam a parentibus. Nota quomodo Joachim et Anna, juvenes et sancti contraxerunt matrimonium. Et dicit Hieronimus quod viginti annis fuerunt in matrimonio suo sine prole et sine liberis. Et quotidie orantes petebant a Deo fructum matrimonii, sc. prolem gratam Deo et hominibus, quia iste est finis matrimonii; quia nullus plantat arborem in horto nisi propter fructum habendum. Et secundo, videntes in omnibus quod non poterant impetrare proles, orationibus addiderunt jejunia et peregrinationes in Jerusalem cum oblationibus. Et iterum multiplicaverunt devotionem suam, et addiderunt tertio eleemosinas facientes tres partes de blado, de vino, de lana, de fructibus et de pecuniis, secundum doctrinam Hieronimi. Et sic patet quomodo fuit desiderata *longament*. Et in hoc desiderio ostenditur conformitas conceptionis Christi filii ad conceptionem beate Marie matris ejus. Ideo ipsa dicit: « Ego quasi vitis fructificavi », etc.

Moraliter recipiatis hinc doctrinam. Si in vestra societate est aliqua creatura que non possit habere fructum matrimonii, cui debetis habere recursum? — Certe ad Deum, et non ad divinos et sortilegos, qui non possunt dare filios, cum in creatione filii vel filie requiratur creatio anime, quam diabolus non potest facere. Unde Christus: « Petite, sc. in orationibus, et accipietis. » (Math. 4.) Et Christus dat nobis illud, vel utilius; ut pater filio febricitanti et vinum petenti qui non dat sibi vinum, sed aliquid aliud utilius. « Querite », sc. in peregrinationibus per devotos passus, et visitando ecclesias, et sanctorum reliquias. Item « pulsate », sc. per eleemosynas ad instar parentum beate Virginis. Item pro salute habenda ite ad Deum qui solus potest sanare. Ps. 102: « Qui propitiatur omnibus... infirmitates. » — Et si perdidistis aliquid, non recurratis ad divinos, sed ad Deum. Ideo Deus, dando legem, dixit Moysi: « Anima que declinaverit... populi sui. » (Levit. 20.) — Nota, si vis, qualiter ordinatum quod talis moreretur lapidatus, non occisus, non suspensus, non submersus, non crematus, sed lapidatus ab omni populo. Ratio, quia ad decollandum vel ad suspendendum sufficit unus, ad lapidandum autem conveniebant omnes. Ratio quia unus divinus nocet uni patrie; et ideo omnes convenire deberetis ad lapidandum

Digitized by Google

talem. Avisetis vos, et faciatis, sicut parentes beate Virginis qui habuerunt recursum ad Deum, et non ad diabolum.

Dico secundo quod secunda conditio conceptionis Christi, cui assimilatur conceptio beate Virginis fuit alte revelata ; sc. antequam conciperetur, fuit alte de celo per Gabrielem Virginis revelata. Ratio, quia nunquam rex venit subito ad civitatem, sed premittit nuntios, sic rex Christus volens venire ad civitatem hujus mundi, misit Gabrielem nuntium suum, nuntians Virgini cum magno splendore et lumine, in forma juvenis pulcherrimi. Nota quomodo salutavit reverenter. De hoc Luc. 1 : « Missus est angelus... Jesum. »

Nota quomodo sicut per Evam virginem desponsatam et per angelum malum salutatam venit destructio et mors, Deus voluit ut per virginem desponsatam et per angelum veniret salvatio et reparatio, consolatio et vita. Sic fuit conceptio beate Virginis ab alto per angelum denunciata *autament* valde magnifice. — Nota hic de historia quomodo angelus denunciavit conceptionem beate Virginis non solum Anne matri sed et Joachim patri cum lacrimis oranti ; nam cuilibet apparuit angelus dicendo : Ne timeas quoniam missus sum a Deo ut denuntiem vobis quomodo habebitis non filium sed filiam que erit tam excellens, tam sancta, tam humilis quod nulla pura creatura poterat habere tantam gratiam et perfectionem, nec habuit, nam ex ea nascetur filius Dei, verus Messias in lege vobis promissus, qui salvare debet populum a peccatis. In hac filia tua finem habebunt omnes prophetie. Nam in illa prophetia Isaie 7 : « Ecce virgo concipiet », etc., complebitur tunc, nam illa virgo erit filia vestra. O qualis consolatio parentum ! Ecce conformitas. Ideo dicit ipsa : « Ego quasi vitis fructificavi », id est similiter, non equaliter.

Moraliter istum modum mittendi angelum servat Deus quando Christianus concipit bonum propositum. Ubi notandum est quod antequam peccator concipiat bonum propositum operandi bonum, Deus premittit angelum, id est nuncium, sc. predicatorem. Math. 2 : « Labia sacerdotis, id est predicatoris custodiunt scientiam », quantum ad materiam speculativam premittendam, « et legem requirunt », sc. quantum ad materiam moralem sequendam. Et recte predicator dicitur angelus, qui missus interpretatur. Ideo Rom.: « Quomodo predicabunt nisi mittantur ? » sc. a prelatis. — Et post denunciationem angeli, sc. predicatoris, vos concipitis. V. gr. quando predicator commendat virtutem humilitatis, vos proponitis humiliari a superbia ; et sic de aliis. Is. 26 : « A facie tua, Domine, concepimus », sc. a predicatione per quam cognoscitur Deus a populo in secretis fidei, sc. quomodo Deus est trinus et unus ; de sacramento incarnationis ; et sic de aliis. Ideo predicatio dicitur facies Dei. Unde ps.: « Faciem tuam, Domine,

Digitized by Google

requiram », id est predicationem. Unde qui non audiunt predicationem non cognoscunt Deum, ymo ignorant que sunt necessaria ad salutem, et sic non concipiunt ; sed qui audiunt devote, concipiunt. Ideo dicit : « A facie tua concepimus ? » Sequitur : « Et quasi parturivimus. » Nota differentiam inter parturire et concipere. Sic multi concipiunt cum delectatione in predicatione, ut patet de muliere vana, que proponit et concipit propositum dimittendi ornatus et superfluitates, sed in partu est dolor, in tantum quod aliquando non potest parere. Sed quibus Deus facit gratiam dicunt : « Peperimus spem salutis », id est salvationis.

Dico tertio quod tertia conditio conceptionis Christi, cui assimilatur conceptio beate Marie est quod fuit completa *dignament*. Unde dictum est a Virgine : « Ecce ancilla Domini », etc. In conceptione Christi fuerunt octo verba, et dicto ultimo fuit completa, sicut quando sacerdos consecrat, non statim in primo verbo hostia est gravida sed in ultimo verbo. Et sic ut lingua Virginis facta est clavis celi, sic et lingua sacerdotis. Gregorius in quarto Dyalogorum : « Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hostia ad sacerdotis vocem celos aperiri, et in illo Christi Jesu mysterio angelorum choros adesse ? »

Et nota quod gloriosiori modo lingua sacerdotis est clavis celi quam lingua Virginis quoad ista, quia non habet facere tot circuitus. Unde lingua Virginis habuit facere octo, et lingua sacerdotis solum quinque ; Virgo semel duntaxat ; ita quod si iterum dixisset, non iterum fuisset incarnatus, nec in ea alius filius natus, nec iterum fuisset gravidata ; et sacerdos quotidie. Virgo parvum et passibilem Christum fecit descendere, sacerdos vero magnum et impassibilem.

Similiter conceptio Virginis fuit completa *dignament*, quia parentes ejus post angeli admonitionem, utentes suo matrimonio, sine peccato, ymo meritorie, Anna concepit divino auxilio, cum jam esset sterilis.

Moraliter habetis hic doctrinam juxta illud Hebr. 13 : « Honorabile connubium in omnibus et thorus immaculatus », qualiter vos debetis gubernare in matrimonio, Et facto matrimonio, dicit : « thorus immaculatus », sc. dupliciter : primo servando fidem in matrimonio ; servando modum, non mutare aliquid, nam « fornicatores et adulteros judicabit Dominus ». (Ibidem.)

Dico quarto quod quarta conditio conceptionis Christi cui assimilatur conceptio beate Marie est quod fuit confirmata *sanctament*. Unde sic in gratia fuit confirmatus quod nunquam cadere potuit per quodcumque peccatum, quia « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. » (1 Pet. 2.) Sic conceptio Virginis fuit confirmata tam *sanctament* quod exinde neque mortaliter neque venialiter peccare potuit ; quoniam jam in utero matris sancta et benedicta fuit. Ubi nos bene legimus quod aliqui fuerunt sanctificati in utero matris, ut in veteri Testamento de Jeremia : « Antequam exires de vulva sanctificavi te. »

Digitized by Google

(Jerem. 1.); sed nescitur, nec reperitur dies sanctificationis. Forte fuit in die nativitatis vel paulo ante. Item in novo Testamento de Johanne Baptista. (Luc. 1.) « Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue » ; qui per tres menses ante nativitatem sanctificatus fuit, sc. quando Elisabeth dixit : « Ex quo facta est vox salutationis tue in auribus meis », etc. (Luc. 1.) Hec est opinio Chrysostomi ; sed beata Virgo excellentius, quia eodem die et hora, venit copia sanctitatis super eam. Ps.: « Fluminis impetus letificat civitatem Dei », etc. In Jeremia et in Johanne Baptista venit solum gutta sanctitatis divine gratie, sed in virgine Maria se diffudit gratie plenitudo, ut fluminis impetus. Ideo Bernardus : « Ceteris per partes datur gratia Dei, Marie autem tota se diffudit gratie plenitudo. » In virgine Maria, formato corpore et creata anima *statim* fuit sanctificata. — « Letificat civitatem », sc. angelos qui gratie divine revelatione viderunt gratiam sanctitatis Virginis, et fecerunt festum in celo de ejus conceptione.

« Sanctificavit tabernaculum altissimus », id est Spiritus Sanctus, sicut episcopus ecclesiam noviter consecratam, quia inhabitare ibi debuit Deus. « Deus in medio ejus non commovebitur. »

Nota differentiam inter cadere et commovere : qui enim peccat mortaliter cadit a gratia Dei, et qui peccat venialiter, non cadit sed commovetur. Et nunquam fuit sanctus tam amicus Dei quin ceciderit vel quin commotus sit. Augustinus in libro de Natura Gratie : « Si omnes sancti et sancte cum hic viverent, etc., excepta Virgine que nunquam cecidit per peccatum mortale, ymo nec commota fuit aliquo peccato veniali, nec corde, nec ore, nec opere ! »

Moraliter pro nobis : si non possumus habere tantam gratiam et sanctitatem ut Virgo, tamen sanctitatem possumus habere dupliciter : vel baptismi ut pagani et infideles, adulti non ficte accedentes, 1 Cor. 6 : « Peccatores aliquando fuistis, sed nunc abluti estis », sc. per baptismum. Jam nos omnes habuimus illam sanctitatem, sed ipsam perdidimus. Et esto quod caracteres non possunt perdi, tamen perditur puritas baptismalis ex peccato mortali, nec iterum possumus baptizari. Ideo per penitentiam possumus et debemus iterum sanctificari quod fit quatuor modis : primo per contritionem peccatorum ; secundo per propositum non redeundi ; tertio per confessionem puram, quia qui fuit *pocionatus*, non est melius remedium quam evomere ; quarto per penitentie confessoris observationem. Et isto modo sanctificatur anima nostra quantumcumque sit peccatrix. Rom. 6 : « Nunc, sc. per penitentiam, liberati a peccato. » Qui igitur sic se purgaverit et Virgini se commendaverit, habebit hic fructum gratie et in futuro fruitionem glorie. Ad quam nos, etc. — Explicit. — Deo gratias.

A remarquer la doctrine de l'Immaculée Conception répandue dans l'Eglise à cette époque.

Digitized by Google

Table des Matières

PANÉGYRIQUES (suite)

Pages

De beato Thoma, apostolo 177
Vigilia Nativitatis Domini 192
De beato Stephano 204
De beato Joanne, evangelista 215
De Innocentibus 226
De beato Thoma, cantuariensi 237
De beato Silvestro 245
De octava beati Stephani 255
Octava beati Joannis, apostoli 267
Octava Innocentium 286
De beato Antonio 302
De beato Sebastiano 314
De beata Agnete 323
De beato Vincentio 332
De conversione beati Pauli apostoli 343
Die purificationis beate Marie 350
De beato Blasio 361
De beata Agatha 368
De cathedra sancti Petri 378
De beato Mathia, apostolo 383
De beato Thoma 396
Die beati Gregorii 411
De beato Benedicto 419
De Incarnatione Filii Dei 427
De sancto Ambrosio 434
De beato Georgio 439
De beato Marcho 450
De sancto Vitale, martyre 458
De beato Petro, martyre 459
De sanctis Tiburtio, Valeriano et Maximo 466
De apostolis Philippo et Jacobo 467
De Cruce 482
In Festo Corone Domini 495
De beato Joanne ante Portam latinam 505
De beato Barnaba 517
De beato Antonio, ordinis Minorum 524
Vigilia beati Joannis Baptiste 525

Digitized by Google

De sancto Joanne Baptista 533
In vigilia Apostolorum (Petri et Pauli) 548
Die Apostolorum (Petri et Pauli) 549
De beato Paulo 561
Octava beati Joannis 573
Octava Apostolorum 576
De beata Margarita 578
De beata Maria Magdalena 584
De beato Jacobo 596
De sancta Anna, matre B. V. Marie 604
De sancta Martha 612
Prima die Augusti, in Vincula S. Petri 617
In Festo beati Dominici, O. P. 626
In Festo Transfigurationis Domini 636
De beato Laurentio 639
Sermon pour saint Hippolyte 647
De Assomptione beate Marie Virginis 649
De beato Bartholomeo 665
De beato Augustino 671
De Decollatione Joannis Baptiste 677
In Festo Nativitatis Virginis Marie 685
De Exaltatione sancte Crucis 715
Vigilia beati Mathei 718
De beato Matheo, apostolo 719
Die sancti Michaelis 726
De beato Jeronimo 734
De beato Francisco 735
De beato Lucha 741
Die apostolorum Simonis et Jude 748
Die omnium Sanctorum 756
De Mortuis 771

PANÉGYRIQUES DIVERS

Die beati Gregorii 789
Die Annunciationis beate Marie 790
Die beati Ambrosii 791
De Inventione sancte Crucis 792
Die Corone Domini 793
Die Expectationis beate Virginis Marie 794
Saint Nicolas 795
Festum Sancte Crucis 796
Sermo de Conceptione beate Marie 798

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HOME USE
CIRCULATION DEPARTMENT
MAIN LIBRARY

This book is due on the last date stamped below.
1-month loans may be renewed by calling 642-3405.
6-month loans may be recharged by bringing books to Circulation Desk.
Renewals and recharges may be made 4 days prior to due date.
ALL BOOKS ARE SUBJECT TO RECALL 7 DAYS AFTER DATE CHECKED OUT.

REC. CIR. JAN 14 '76

OCT 21 1978

REC. CIR. MAR 28 1979

JUN 29 1994

U.C. BERKELEY
SENT ON ILL

SENT ON ILL MAR 14 2007

JUN 14 2001 3 MONTHS LOAN

U. C. BERKELEY

LD21—A-40m-8,'75
(S7737L)

General Library
University of California
Berkeley

Digitized by Google

U. C. BERKELEY LIBRARIES

C046794133

286138

Vincentius Ferrerius

BX890
V5
v. 2.

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google